Fr. GERARDUS M. PARIS O. P., S. Th. L.

PROF. APOLOGETICÆ ET HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ IN COLLEGIO S. THOMÆ
S. MARIÆ DE CRYPTA - MELITÆ

AD MENTEM S. THOMÆ AQUINATIS

TRACTATUS

DE ECCLESIA CHRISTI

AD USUM
STUDENTIUM THEOLOGIÆ FUNDAMENTALIS



TAURINI (ITALIA)
Domus Editorialis MARIETTI anno 1820 condita
ac MARII E. MARIETTI Sanctæ Sedis Apostolicæ, S. RR. Congr.
et Archiepiscopi Taurinensis Typographi

MCMXXIX.

Ejusdem Auctoris et Editoris.

Sub prelo :

De Donis Spiritus Sancti in genere, ad mentem S. Thomæ, dissertatio, in-8 max.

fr. Guido M. Farrugia O.P.

DE ECCLESIA CHRISTI

Fr. GERARDUS M. PARIS O. P., S. Th. L.

PROF. APOLOGETICÆ ET HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ IN COLLEGIO S. THOMÆ
S. MARIÆ DE CRYPTA - MELITÆ

AD MENTEM S. THOMÆ AQUINATIS

TRACTATUS

DE ECCLESIA CHRISTI

AD USUM

STUDENTIUM THEOLOGIÆ FUNDAMENTALIS



TAURINI (ITALIA)
Domus Editorialis MARIETTI anno 1820 condita
nunc MARII E. MARIETTI Sanctæ Sedis Apostolicæ, S. RR. Congr.
et Archiepiscopi Taurinensis Typographi

MCMXXIX.

Nihil obstat.
F. Vinc. Falzon, O. P.
S. Th. Mag.

Nihil obstat.
Die 6 Martii 1929.
F. Ægidius Nastasi O. P.,
Ex-Prov., S. T. M.

Imprimi permittimus.

Die 7 Martii 1929.

F. JOSEPHUS M. XUEREB O. P., J. C. D.
Prior Provincialis.

V. Nihil obstat.

Taurini, die 29 Martii 1929.

Can. Theol. A. Vaudagnotti, *Rev. Del.*

Imprimatur.

C. FRANCISCUS DUVINA, *Prov. Gen.*

AD LECTOREM

Cum ab anno 1906 *nulla nova Editio magistralis operis Adm. Rev. P. De Groot O. P. facta sit, quod tamen opus pulcherrimum est et, meo judicio, primatum tenet inter alia ejusdem generis opera, mihi visum est, dum hunc librum aureum per tres annos in scholis nostris dominicanis explicavi, novam, i. e. quartam editionem edere, meis prælectionibus adnotatam, et, aliquo modo, transformatam, magisque scholis hodiernis accommodatam.*

Opus nostrum, igitur, ad studentes Theologiæ Sacræ ordinavimus. Tractatus enim noster ad Theologiam Fundamentalem *pertinet, et totam primam partem Apologeticæ supponit, scilicet, tractatum* de Revelatione *et* de Christi Divinitate.

Non de omnibus Locis Theologicis *agimus, sed de Ecclesia Christi et de aliis huic immediate connexis, sc. de Romano Pontifice, de Conciliis, de Traditione, de Auctoritate Patrum et de Auctoritate Theologorum; relinquendo alios* locos, *qui in aliis disciplinis traduntur, v. g. de Auctoritate Sacræ Scripturæ, de qua sermo habetur in Introductione ad Sacr. Scripturam; de auctoritate Historiæ, de qua agitur in Introductione ad Historiam Ecclesiasticam; de Auctoritate Philosophorum et Rationis Naturalis, de quibus tractatur (saltem implicite) in Prima parte Apologeticæ.*

Exordimur per notionem locorum theologicorum. *De Ecclesia tractamus ut de Loco Theologico, sed omnia dicenda dicemus, et non*

solum ea quæ propriissime ad rationem loci *pertinent; ut sic tractatus de Ecclesia sit completus.*

Vidimus etiam in lectionibus tradendis quam maxime juvat studentibus ut professor haud sine fixa methodo procedat. Hinc est quod divisionem fiximus cujuscumque articuli, adeo ut, omnia dicantur in proprio loco. Ista autem est methodus nostra: 1) *Exponimus statum et sensum articuli;* — 2) *Adversariorum sententias;* — 3) *Momentum quæstionis;* — 4) *Prænotamina, si occurrant;* — 5) *Datur responsio Catholica ad articulum, quæ post quæstionem de infallibilitate Ecclesiæ vim apologeticam acquiret;* — 6) *Probatio articuli: in hoc procedimus a magis nobis notis et a Sacra Script., confirmando ex Traditione etc. Scriptura Sacra in principio considerabitur sub aspectu historico; post quæstionem de Infallibilitate Ecclesiæ ut inspirata, seu ut verbum Dei, citabitur.* — 7) *Responsio ad objectiones.* — *In hac divisione, videtur nobis quod sequimur Angelicum Doctorem in Summa Theol. Iste enim post nominationem tituli articuli, exponit statum et sensum quæstionis, adversariorum sententias ac momentum quæstionis (implicite saltem) per prævias objectiones; deinde exponit sententiam veram in* Sed Contra; *postea probat articulum et in fine respondet ad objectiones.*

Sequimur etiam S. Thomam in forma scholastica a*dhibita, præsertim quoad argumenta et objectiones. Formam scholasticam rigidam duximus eligendam, quia hæc magis studentibus juvat. — Sed sumus* breviores *quam P. De Groot, præsertim in responsionibus ad objectiones. Plura leviter attinximus, eo quod professores habeant ampliorem campum explicandi, et studentes facilius possint memoria retinere notanda. Scimus enim quam ponderosa sunt studia hodie; et satis est jam permagna studiorum diversitas quæ determinata est studentibus.*

Quantum autem ad linguam *latinam adhibitam, fere totam illam P. De Groot, perfecta quidem sed aliquando difficilis, in nostram faciliorem mutavimus. Aliquid etiam novi* adjunximus, *peculiariter quoad hodiernas Anglicanismi quæstiones. Quasdam ex aliis auctoribus po-*

suimus observationes, præcipue ex Billuart (De Regulis Fidei), *ex Gatti O. P.* (Institutiones Apologetico-Polemicæ), *Tanquerey* (De Ecclesia, *edit. XV*), *et Schultes O. P.* (De Ecclesia Christi).

Ad Quæstiones Historicas quod attinet, brevissimas, ubi necessarium fuit, notas posuimus, et ad ampliores explicationes ad Historiam Ecclesiasticam studentes remisimus. Sic, igitur, attendimus, ut, cum claritate expositionum, repetenda evitata sint.

P. G. PARIS O. P.

In Conventu S. Mariæ de Crypta,
Ordinis Prædicatorum,
Melitæ

In Solemnitate Ss. Apostolorum Petri et Pauli, an. 1928.

INTRODUCTIO

DE SACRA THEOLOGIA PROUT EXTENSIONE FIT APOLOGETICA

1) Definitio et Divisio Apologeticæ.

Sacra Theologia scientia est (S. Thomas, I, q. 1, art. 3), proinde, ut talis, argumentari debet. Etenim, scientia ex principiis conclusiones deducit, et hoc etiam theologia facit. Attamen, Theologia principia ex divina revelatione habet, quæ sunt articuli fidei, et quæ omne lumen naturale, immo et naturæ exigentias, omnino excedunt (1782, 1786, 1789, 1795, 1796 Denzinger, ed. XIII). Hæc autem principia supernaturalia Theologia non probat, nec probare potest, verum tamen defendit, et rationabilitatem credibilitatis in ipsa demonstrat. Talis defensio munus est theologiæ (cfr. *De Rev.*, p. 17, ed. prima. S. Th., II-II, q. 9, a. 1, ad 2um) quo quidem *extensione fit apologetica* (a verbo græco ἀπολογία - apologia: defensio).

Primum omnium fundamentum principiorum fidei est factum revelationis, quod factum est dogma fidei fundamentale, supernaturale quoad substantiam. Propterea ex ipsamet revelatione probari nequit sine circulo vitioso. Unde non ex revelatione revelatio probatur; sed, revelatione supposita, ratio, sub directione luminis fidei, possibilitatem, convenientiam et necessitatem, atque ex certis signis cognoscibilitatem revelationis luculenter demonstrat, et rationabile facit mentis nostræ obsequium ad ea quæ sunt fidei. — Item auctoritatem Ecclesiæ infallibiliter declarantis quasnam veritates revelatas esse easque credendas strenue defendit. — Tale munus defensionis proprie pertinet ad apologeticam, quæ recte definitur: « Scientia (i. e. cognitio certa et evidens per demonstrationem ex principiis deducta) fundamentorum veræ religionis ». — Seu melius: « Defensio scientifica rationalis, sub lumine fidei directa, divinæ revelationis » (cfr. Garrigou-Lagrange, *De Rev.*, p. 45).

Ex dictis patet quod duplicem partem habet apologetica, sc. I Pars: *defensio facti divinæ revelationis.* — II Pars: *defensio auctoritatis Ecclesiæ infallibiliter declarantis quæ nobis revelata sunt et credenda.* Vel, ut notat P. Schultes, *defensio fundamentorum quibus auctoritas Ecclesiæ innititur* (cfr. Schultes, p. 5).

NB. In tractatu nostro de Ecclesia supponimus totam primam partem Apologeticæ jam peractam; item, et supponimus divinitatem Christi sufficienter probatam ex miraculis, prophetiis etc. Ad Sacram Scripturam quod attinet, supponimus eam ut librum historicum certum, usque ad quæstionem de infallibilitate Ecclesiæ ejusque Magisterio; post has quæstiones, vero, considerabimus eam ut inspiratam. Similiter, de doctrina et auctoritate Ecclesiæ, ante probationem infallibilitatis ipsius, considerabimus eam (objective) ut opinionem dumtaxat; postea, autem, ut sententiam certam, et, ubi ita declarabitur, infallibilem.

2) De Methodo Adhibenda.

In hac schola certissime adhibenda est methodus traditionalis, quam invenimus apud majores et priores Ecclesiæ Apologetas, uti apud S. Justinum († 167), « Apologia pro Christianis », — S. Clementem Alexandrinum († 215), « Cohortatio ad Gentes », — Tertullianum († 240), « Apologeticum », — S. Augustinum († 430), « De Civitate Dei », ceterosque sanctos Patres; immo quam invenimus adhibitam ab ipso D. N. J. C. in Evangelio (passim), et a Principe Apostolorum (Act. Apost. II, 14-39), necnon a S. Paulo (*ibid.*, c. XVII, 22-31).

Hæc defensio, ut videtur ex locis citatis, historiam sapit: nam ex factis, miraculis et vaticiniis probat; proinde historica dicitur. Insuper, facta historica philosophice considerat, de istis philosophice disputat; propterea hæc methodus traditionalis vocatur *philosophico-historica.*

Talis methodus hunc scopum habet: In religione Christiana (in Ecclesia Christi vera) vestigium divinitatis et præsentiam Dei specialem monstrare. Ex factis scilicet, extraordinariis atque certissimis, ad veritatem factorum supernaturalem pervenire; ita ut rationabile reddatur obsequium mentis humanæ ad hanc cognitam ut veram Christi Ecclesiam, eaque quæ sunt fidei ab ipsa proposita. Aliis verbis, hæc methodus, præjudicia expellit et mentem præparat ad divinam conversionis seu agnitionis veræ religionis gratiam accipiendam; immo atque conscientiam obligat amplectendi hanc veram religionem sufficienter cognitam, quamvis nobis revelet veritates omnino supernaturales, mysteria quæ nostras superant exigentias.

Talis methodus, certo certius, bona est, quia proportionatur fini et modo, qui (modus) est fini proportionatus. Nam methodus sic definitur: « quædam rerum ordinatio ad debitum finem et modo,

qui sit proportionatus fini » (I-II, q. 102, a. 1). Finis autem noster est satisfactionem de ea quæ in nobis est spe (et fide) reddere poscenti (I Petri, III, 15); spes autem nostra est de iis quæ non videntur, nam quæ videt quis quid sperat? (Ad Romanos VIII, 24). Fides quoque est de non visis (II Cor. V, 7). Immo et hæc quæ non videntur, et a nobis quam firmiter creduntur, intelligentiam humanam omnino superant (Denz. 1706). Unde, necesse est ad hæc, per facta quæ vires nostras superant homines adducere. Hoc modo res non solum ordinatur ad finem, verum etiam eo modo ordinatur qui est fini proportionatus. Propterea, methodus philosophico-historica bona est.

Sed hac non obstante veritate, quidam moderni et quidem catholici, aliam viam proponunt, aliam methodum; nostramque tamquam insufficientem dijudicant. Isti sunt Blondel, Laberthonnière, Kuhn, Denis et alii, qui apologeticam aiunt procedere debere non ex factis objectivis sed ex examine humani aspirationum cordis, quæ in Ecclesia Catholica satisfactionem perfectam et pacem inveniunt, ita ut in ipsa Ecclesia ad unionem cum divinitate perveniant. Consequenter ipsis magis placet terminus « *credulitatis* » (*croyance*), quam noster terminus « *credibilitatis* » (*crédibilité*): credibilitas est in objecto, credulitas vero in subjecto. Hæc est methodus sic dicta *Neo-Apologetica*, vel methodus *immanentiæ*. Noster De Groot eam sic præcise definit: « Neo-apologetica religionem divinitus revelatam hominibus ab extrinseco proponi non negat, sed docet, hominem ex intimo corde, hoc est, ex iis, quæ in se suaque natura et activitatibus comperit, obviam ire religioni revelatæ et ecclesiæ illi, quæ ait religionem divinitus revelatam prædicare et edocere » (De Groot, *Apologetica*, ed. III, pp. 16-17).

Nos autem non negamus quæ isti apologetæ proponunt, sed cum grano salis ea admittimus; dummodo, scilicet, ipsi intendant loqui de revelatione religionis supernaturalis in vero Ecclesiæ sensu. Hoc autem argumentum eorum in secundo loco ponimus. Dicit enim Concilium Vaticanum: « Ut nihilominus fidei nostræ obsequium rationi consentaneum (Rom. XII, 1) esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scilicet divina atque imprimis miracula et prophetias, quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata » (Sess. III, c. 3). Rursus in canonibus de fide, can. 3: « Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere: A. S. ».

Et ratio hujus est, quia religio nostra non est naturalis tantum, sed supernaturalis, atque in infinitum excedit religionem naturalem. Propterea, media, quæ ex ipsa sola hominis natura desumuntur, non sunt *magis apta* et proportionata ad finem quam illa

quæ ex factis hanc supernaturalitatem commonstrant, uti miracula, prophetiæ, sublimitas doctrinæ, mirabilis vita Ecclesiæ etc. quæ, aliquo modo, supernaturalem ordinem tangunt (cfr. Garrigou-L., *De Rev.*, vol. I, p. 536).

Præterea: Neo-apol. favet voluntati et sensui magis quam rationi.

Item, factum revelationis ex se non probat (vide De Groot, p. 20).

Item, talis methodus non est scientifica, sed individuos respicit, et quasdam ætates.

Item, Neo-apol. est valde periculosa: *a*) quia fautores hujus methodi opera habent damnata a S. C. Indicis; *b*) quia non satis clare distinguunt inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem; *c*) quia ad modernismum tendunt, qui supernaturalia per naturalia prætendit explicare.

Nota: Apologetica completur et dividitur in tres partes: *a*) Demonstratio religionis naturalis; *b*) Demonstratio Christiana; *c*) Demonstratio Catholica. Demonstratio religionis naturalis, contra atheos et pantheos probat existentiam Dei, immortalitatem animæ et alia quæ vocantur « Præambula Fidei ». — Demonstratio Christiana proprie est prima pars apologeticæ, i. e. De revelatione. Hæc « factum divinæ revelationis, in Christo consummatæ, evidenter credibile esse ostendit » (cfr. De Groot, p. 3). — Demonstratio Catholica est pars nostræ Apologeticæ. Ipsa « inquirit, *cui cœtui*, seu Ecclesiæ depositum revelationis commissum sit, ut cœtus ille in concreto cum omnibus veritatibus, quas edocet, cum charismatibus suis et juribus omnibus uti divinum opus cognoscatur ».

3) De Locis Theologicis.

Cum scopus hujus scholæ sit non solum addiscere veram Christi Ecclesiam defendere, quæ est columna et firmamentum veritatis (I Tim. III, 15); verum etiam nosmetipsos in sacram theologiam inferre, — quod est quasi in porticum sacræ theologiæ ædificii ingredi, — sapienter statutum est etiam de aliis locis theologicis tractare, i. e. de fontibus ex quibus theologi argumentationes suas hauriunt. Loci theologici, enim, sic definiuntur: « Sedes seu fontes ex quibus Theologia depromit seu haurit sua argumenta ».

Locorum Theologicorum Elenchus et Divisio. — Omnes theologi, post Melchiorem Canum, Magistrum Locorum, decem fontes enumerant. Hi loci, ratione nobilitatis, sequenti modo enumerantur: 1. *Sacræ Scripturæ auctoritas;* — 2. *Auctoritas Traditionum, Christi et Apostolorum;* — 3. *Auctoritas Ecclesiæ Catholicæ;* — 4. *Auctoritas Conciliorum Œcumenicorum;* — 5. *Auctoritas Romani Pontificis;* — 6. *Auctoritas Ss. Patrum;* — 7. *Auctoritas Theologorum;* — 8. *Ratio naturalis;* — 9. *Auctoritas Philosophorum;* — 10. *Auctoritas humanæ Historiæ.*

Quomodo loci Theologici enumerantur a S. Thoma. — Bene consideranda sunt verba S. Doctoris in objectione secunda et in ejus responsione, Primæ Partis, q. I, a. 8. Patet quod S. D. hic minime nominat omnia et singula de locis. P. De Groot dicit quod S. D. hic nominat tres tantum locos, sc. *auctoritates S. Scripturæ, sanctorum Doctorum et Philosophorum.* E contra, Billuart (vol. I *Diss. Procem. de S. Doctrina*, art. VII, n. 6), ait S. Doctorem quatuor locos enumerare, sc. præter illos jam dictos, ponit etiam *auctoritatem rationis naturalis.* — Revera, S. D. locos auctoritatum philosophorum et rationis ad unum reducit; dicit enim: « Inde est, quod etiam auctoritatibus philosophorum sacra doctrina utitur, ubi *per rationem naturalem* veritatem cognoscere potuerunt » (*l. c.*). Et hoc modo duo auctores conciliantur.

Ad rationem quod attinet, quare S. D. non enumerat decem locos, auctores non conveniunt. De Groot, sequens Sylvium, ait: « Tribus autem illis decem nostros comprehendi, satis patet ». Dum revera non satis patet, præsertim quomodo auctoritas historiæ humanæ, in illis tribus comprehendatur. Propterea melius est dicere cum Billuart (*l. c.*), quod « non fuit S. Doctoris propositum ibi recensere omnes locos theologiæ, sed solum ostendere theologiam esse argumentativam ». Attamen, ex contextu apparet S. Thomam indicasse *locos fundamentales* ex duabus ipsorum extremitatibus, i. e. Sacram Scripturam uti fontem efficacissimum, et rationem naturalem uti fontem infirmissimum. Inter hos duos tangit medium locum qui est auctoritas Patrum. Et sic tria lumina considerat, sc. lumen divinum, lumen theologicum et lumen rationis. In istis tribus, vero, fundantur decem nostræ auctoritates.

His positis sec. S. Thomam, sequenti schemate loci enumerari possunt:

Locus ab Auctoritate fundatur supra			
	1. Rev. Div. (loci efficacissimi et primarii, ex se arg. præbent necessario et infallibiliter)	1. Sac. Script. 2. Traditio. 3. Auctoritas Ecclesiæ. 4. Auctoritas Conciliorum Œcumenicorum. 5. Auct. Romani Pontificis ex cathed. loquentis.	
	2. Lumen Theologicum (loci secundarii, qui non ex se necess. probant)	6. Auct. Ss. Patrum. 7. Auct. Theologorum.	«Sacra doct. est velut quædam impressio divinæ scientiæ » I, q. 1, a. 3 ad 2um.
	3. Ratio humana (loci infirmissimi, subsidiarii et non proprie theologici)	8. Ratio humana. 9. Auct. Philosophorum. 10. Auct. Historiæ humanæ.	

Nota: Quare de loco Ecclesiæ qui ratione dignitatis tertius est,


in principio hujus operis tractatur? — Rationes: 1. Quia hoc opus est apologeticum primo, secundo vero propedeuticum ad sacram theologiam. — 2. Quia firmata auctoritate Ecclesiæ, cetera cuncta faciliter et consequenter admittuntur, quæ ab ipsa declarantur et infallibiliter proponuntur.

TRACTATUS

DE ECCLESIA CHRISTI

In hoc tractatu agendum est: 1) De ipso nomine Ecclesiæ, et ejus significatione; — 2) De institutione Ecclesiæ (de causa efficienti, et de causa finali); — 3) De ejus constitutione (de causis materiali et formali); — 4) De qualitatibus intrinsecis Christi Ecclesiæ, i. e. de ejus perfectione, de notis quibus ab aliis distinguitur; — 5) De dotibus Ecclesiæ, et de his quæ ex dotibus sequuntur. — Ad tractatum de Ecclesia accedit quæstio de relatione inter Ecclesiam et Statum, et tractatus de Conciliis et de Romano Pontifice.

Divisio hæc sequenti schemate proponitur:



DE IPSA ECCLESIA IN SE CONSIDERATA

QUÆSTIO PRIMA

De nomine Ecclesiæ et ejus significatione.

De ipso nomine Ecclesiæ dicendum est: 1) Quid hoc nomen Ecclesiæ in se significat; — 2) Quid intelligunt catholici per hoc nomen; — 3) Quid intelligunt protestantes.

Articulus I.

QUID HOC NOMEN ECCLESIÆ IN SE SIGNIFICAT

1. Quid hoc nomen significat; — 2. De usu ipsius; — 3. Quomodo Ecclesia distinguitur a synagoga; — 4. De triplici statu Ecclesiæ.

A) Ex vi nominis. — « Ecclesia, ut notat Melchior Canus, græcum nomen [1] est (ἐκκλεσία), et si verbum verbo reddas, latine *convocatio* dicitur, sive quod omnes ad se vocet, sive quod quicumque in eam conveniunt, hi non meritis et justitia sua, sed Dei gratia et vocatione conveniant ». — Hæc non arbitrarie dicuntur, sed in Sacra Script. fundantur, e. g. S. Paulus: « Omnibus qui sunt Romæ *vocatis sanctis* » (Rom. I, 7); i. e. omnibus qui *vocati sunt sancti*. Sancti dicitur: quia gratia Dei vocati sunt, et quidem ad sanctitatem: « Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra ». Item, « Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus, J. C. » (I Cor. I). Hæc est metaphora: dicitur convocatio pro convocata societate.

B) - *a*) Usus hujus nominis in Vet. et Nov. Testamento. — Notandum est quod vox illa *ecclesia* quandoque usurpata est in Vet. Test. pro quacumque concione sive fidelium sive impiorum, sicut legimus in psalmis: « Ecclesia sanctorum, Ecclesia malignantium » — et similia. Sed in Novo Testamento nunquam infidelium concio Ecclesia vocata est (cfr. Mel. Canum, *De Locis*, lib. 4, c. 2). — « Qui quidem usus adeo in Christianis invaluit, ut in nulla nunc multitudine, Ecclesiæ nomen agnoscant, nisi quæ Christi fide et vocatione coaluerit ». Et ratio hujus Christianorum moris, fundamentaliter et ori-

---

[1] Ex ἐκκαλεῖν = vocare. Hebraice קָהָל = congregatio. Jam Moyses populum D. appellavit קְהַל יְהוָֹה = congregationem Domini. Et LXX eam verterunt συναγωγήν.

ginative, habetur in verbis ipsius Christi, quæ apostoli repetunt: « Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus » (Mt. XVIII, 17). — Immo, in Veteri Test. quidem, aliquando stricte ad populum Dei hoc nomen attribuitur, e. g. Numerorum cap. XX, 4: « Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem? » — S. Paulus ad Ephesios, V, 25: « Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea », — Item, I, 22 (*ibid.*): « Ipsum (Christum) dedit caput super omnem Ecclesiam ».

Constat ex his et similibus textibus quare ab exordio Ecclesiæ, hoc nomine stricte dicebatur illa societas seu multitudo tantum, quæ ex Christi fidelibus constituta erat. Nulla alia societas, præter ipsam, hoc nomine Ecclesiæ agnoscebatur. Societas a Christo fundata, hoc nomen Ecclesiæ sibi reservat; et quasi per anthonomasiam, et uti exemplar perfectissimum societatum, Ecclesia vocatur.

b) Notandum est etiam quod LOCUS UBI ECCLESIA CONGREGABATUR, CŒPIT VOCARI ECCLESIA, QUASI PER SYNECDOCHEN. — Deut. XXIII, 1: « Non intrabit eunuchus, attritis vel amputatis testiculis et abscisso veretro, Ecclesiam Domini ». — Judith VI, 21: « Postea vero convocatus est omnis populus, et per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt petentes auxilium a Deo Israël ». — I Cor. XI, 18: « Primum quidem, convenientibus vobis in Ecclesiam ».

C) DISCRIMEN ADEST ECCLESIAM INTER ET SYNAGOGAM. — Synagoga autem congregationem significat. Proinde eadem habetur differentia inter Synagogam et Ecclesiam, sicut inter congregationem et convocationem. Utrumque verbum, adunare (simul) significat. Sed aliud et aliud. Nam, *convocatio* non est nisi hominum seu creaturarum intelligentium; *congregatio* vero est etiam brutorum. Propterea, nomen Ecclesiæ præferendum est ratione nobilitatis. Unde est, ut S. Aug. notat, quod nunquam in Novo Test. Ecclesia synagoga nuncupatur. « Tantum Christi Ecclesia synagogam excellit » (Mel. Canus, *l. c.*).

D) DE TRIPLICI ECCLESIÆ STATU. — Hæc convocatio seu congregatio fidelium comprehendit non solum Christifideles qui adhuc in hac vita sunt, viatores; verum etiam illos qui in purgatorio detinentur, et illos qui finem ultimum jam adepti sunt in patria. Propterea Ecclesia dividitur in Militantem, Purgantem seu Patientem et Triumphantem. — Cat. Romanus, p. I, c. X, n. 3: « Militans Ecclesia est cœtus omnium fidelium, qui adhuc in terris vivunt; quæ ideo militans vocatur, quod illi cum immanissimis hostibus, mundo, carne, satana perpetuum est bellum ». — Est quædam evolutio, in membris Ecclesiæ ab uno statu in alium; quæ evolutio est quasi reductio de potentia ad actum, sec. triplicem gradum perfectionis, ut ait Divus Thomas, « quorum primus est per fidem, secundus per charitatem viæ, tertius per fruitionem patriæ » (III, q. 8, art. 3).

— Ecclesia militans habet tres status proprios, sc.: status legis naturæ, status legis veteris, status legis novæ seu gratiæ. Proprie, quæstio nostra fertur circa Ecclesiam legis novæ, i. e. agitur de Ecclesia Christi.

Articulus II.

QUID INTELLIGUNT CATHOLICI PER ECCLESIAM I. E. DE VERA CHRISTI ECCLESIÆ DEFINITIONE

1. Declaratur definitio Ecclesiæ; — 2. Explicatur definitio per partes.

1. **Declaratio definitionis.** — Jamjam, ex dictis, aliquam genericam de Ecclesia notionem habemus. Secundum verum apostolorum sensum et primorum christianorum, dicitur Ecclesia *congregatio* seu *convocatio fidelium.* Ita etiam S. Thomas: « Ecclesia, secundum statum viæ, est congregatio fidelium » (III, q. 8, a. 4, ad 2um). Hæc definitio, quæ adhibita est a Concilio Tridentino (Cat. R., p. I, cap. x, n. 2), et quæ optima est in se, hodie, ratione mutationum temporum, non est satis completa et explicita (cfr. De Groot, *l. c.*, p. 43). Ipsa sufficiens erat in primis Ecclesiæ temporibus, quando scilicet omnes qui christiani vocabantur, veri fideles erant, veram profitebantur Christi fidem. Decursu temporum vero, ob multas variasque hæreses, multi dicuntur fideles, qui revera non sunt. Nicolaus Papa sensum definitionis tradidit: « Ecclesia, inquit, est collectio catholicorum ». Equidem hoc recte dicitur, quia veri fideles, catholici sunt. Etenim, « absurdum est, ut verbis utar Melchioris Cani, qui catholicæ Ecclesiæ partes non sint, hos Ecclesiæ Christi partes asserere » (*l. c.*, lib. IV, c. II). Quam veritatem fere in toto tractatu nostro defendemus. Sed de *veris* Catholicis est sermo qui sic recte definiuntur: « fideles baptizati, qui, ejusdem fidei professione, eorumdem sacramentorum participatione, eodem cultu, inter se adunantur, sub uno capite, Christo, in cœlis, et sub ejus in terris vicario, Romano Pontifice ». Ita hodie universaliter apud catholicos, post Bellarminum. Consequenter, Ecclesia, sec. catholicos, definitur:

« *Societas fidelium* (i. e. credentium) *baptizatorum, qui ejusdem fidei professione, eorumdem sacramentorum participatione, eodem cultu, inter se adunatorum, sub uno capite, Christo, in cœlis, et sub ejus in terris Vicario, Romano Pontifice* ».

Ex hac definitione excluduntur non solum infideles, sed etiam hæretici omnes et schismatici, immo et catholici-anglici, qui veri catholici non sunt. De nostra vera definitione, in toto tractatu arguendum est. Pro nunc autem tantum enunciamus.

2. **Explicatio definitionis.** — Dicitur *Societas.* « Societas, ait S. Thomas, est adunatio hominum ad unum aliquid communiter agendum » (Contra impugnantes Relig. c. 3). Hæc est bona definitio societatis; est, enim, sec. quatuor causas, sc. materialem (homines), formalem (quæ accipitur ex definitione metaphysica: ex genere « adunatio hominum », et differentia specifica « ad unum aliquid etc. » — cfr. I-II, q. 55, art. 4), finalem (ad unum aliquid agendum), et efficientem (auctorem societatis).

Fidelium: En qualitas hominum, sc. fidem habentium. Fides vera est causa quasi instrumentalis interna efficiens unitatem Christianorum. Ipsa est fundamentum internum Ecclesiæ sec. illud: « Accedentem ad Deum oportet credere » (ad Hebr. xi, 6).

Baptizatorum: In Nova lege omnes fideles sunt baptizati, dum in lege Vet. fideles erant, sed baptizati non erant. Definitio prolata est de Ecclesia sec. statum præsentem, i. e. post Ascensionem Christi in cœlum, prout Ecclesia a Synagoga distinguitur. Per Baptismum ingreditur in Ecclesiam.

Ejusdem fidei professione: Quia unus est finis ad quem tota Ecclesia ordinatur; una doctrina. — S. Paulus, I Cor. i, 10: « Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri J. C., ut *idipsum dicatis omnes*, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia ».

Eorumdem sacramentorum participatione: Quia cum finis sit supernaturalis, media, quibus ad finem Ecclesia tendit, ab ipso Domino dantur fidelibus; propterea communia sunt et eadem ad omnes. — Ephes. iv, 5: « Unus Dominus, una fides, unum Baptisma ».

Eodem cultu: Quia Ecclesia, ut videbimus, societas essentialiter visibilis est. Visibilitas quidem per cultum ostenditur. Unde, sicut una est Ecclesia, ita unus et idem debet esse ejus cultus in essentialibus.

Sub uno capite, Christo, in cœlis: Sub uno capite, quia una est Ecclesia. — Christo, quia Deus « Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam » (Ephes. i, 22).

Et sub ejus in terris vicario, Romano Pontifice: Secundum verba ipsius Christi: « Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam » (Mt. xvi, 18). « Tibi dabo claves regni cœlorum » (*ib.* v, 19). — « Pasce oves meas » (Joan. xxi, 17). — « Ecce Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi » (Mt. xxviii, 20).

Nota: In hac Catholicorum definitione nota *unitatis* quam maxime refulget, propter unitatem gubernationis seu capitis, legis, insignorum et finis. Hæc quatuor, sec. S. Thomam, simul requiruntur ad veram societatem fundandam. Cf. S. Th. super Psalmum 86: « Fundamenta ejus in montibus sanctis... Gloriosa dicta sunt de te, *Civitas Dei* ».

ARTICULUS III.

NOTIONES ACATHOLICÆ DE ECCLESIA

EXPONITUR: 1. Conspectus historicus acatholicorum; — 2. Conspectus doctrinarum in genere; — 3. Conspectus sectarum ab Ecclesia secessarum; — 4. Hodiernus Protestantium status.

Catholica supra exposita definitio de Ecclesia, evidenter, adversariis minime placet. Ipsi ex unitate Fidei aberrantes, in inextricabilem doctrinarum confusionem ceciderunt. Apud protestantes, præsertim, fere tot sunt doctrinæ, quot capita. « Omnes quasi oves erraverunt, unusquisque in viam suam declinavit ». Unde haud facile est dicere quid unaquæque eorum secta, sentiat de Ecclesia. Ad nostram percontationem sequentia capita notanda sunt:

A) CONSPECTUS HISTORICUS ACATHOLICORUM. — Religio christiana, feliciter per orbem terrarum propagata, non obstantibus hæresibus et schismatibus in sinu suo ortis, diutissime una permansit. Sed, sæculo IX, fautore Photio, ortum est *Schisma Græcum* quod christianam unitatem disrupit; et sæculo XVI, Protestantes, duce Luthero, ab Ecclesia Catholica secesserunt (cfr. Tanq., *De Ecclesia*, ed. XV, n. 556). — Unde christiani divisi sunt in tres partes; vel, melius, ex Ecclesia vera, aliæ duæ formatæ sunt, quæ christiano nomine gloriantur. Unde tres sunt Ecclesiæ christianæ hodie vigentes, vid. Romana, Græca et Protestantica.

B) CONSPECTUS DOCTRINARUM IN GENERE. — 1. « Protestantes omnes contendunt doctrinam christianam cujusque *privato judicio* intelligendam esse, ideoque Christum *non instituisse auctoritatem supremam et infallibilem* quæ veritates fidei doceret atque tuto servaret ». — 2. « Græci schismatici rejiciunt quidem privatum judicium utpote ad unitatem fidei servandam inefficax, sed autumant supremam et infallibilem docendi potestatem in corpore Episcoporum collegialiter agente sitam esse, ita ut Romano Pontifici non competat nisi præeminentia quædam honoris ». Ita Tanquerey, *l. c.*, n. 556.

« Juxta Græcos Ecclesia non est societas *monarchica*, sed potius *aristocratica*, collegium Episcoporum regimen. Auctoritatem Œcumenicorum Conciliorum agnoscunt, sed ut œcumenica habent tantum septem priora concilia, videlicet: Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, II^{um} et III^{um} Constant., II^{um} Nicænum, quia in his utraque Ecclesia, occidentalis et orientalis, convenerat, dum in cæteris, inquiunt, sola occidentalis Ecclesia præsens fuit; unde ad infallibilia decreta condenda hodie desideratur concilium ex græcis romanisque episcopis constans ». Tanq., *l. c.*, n. 562. — (Anglicani sex priora concilia agnoscunt. Cfr. *Catholic Belief*).

C) Conspectus sectarum ab Ecclesia Romana secessarum.

Ecclesiæ Christianæ a Romana secessæ sic dividuntur

- *Ecclesia Græca* (Cf. Marx H. E. pp. 680, 241, 243)
  1. Patriarchatus Const., cui primatus honoris tribuitur.
  2. Patr. Alex., Antiochenus, Hierosolymitanus.
  3. Ecclesia Ruthena (Russica) — ab imperat. tota dependens (hodie non existit).
  4. Eccle. Hellenica — subditur synodo regique Atheniensi.
  5. Cypri, Montisnigri, Romaniæ, Serbiæ, Bulgariæ.
- *Protestantes*
  1. *Præcursores*
     - Albigenses - sæc. XI: Eccl. defecit a Const. M.
     - Valdenses a. 1160
     - Wicleffitæ a. 1375
     - Hussitæ a. 1408
     - (Valdenses, Wicleffitæ, Hussitæ:) Eccl. Romanam vocant synag. Satanæ — Vera Eccl. est invisibilis.
  2. *Lutheranismus*
     - Pietismus — Pietas exaggerata: Quietismus.
     - Rationalismus.
  3. *Calvinismus*
     - Reformati, sc. ab Eccl. Anglicana.
     - Puritani, sc. secessi ab Ecclesia Angl. ad majorem puritatem.
     - Presbyteriani: auctoritas Ecclesiæ ponitur a populo in presbyteros.
     - Arminiani: seq. Armin., negabat prædestinationem.
  4. *Anglicanismus*
     - *High Church*: (Eccl. Superior) — Puseystæ et Ritualistæ « Anglo-Catholics. »
     - *Low Church* Eccl. Inferior *Evangelica*:
       - Congregationalistæ independentes.
       - Baptistæ - negant validit. Baptismi infantium - circa Ecclesiam sicut Congregationalistæ sentiunt.
       - Methodistæ seu Wesleyani cæcam fiduciam in Christum prædicant.
       - Salvationistæ (Salvation Army) — uti exercitus ad salvandas animas se ponunt.
     - *Broad Ch.*: (Eccl. Latior) — Semirationalistica. — Cfr. Bruck H. E. ed. IV, p. 665.
  5. *Sectæ Liberales* (Rationalismus)
     1. Sociniani seu Unitarii.
     2. Universalistæ — Omnes salvabuntur, dicunt.
     3. Liberales (simpliciter) — Naturalismus.

Nota: Alicujus momenti est nota quæ apparuit in ephemeride « *L'Unità Cattolica* » (Firenze), 9-10 Martii 1926, de novo *Credo* Ecclesiæ Ruthenæ.

« La *Vossische Zeitung* di Berlino riproduce dal giornale *Sa Swoboda* — Per la Libertà — il nuovo simbolo della cosidetta Chiesa russa *vivente*, cioè di quella parte dell'antica chiesa ortodossa che cerca di adattare i propri dommi ai gusti e alle esigenze del bolscevismo.

« Ecco il nuovo Simbolo: 1. Io credo in un'unica forza possente che ha creato il cielo e la terra, il mondo visibile e quello invisibile.

2. Credo in una sola comunione ecclesiastica e al potente uomo detto Gesù Cristo.

3. Il quale nacque da Maria Vergine nella piena osservanza delle leggi naturali.

4. Il quale per redimerci mediante la sua parola, patì sotto Ponzio Pilato, fu inchiodato al legno della croce, morì, fu sepolto, salì al cielo e venne dagli uomini santificato.

5. Credo nello spirito della comunione della Chiesa che vive in tutti noi come il Dio della saggezza e che ha maturato nel mondo opere grandi.

6. Riconosco quanto sia salutare mondare dinanzi all'uomo Dio, Gesù, la mia anima dal peccato e di riversare in lui il peso del mio cuore.

7. Credo in quel battesimo che vien somministrato una volta sola (all'opposto dei molteplici battesimi impartiti agli aderenti di varie sette antiche).

8. Riconosco quali autorità ecclesiastiche esclusivamente i vescovi, i preti e i diaconi ortodossi russi.

9. Io attendo il tribunale che giudicherà l'anima mia dopo la morte.

10. Credo alla sconfinata vita futura dello spirito umano, dello spirito della nostra saggezza ».

Nota. Hodie Ecclesia Ruthena divisa est in Tychonitam (Patriarchalis) et Sovietistam (non-Patriarchalis) cfr. *Catholic Times*, 15 Oct. 1926, p. 14.

D) Hodiernus Protestantium status. — Quanta sit inter tantas sententias diversitas doctrinarum circa naturam Ecclesiæ, omnibus meridiana luce patet. Sed, ut aliquid dicam breviter, considerandum est diversitatem notionum de Ecclesia derivari ex diversitate notionum ipsius religionis christianæ. Errores autem circa religionem Christi, duplici ex capite proveniunt, præcipue apud modernos. Quidam, enim, errant circa divinitatem Christi, alii vero falso dijudicant de intentione Christi de institutione Ecclesiæ.

Errant quantum ad divinitatem Christi: 1) Protestantes Liberales, qui scholam Ritschlianam sequuntur, uti Harnack, Schmiedel, Hatch, Sabatier et alii: ipsi divinitatem Christi negantes, dicunt ipsum erravisse circa ipsius adventum proximum in fine mundi (Parousia). Unde minime fuit in mente Christi institutio Ecclesiæ [1]. — 2) Modernistæ (Loisy, Tyrrell, etc.), hanc doctrinam, quoad substantiam, amplexi sunt. Attamen, admittunt Christum initium aliquod societatis instituisse. Tamquam norma fundamentalis istorum est: obediendum est Ecclesiæ, ut societati auctoritatis socialis; primaria autem et ultima fidei regula non est Ecclesia, sed cujusque conscientia a Spiritu Dei illuminata [2].

Alii, divinitatem Christi admittentes, circa intentionem ipsius errant; et hi sunt duplicis generis: *a*) quidam dicunt Christum non determinasse naturam et constitutionem Ecclesiæ. Immo fere omnes isti contendunt Ecclesiam a Christo institutam, esse essentialiter invisibilem. — *b*) Alii affirmant visibilitatem essentialem Ecclesiæ, sed errant circa infallibilitatem ipsius et Romani Pontificis. — Ex primis quidam putant auctoritatem ecclesiasticam annexam esse auctoritati

---

[1] Quantum ad formationem Catholicismi secundum rationalistas, vide Marx, *Hist. Eccl.*, p. 33 (ed. Ital.).

[2] Circa sententias individuorum, vide Schultes, *De Ecclesia*, p. 33.

civili, et sic in Cæsarismum incidunt (ita quidam Anglicani, multi Lutherani et fere omnes Græci, isti tamen affirmant visibilitatem Ecclesiæ) — alii auctoritatem Ecclesiasticam volunt adscribere toti christianorum multitudini, « quatenus omnes sub lege Nova sunt sacerdotes ». Ita Calvinistæ (Presbyteriani). — Alii, qui visibilem admittunt Ecclesiam, tenent auctoritatem Ecclesiasticam a Christo æqualiter apostolis eorumque successoribus, episcopis, collatam fuisse. Hi *Episcopalistæ* vocati sunt; sunt etiam Anglicani, Puseystæ seu Ritualistæ. Isti institutionem Episcopatus divinam esse contendunt, tamen omnes episcopi sunt æquales, aiunt; Romano Pontifici competit primatum, non jurisdictionis, sed honoris. Pauci, inter istos, tenent primatum jurisdictionis quidem, sed jure ecclesiastico, fuisse Romano Pontifici concessum. Immo, Lord Halifax an. 1895, concedit Romano Pontifici competere *primatum auctoritatis* jure divino quoque, non vero potestatis et jurisdictionis. Recentissime, vero, Lord Halifax admisit auctoritatem supremam R. Pontificis, sicut exprimitur in Conc. Chalcedonensi (cfr. *Catholic Times*, 17 Oct. 1925, et 19 Mar. 1926). Non clare tamen admittit infallibilitatem R. P. [1]

Hodie quam maxime fervet in Superiori Ecclesia Anglicana disputatio circa infallibilitatem Summi Pontificis. Profectus multus consecutus est in conversionibus ad Ecclesiam Romanam. Preces continuo Altissimo Deo funduntur ad diu desideratam sinceram atque plenam conversionem Anglicanorum ad Veram Christi Fidem.

Hæc quæ diximus in sequenti schemate ponuntur:

- Eccl. Protest. hodie div. sec. errores fundamentales
  - 1. Quoad Divinitatem Christi
    - Rationalistæ - (Parousia) Harnack, Sabatier.
    - Modernistæ - Loisy, Tyrrell...
  - 2. Quoad intentionem Christ., admit. tamen divinitatem
    - 1. Christ. non determinavisse naturam Eccl.
      - Cæsarismus.
      - Presbyterianismus.
    - 2. Christ. Summo Pont. non contulisse primatum jur. et infallibilitatis — Episcopalistæ.
      - Solum honoris - Pusey
      - Jure Ecclesiastico
      - Jure div. sed negatur infall. personalis.
      - Primat. Div. soli Petro - Ita Passmore(1925).

[1] In tertia sessione Conferentiarum quæ locum habebant in civitate Malinensi sub Em.mo Card. Mercier (Nov. 1923), Anglicani admiserunt sic dictum Primatum Responsabilitatis, quod est (ut aiebant) plus quam primatus honoris. In documento officiali, a Lord Halifax publicato, hæc leguntur: « One of the Anglicans said... that it was right to make it plain that they could not admit the « Universal Jurisdiction » claimed either for S. Peter individually or for the Roman Church, but only a *Spiritual Leadership* and a general solicitude for the well-being of the Church as a whole. To the objection that a mere primacy of honour cannot be admitted by the Roman Church, it was insisted that this was more than a Primacy of Honour, it was also a *Primacy of Responsability* » (Vide ephemeridem « The Universe », Jan. 20, 1928).

QUÆSTIO II.

De institutione Ecclesiæ.

Hæc quæstio in tres art. dividi potest, agendo I. de ipsa institutione Eccl.; II. de tempore quando instituta fuit; III. de fine ipsius.

Notandum est quod quantum possumus sequenti modo tractabimus singulos articulos: — 1. De *statu* et *sensu* quæstionis, ubi notandus est locus logicus articuli, et clare exponendum quid proprie quæritur; — 2. *Momentum* quæstionis, i. e. cujus momenti est quæstio, ita ut, secundum gravitatem magis profunde tractanda sit quæstio; — 3. *Sententia adversariorum* qua magis et melius intelligitur sensus quæstionis et momentum ipsius apologeticum; — 4. *Prænotamina* si occurrant; — 5. *Responsio Ecclesiæ* ad articulum qua a veritatis via minime decedemus; — 6. *Probatur art.* Primo quidem exponentur argumenta quasi « a priori », seu ex ratione, non quidem quia ista magis probant, sed quia melius uti possunt ad dispositionem bonam adversariorum; postea vero argumentandum est ex Sacra Scriptura, confirmando ex auctoritate Patrum, ex historia (ubi occurret) et ex convenientiis; — 7. *Solvuntur obiectiones,* quibus magis confirmetur conclusio. Hæc semel sint dicta pro semper.

Secundum methodum nostram, articulus *de institutione Ecclesiæ* ita exponi potest:

Articulus I.

UTRUM CHRISTUS ECCLESIAM INSTITUERIT ET QUIDEM IMMEDIATE

Status et sensus quæstionis. — Tractando de Ecclesia, oportet in primis de ipsius existentia argumentari. Quæritur proprie non de religione a Christo fundata, verum tamen de Ecclesia Christi, utrum sc. Christus revera fundaverit (i. e. fundamenta jecerit) atque instituerit (i. e. sec. S. Thomam, robur dederit et virtutem) societatem. Nam, nemo ex adversariis audet negare Christum prædicasse novam doctrinam, novam quamdam religionem. Item, quæritur an Christus per se ipsum (immediate), talem instituerit societatem, vel per alios.

Momentum quæst. maximum est: 1. pro tractatu nostro, quia est quæstio omnino fundamentalis; 2. pro valore apol. quia si Christus Eccles. instituerit, necesse est omnes eam agnoscere atque amplecti.

Adversariorum sententiæ. — Ex adversariis, circa institutionem Ecclesiæ, quidam, ut supra notavimus, errant quantum ad divinitatem Christi, alii vero quantum ad ejus intentionem. *a*) Ra-

tionalistæ, seu Protestantes liberales, nedum Christum instituisse Ecclesiam negant, vero etiam Ecclesiam fuisse præter intentionem Christi affirmant, ratione Regni Eschatologici. *b*) Modernistarum sententia est Ecclesiam esse partum conscientiæ collectivæ. Item, « Ecclesiam et sacramenta *mediate* a Christo fuisse instituta retinendum est » (Denz. n. 2088). *c*) Lutherus et Calvinus, ad auctoritatem Ecclesiæ evellendam, dixerunt Christum instituisse *Multitudinismum* (non vero universalem societatem) fidelium, qui simul aggregantur, propter eamdem fidem seu fiduciam, et sic diversas ecclesias constituunt, seu congregationes, unde nomen *congregationalistæ*, inter quos computandi sunt etiam Presbyteriani (cfr. Denz. 2091).

Prænotamina. — Per societatem intelligimus: « cœtus plurium ad communem finem junctis viribus tendentium » (Tanq., n. 606 — S. Thomas, *Contra impugnantes*, c. 3). Tria igitur supponit societas: *a*) multitudinem quamdam hominum, *b*) finem communem ad quem tendunt, *c*) et vinculum quo simul conjunguntur et in eumdem finem conspirant.

Responsio Ecclesiæ ad Articulum est omnino affirmativa et quidem « de fide » quoad utramque partem. Decretum pro Jacobitis, ex Bulla « Cantate Domino », 4 Febr. 1441 (Denz. 703): « Sacrosancta Romana Ecclesia, Domini et Salvatoris nostri *voce* fundata ». Item, Conc. Vaticanum (Denz. 1821): « Pastor æternus et Episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam *ædificare Ecclesiam* decrevit, in qua velut in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur »... Item, Pius X damnavit hanc propositionem: « Alienum fuit a mente Christi Ecclesiam constituere veluti societatem super terram per longam sæculorum seriem duraturam; quin immo in mente Christi regnum cœli una cum fine mundi jamjam adventurum erat » (Denz. 2052). — Item, in jurejurando contra errores modernistarum: « ... firma pariter fide credo Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum atque historicum Christum, cum apud nos degeret, proxime ac directe institutam... » (Denz. 2145).

Probatur Articulus. — **Arg. I.** Ex doctrina de Regno cœlorum. — Cum enim adversarii Christum prædicasse novum regnum admittant, optimum est nobis demonstrare hoc regnum esse Ecclesiam, veri nominis societatem. Non sic, utique, sentiunt adversarii. Secundum *Harnack*, regnum Dei est internum dumtaxat et spirituale, cujus essentia consistit in fiducia plena, filiali. *Reimarus*, vero, *Hartmann* et alii regnum Dei quod Christus prædicavit, regnum politicum fuisse contendunt, quod Christus (ut aiunt) tamquam rebellis, conatus est fundare, quapropter occisus fuit a

Romanis! *Loisy*, *Weiss* et alii tenent regnum esse *eschatologicum*, quod Christus annuntiavit ut proximum. Dicunt enim: « Jesus annuntiavit regnum Dei et venit (præter ejus intentionem) Ecclesia » (Lament. prop. 52, 53). Isti omnes negant visibilitatem Ecclesiæ essentialem; propterea melius confutandi sunt et plenius in illa quæstione. Attamen, hic, ad arg. propositum, notandum est, secundum sensum etymologicum, regnum Dei, seu cœlorum [1], - græce *basileia*, et hebraice *meleka* - correspondere 1° potestati regali, imperii, regiminis (sensus activus); 2° societati in qua talis potestas exercetur (sensus passivus). — Secundum Christi doctrinam (juxta catholicam exegesim), regnum Dei (exercitium potestatis regalis æternæ Dei) est simul *præsens* (initiale) et *futurum* (consummandum in vita æterna), — est insuper *internum* (spirituale) ac *sociale* (visibile).

A) *Regnum Dei est præsens.* « Appropinquavit (seu pervenit) in vos regnum Dei » Lc. x, 9. — « Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei » Lc. xi, 20. — « Impletum est tempus et appropinquavit regnum Dei » Mc. i, 15; sc. Christi præsentia. — « Ecce enim regnum Dei intra vos est » Lc. xvii, 20, 21 — xi, 2: « Adveniat Regnum tuum » Mt. vi, 10; sc. nunc et semper.

B) *Regnum Dei est simul futurum.* « Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum » Lc. xxiii, 42. — « Serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui » Mt. xxv, 21. — « Non intrabitis in regnum cœlorum » Mt. v, 20. — « Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum; filii autem regni (i. e. Israëlitæ) ejicientur in tenebras exteriores » Mt. viii, 11-12 etc...

C) *Regnum Cœlorum est internum* (*spirituale*). Contra generalem exspectationem Judæorum: « Regnum meum non est de hoc mundo » Jo. xviii, 36. — « Ecce enim intra vos est ». — *Origo* est Verbum Dei (parab. seminantis); *scopus* est salus animarum: « Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant » Joan. x, 10. *Media* sunt spiritualia et visibilia: « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit » Mc. xvi, 16. Commendantur virtutes uti in sermone supra montem, etc. *Conditiones* sunt spirituales; praesertim humilitas requiritur: « Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum » Mt. xviii, 3; item et charitas, uti in parabola de veste nuptiali etc. *Ingressus* est etiam spiritualis: « Nemo potest venire post me, nisi Pater traxerit eum » Jo. vi, 44. Requiritur *a*) *negative:* remissio peccatorum, *b*) *positive:* acquisitio virtutum: « Regnum cœlorum vim patitur... » Mt. xi, 12. — Tandem, exhibetur etiam ut

[1] Mt. scribens pro Judæis, dicit « regnum Cœlorum »; alii scribendo pro paganis, dicunt « regnum Dei ».

gratia vel *donum* Dei: « Placuit Patri, dare vobis regnum » Lc. XII, 32. « Confiteor tibi Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis: ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te » Mt. XI, 25-26. Et sic est donum etiam supernaturale, quod minime acquiri potest viribus propriis et humanis. — Unde est etiam considerandum ut *mysterium*, quod coincidit cum illo prædestinationis.

D) *Regnum Cœlorum est etiam sociale* (*visibile*). « Euntes in mundum universum prædicate Evangelium (i. e. regnum Dei) ...Qui crediderit et *baptizatus* fuerit salvus erit ». « Hoc facite in meam commemorationem ». Classicus textus: « Tu es Petrus et super hanc petram (Cefas), ædificabo Ecclesiam meam: ..... et tibi dabo claves regni cœlorum... ». « *Dic Ecclesiæ* »... etc. — Hoc quod hic dicimus clarius apparebit in quæst. de visibilitate Ecclesiæ.

His positis facile procedere possumus ad probationem argumenti, sc. quod regnum Dei est Ecclesia, uti vera societas. *Primo* quidem est Ecclesia, quia *a*) *negative:* secus regnum Dei nullo modo haberetur in hoc mundo; *b*) *positive:* identificatur enim regnum Dei cum Ecclesia; item, quæcumque de regno Dei dicuntur, dici possunt etiam de Ecclesia (Catholica). — *Secundo* est societas veri nominis: *a*) quia regnum de natura sua supponit vel saltem importat societatem; immo non potest regnum concipi sine societate; — *b*) jam diximus quod regnum Dei est Ecclesia, sed Ecclesia, ut ipsum nomen indicat, est societas, immo anthonomastice; — *c*) quia, in regno Dei habetur multitudo credentium, qui ad unum et eumdem finem ordinantur; — *d*) quia etiam synagoga erat societas, « a fortiori » ergo Ecclesia Christi, cum ipse non venerit solvere, sed adimplere, i. e. perficere.

De Institutione Ecclesiæ addere possumus notionem de regno Dei, prout ex *parabolis lacus* eruitur.

Octo habentur parabolæ, quarum septem apud Mt. c. XIII, inveniuntur, una tantum apud Mc. c. IV. His mediantibus Christus nobis ostendit quodnam sit hoc Dei regnum. Ad cujus notitiam quatuor requiruntur, sc. : 1) quantum ad *fundationem* ipsius, 2) quantum ad ejus *incrementum*, 3) quantum ad *ingressum* in ipsum, 4) quantum ad *ejus membra*, et *perfectionem* seu *consummationem*. Omnia hæc, octo parabolis, mirabili in modo describuntur.

1ª est parabola de *seminante:* « Ecce exiit qui seminat seminare... », in qua *fundatio Ecclesiæ* exhibitur. Semen autem est verbum Dei: « Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei ». — 2ª, 3ª et 4ª, *incrementum Ecclesiæ* explicant, secundum triplicem speciem incrementi, i. e. *a*) per incrementum vitale, spontaneum et certum; *b*) per incrementum extensionis, vel per vim extensivam; *c*) per vim intensivam, et transformativam. — Hæc

tria optime habentur: 1um in parab. de *semine ultro germinante et fructificante:* « Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram, et dormiat, et exsurgat nocte et die, et semen germinet, et crescat dum nescit ille. Ultro enim terra fructificet... » vers. 26 et seq. — 2um habetur in parabola de *grano sinapis:* « Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, et habitent in ramis ejus ». En vis extensiva. — 3um est in sequenti parabola, de *fermento*, vers. 33 et seq.: « Simile est regnum cœlorum fermento quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec *fermentatum est totum* ». En vis transformativa.

Ingressus in hoc regnum in duabus parabolis explicatur; etenim duplex est modus ingrediendi, sc. 1) quasi fortuito invenire ipsum, et hoc habetur in parabola de *thesauro abscondito*, vers. 44: « Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro: quem qui *invenit* homo... ». — 2) per inquisitionem; et hoc explicatur in parabola de *pretiosa margarita*, 45-46: « Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas... ».

Deinde *membra* hujus regni describuntur in duabus parabolis sc. de *bono semine et zizaniis*, et in illa de *sagena missa in mare*, vv. 36-43, 47-48. In istis docetur in Ecclesia militanti inveniri bonos et malos, qui tamen in die judicii separabuntur; et formatio Ecclesiæ erit completa.

Hæc omnia sequenti schemate proponuntur:

Ad rationem Ecclesiæ requiruntur	1. Fundatio Ecclesiæ		Parab. *Seminantis* (Mt. XIII).
	2. Incrementum	1. Increm. vitale, spontaneum	Parab. *De semine ultro germinato.*
		2. Increm. per vim extensivam	Parab. *De grano sinapis.*
		3. Increm. per vim transformativam	Parab. *De fermento.*
	3. Aditus in Ecclesiam	1. Fortuito	Parab. *De thesauro abscondito.*
		2. Per inquisitionem	Parab. *De bona margarita.*
	4. Consummatio		Parab. *Zizaniorum et piscium.*

Ex his dictis, igitur, patet Christum instituisse atque fundasse Ecclesiam ut societatem veri nominis. Utrum, vero, hæc societas sit ex natura sua visibilis, dicendum est postea, in quæst. de

constitutione Ecclesiæ ubi etiam refutabitur sententia regni mere spiritualis.

Ad *sententiam Regni eschatologici* quod attinet exponimus objectionem eorum et respondemus.

Objectio. — Dicunt rationalistæ et modernistæ: « Christus credebat finem mundi imminentem futurum fuisse. Propterea frustra fuisset si Christus Ecclesiam instituisset ». Ergo.

Prob. antecedens ex verbis Christi: « Estote parati . . . non transit hæc generatio, donec omnia fiant ». Item, S. Paulus: « *Nos* qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini non præveniemus eos qui dormierunt... simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo... » (I Thess. IV, 14).

Respondetur: I. Ex multis argumentis, præsertim ex prophetiis et miraculis, necnon ex verbis ipsius Christi, divinitas ejus suadetur; propterea nequimus admittere Christum erravisse, quin in multas contradictiones nos mergemus.

II. Neganda est *antecedens*, sc. verum non est Christum ita credidisse de fine mundi. Nam, *a*) Christus ipse testificat quod judicii nescimus diem et horam; ne Filius hominis quidem hoc sciebat, sc. ut nobis revelaret.

b) Ut optime notat P. Schultes, Christus regnum cœlorum ut ad tempus *ante finem mundi* pertinens edocet. Etenim regnum cœlorum *crescit* (parabolæ agri, seminis, grani sinapis, Mt. XIII); transit ad gentes...; comprehendit bonos et malos... tempus meriti et demeriti... (cf. Schultes, p. 45).

c) Christus prædixit multa signa præcedentia judicium, quæ nondum apparuerant tempore Christi vel apostolorum. Item, evangelium prædicandum erat in universo mundo.

d) Verba Christi « Non transit hæc generatio... », per generationem possumus intelligere totum genus humanum, sicut cum dixisset: « generatio viperarum », sc. non illius temporis tantum; — vel potest etiam interpretari pro hac ultima mundi ætate, sc. a Christo usque ad finem mundi. Et S. Paulus ne plus quidem sciebat quam Jesus de die judicii! Verba ipsius ab adversariis notata, legi oportet cum illis epistolæ alteræ (II Thess. c. II, vers. 1 et seqq.), quæ mentem Apostoli clare explicant: « Rogamus autem vos, fratres,... ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini... per epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini ». Verum est expectationem judicii popularem fuisse valde agitatam. Tam verum est, quod thessalonicenses putabant obviam Christo ire, sine comitatu familiarium eorum defunctorum. Ad corrigendum hunc primum errorem S. Paulus secundam epistolam eis scripsit. Attamen ubi prima dicitur « nos qui vivimus, qui residui sumus », S. Paulus loquitur secundum ipsorum sensum.

Nec opus erat eorum expectationem statim corrigere, cum ex ipsa in spiritu proficiebant, quia, revera, pro nobis ita dies Domini erit, sicut dies mortis nostræ, quem utique ignoramus, sed semper et incessanter expectamus. Ad propositum, verba veniunt in mentem nostram illa quæ ad sepulcrum Card. Ausiæ, in Basilica S. Sabinæ, Romæ, legimus:

« Ut moriens viveret,
Vixit ut moriturus ». (Cfr. P. Vosté « Ad Thessal. »)

Notaque omnibus sunt verba Domini: « Memorare novissima tua... ». — Unde hæc est voluntas Dei, ut adventum Christi expectemus tamquam imminens, atque ipsum consideremus tamquam furem, ad quem parati oportet nos semper esse.

e) Interpretes Catholici ly *Nos*, sumunt metaphorice, pro illis qui erunt.

f) Prophetiæ Christi de adventu suo proximo, possunt etiam sumi pro gloriosa sua victoria supra mortem, et supra mundum.

g) Quædam restrictiones circa prædicationem Evangelii, erant temporales, v. g. « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël », Mt. xv, 24. — « In viam gentium ne abieritis », Mt. x, 5. — Post resurrectionem vero inauguratio prædicationis erat universalis, ut patet ex verbis Domini: « Euntes docete omnes gentes », et ex facto diei Pentecostes.

h) Ultimo, ubi argumentis nostris adversarii restringuntur, ad ridiculam evasionem recurrunt, sc. quod textus nostri authentia carent!!!

Aliud argumentum.

Ille fundat aliquid, qui ejus fundamenta jacit; — leges præscribit, membra conjungit, atque ad unum finem ordinat; — et instituit, qui ei robur dat et virtutem. Quod quidem immediate facit, si hoc, ex seipso, absque ulla persona media, facit (cfr. Gatti O. P., *Institutiones Apol.-Polemicæ*, vol. III: *De Auctore Ecclesiæ*). — Atqui Christus fundamenta societatis christianæ immediate jecit: leges præscripsit, membra conjunxit, atque ad unum finem ordinavit et direxit, deditque veræ societatis robur et virtutem. Ergo...

Probatur minor. — *A*) *Leges præscripsit:* Mt. v, 17: « Non veni solvere legem sed adimplere », i. e. perficere. — Unde prosequitur, vers. 21: « Audistis quia dictum est antiquis: " Non occides ", etc... *Ego* autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio... »; — vers. 27: « Audistis quia dictum est antiquis: " Non mœchaberis ". *Ego* autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo »; — vers. 31: « Dictum est autem: " Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii ". *Ego* autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam

mœchari, et qui dimissam duxerit, adulterat »; — vers. 33: « Iterum audistis... " Non perjuraberis ". *Ego* autem dico vobis, non jurare omnino »; — vers. 38: « Audistis quia dictum est: "Oculum pro oculo et dentem pro dente ". *Ego* autem dico vobis, non resistere malo »; — vers. 43: « Audistis... " diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum ". Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos et orate pro persequentibus et calumniantibus vos... ». — NB. ly « *Ego autem* », est valde emphaticum, quasi potestatem Christus habeat supra legem Moysis. Mc.: « Et stupebant super doctrinam ejus; erat enim docens eos *quasi potestatem habens* et non sicut scribæ » (I, 22). — Item Christus habet præcepta propria observanda. Joan. XV, 12: « Hoc est *præceptum meum* ut diligatis invicem, sicut dilexi vos ». — *Ib.* XIV, 15: « Si diligitis me *mandata mea servate* »; — vers. 21: « Qui habet *mandata mea* et servat ea, ille est qui diligit me ». — Ex his et multis aliis textibus, qui citari possunt ex evangeliis, patet (non-cæcis) Christum novas leges præscripsisse, et quidem ut necessaria ad salutem. Quod etiam immediate fecit.

B) *Membra conjunxit* (contra Multitudinismum). — Hoc probatur ex dictis Christi et Apostolorum, ex factis et ex institutis.

1° *Ex dictis.* — Mt. XVI, 18: « Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ». En intentio Christi fundandi societatem, et visibilem quidem, quia fundamentum est visibile. — Joan. X, 16: « Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc *ovili;* et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet *unum ovile et unus pastor* ». Membra igitur quæ habent eadem mandata, conjunguntur tamquam in unum ovile unius pastoris. Item, Mt. XVIII, 17: « ...Quod si non audierit eos: *dic Ecclesiæ.* Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus ». Quid clarius? Ex his dictis apparet Christum fundasse veram societatem hominum, et visibilem quidem.

Eamdem omnino doctrinam docet S. Paulus. Ipse non est auctor Ecclesiæ, sicut falso supponit Harnack, sed eam tantum propagavit. Revera, ante conversionem ipsius, jam existebat Ecclesia: « Persecutus sum Ecclesiam Dei » (I Cor. XV, 9). Item, quod Christus sub figura ovilis docet, S. Paulus sub similibus figuris prædicat. Ponit enim Christum ut caput Ecclesiæ, quam considerat ut corpus Christi mysticum quidem, minime tamen excluditur visibilitas ipsius, quod etiam adversarii haud negant. Loquitur de Ecclesia ut Christi Sponsa: « Sacramentum (i. e. mysterium) hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia », Ephes. V, 32. Item, loquitur de Ecclesia Christi sub figura templi cujus fundamentum (principalissimum) est Christus ipse: « ... superædificati super fundamentum (Novi Testamenti) apostolorum et prophetarum (V. T.), ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis

ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino», Ephes. II, 20-21. — Hæc, sine dubio, unitatem membrorum indicant. Et hæc unitas non solum præter intentionem Christi non est, sed Christum ipsum habet auctorem et immediate quidem. Nam, ovile formatum est a Christo, templum non ab apostolis ædificatum est, sed a Christo super fundamenta Apostolorum, et Ipse est caput anguli. Ipse sponsam suam creavit, atque se ipsum tradidit pro ea; Ipse quoque mandavit apostolos in omnem terram ad evangelizandum *omnes gentes*. Unde omnino falsum est asserere Christum instituisse societatem quamdam localem, destinatam pro judæis tantum. Quonam jure, igitur, Harnack aliique Ecclesiæ adversarii tamquam verum asserunt, quod contra tantam evidentiam contendit?

2º *Ex factis*. — Sed insuper, hæc membrorum conjunctio adhuc ex facto ipso historico demonstratur. Magna enim judæorum multitudo Christum secuta est, quod plane apparet in toto evangelio. Verum quidem est non omnes Christum intellexisse; attamen asserere Christum non habuisse quosdam veros discipulos, vel non habuisse intentionem societatem novam fundandi, omnino ridiculum est illis qui notitiam habent Evangelii. Et hæc Christi societas quam maxime apparet quando, jam formata, promulgata est in die Pentecostes, secundum promissionem Christi: « Et Ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto » (Lc. XXIV, 49).

3º *Ex institutis*. — Ultimo probatur hæc conjunctio membrorum ex institutis Christi: et primo quidem ex institutione auctoritatis tum in gubernando Ecclesiam, tum in absolvendo peccata ceteraque administrando sacramenta. Mt. XVIII, 15 et seqq. « *dic Ecclesiæ... si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* ». Quid clarius dici potest? Lc. X: « Post hæc autem designavit Dominus et alios septuaginta duos et misit illos binos... Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit. Qui autem spernit me spernit eum qui misit me ». Item, Mt. in fine: « Data est mihi omnis *potestas* in cœlo et in terra; euntes ergo (sc. cum potestate) docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. *Et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* ». Item, Jo. XX, 21: « Pax vobis: sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt ». Deinde, quoad Eucharistiam notum est Christi mandatum: « Hoc facite in meam commemorationem », Lc. XXII, 19.

NOTA: Circa quædam sacramenta expressa mentio in Evang. non invenitur, tamen doctrina Catholica de his in traditione apostolica tutissime fundatur, prout plenius videndum est in tractatibus sacramentorum particularibus.

C) *Membra hæc conjuncta ad unum finem ordinavit.* — Finis proximus institutionis Ecclesiæ est salus animarum. Mc. xvi, 16: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur ». Et ideo, sicut unus et idem est finis, ita una et eadem est fides, eademque sunt media. Et sic indicatur ingressus in Ecclesiam visibilis quidem, sc. per baptismum. Unde Apostolus: « Unus Dominus, una fides, unum baptisma », Ephes. iv, 5. Finis missionis Christi et Ecclesiæ clarius apparet apud Joan.: « Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant » (x,10). — « Hæc autem est vita æterna, ut cognoscant Te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum » (xvii, 3). Cognoscant sc. per magisterium Ecclesiæ: « Euntes docete omnes gentes omnia quæcumque *mandavi vobis* »; « Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus ». Hic est finis proximus Ecclesiæ, qui ordinatur ad finem ultimum, i. e. ad consummationem perfectam corporis Christi mystici. Joan. xvii, 20: « Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut *omnes unum sint*, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint... Ego in eis, et tu in me ut sint *consummati in unum* ». Unde, « videbimus eum sicuti est, facie ad faciem ». Et « nos omnes, revelata facie, gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu » (II Cor. iii, 18).

Quid igitur concludendum est? Forsan Christus societatem universalem atque æternam non fundavit? Minime. Et valde mirum est, adversarios tantam fulgentem veritatem non videre.

D) *Deditque veræ societatis robur et virtutem.* — Item, statuimus supra quod *instituere*, secundum S. Thomam (III, q. 64, art. 2 in *Sed contra*), significat robur dare et virtutem. Christus quidem robur et virtutem veræ societatis (humano-divinæ) dedit Ecclesiæ. Primo quidem per institutionem auctoritatis; secundo per institutionem sacramentorum; tertio et præcipue per gratiam (auxilium) internam. « Sine me nihil potestis facere »... « Nolite timere, ego vici mundum » ... « Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculorum... ».

Ergo Christus, per novas leges, per conjunctionem membrorum et ordinationem ipsorum ad unum finem, per robur et virtutem, veram fundavit et instituit societatem.

Hoc factum ita verum est, ut *tota traditio*, a tempore apostolorum, traditio quidem publica, ampla, continua et uniformis, ipsum quam maxime confirmat. Actus Apostolorum, Didaché, Patres Apostolici ceterique Patres, nemine refragante, hanc veritatem, clarissime testificant. (Ad textus particulares vide apud P. Schultes, *l. c.*) Et hoc etiam indirecte sed valide confirmatur ex *argumento præscriptionis*, sc. ex hoc quod adversarii admittunt

Ecclesiam fundatam fuisse circa medietatem sæc. II. Etenim, ut optime notat P. Schultes, si Ecclesia opus humanum fuisset minime explicari posset *a*) ejus uniformitas in universo mundo; *b*) ejus assertio juris divini sine ulla oppositione ne ab hæreticis quidem; *c*) immo, ejus admissio ut societas divinitus instituta; *d*) item, ipsius evolutio ab adversariis supposita minime explicatur per mutationes insensibiles: « quod instituta et jura humana tamquam instituta et jura divina tenerentur et crederentur, est mutatio multo gravior quam mutatio monarchiæ in rempublicam », i. q. historicos haud effugit. — Et hæc omnia majorem vim argumentativam acquirunt, quando consideramus historicas circumstantias in quibus Ecclesia vixit primis temporibus. Cfr. *Historia Eccles.*, cap. *De Persecutionibus.*

His breviter addimus *rationes quasdam convenientiæ:*

a) Sapientis est ordinare. Multitudo individuorum per societatem postulat ordinari. Christus vero sapientissimus est. Ergo...

b) « Gratia non tollit naturam sed eam perficit » (*Sum. Theol.* I, q. 1, art. 7). Atqui homo ex natura ipsa ad societatem est ordinatus. Ergo « a fortiori » in ordine supernaturali ordinari debet per societatem.

c) Religio judaica societas erat. Ergo « a fortiori » Christi religio, quæ est perfectior.

Ex his, igitur, omnibus bene et simul consideratis, omnino rationabile est et secundum veritatem dicere (quod ita est de facto) Christum Ecclesiam revera fundasse et instituisse veram nominis societatem. — Ita clara est solutio ut fere nec probatione indigeat, nisi propter perfidiam adversariorum, qui etiam ridiculis suppositionibus evellere conantur Christi Ecclesiam ex fundamentis ipsius.

OBJECTIONES

Objectio I. — Societas auctoritatis tollit libertatem spiritus.

Respondetur: Societas auctoritatis illegitimæ tollit libertatem spiritus, *concedo.* Societas auctoritatis legitimæ tollit libertatem spiritus, subdistinguo: tollit libertatem falsam, seu male intellectam, *concedo;* tollit libertatem veram, *nego.*

Explico: Auctoritas debet esse legitima, secus non est auctoritas sed abusus auctoritatis, seu usurpatio juris. Hæc legitima auctoritas nedum libertatem non tollit, sed eam perficit. Enimvero, libertas, quæ, juxta S. Thomam, importat dominium et potestatem sui actus ad opposita (I, q. 83, art. 3 et 4), proprie consistit in facultate eligendi media ad bonum finem consequendum. Sub legitima auctoritate autem media apta efficaciter eliguntur et custodiuntur. Propterea, per legitimam auctoritatem libertas vera per-

ficitur. Si autem per libertatem intelligunt adversarii *autonomiam rationis*, tunc revera legitima auctoritas tollit hanc libertatem, quæ vera libertas non est, sed insubordinatio diabolica et maxima superbia.

II. — Christus instituit religionem humanitatis: « Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo », Jacobi I, 27. Atqui talis religio non importat rationem veræ societatis. Ergo...

Resp.: *Dist. maj.*: Christus religionem humanitatis instituit secundum sensum omnium præceptorum ipsius, *concedo;* secundum sensum naturalisticum adversariorum, *nego.*

Explico: Hoc valde proprium est adversariorum: ad quosdam textus tantum respiciunt, ad alios vero oculos claudunt. Vera sunt utique quæ Jacobus hic docet, ista tamen minime abrogant alia dicta Christi et apostolorum.

III. — Nemo instituit quod jam est. Atqui Ecclesia jam quasi a principio mundi existebat. Ergo...

Resp.: *Dist. maj.*: nemo instituit quod jam est, sub eadem forma quod est, *concedo;* sub alia forma, *nego.* Contradist. *min.* Nego *consequens* et consequentia.

Explico: Christus instituendo Ecclesiam, naturam genericam Ecclesiæ militantis non mutavit, sed naturam quamdam specificam status. Ad rem notanda sunt sequentia ex Gatti deprompta (*Institutiones Apologetico-Polemicæ*, vol. III, ed. an. 1867). — Aliud est loqui de essentia Ecclesiæ, aliud de ejus forma et statu. Essentia Ecclesiæ militantis consistit in fide: « *Sponsabo te mihi in fide* » (Ose. II, 19). — Conservatur hæc essentia in triplici statu, legis naturæ, legis scriptæ, legis gratiæ (p. 344). — « Status, etsi Ecclesiæ essentiam non variant, eam tamen ad aliquam extrinsecam formam contrahunt ». — In definitione Tridentina: « Ecclesia est convocatio fidelium », planum est, Ecclesiam spectatam fuisse in sua essentia, abstractione facta ab ejus statibus (p. 345). — Nihilominus considerata sub forma quam habuit ab ipso Christo, fidei auctore et consummatore, definienda est non modo quadam formula comprehendente essentiam genericam, verum etiam essentiam specificam status gratiæ; eo quod in hoc statu quædam sunt essentialia, quæ tunc non erant (p. 346). — Hæc sunt quæ ad formam Ecclesiæ Nov. Test. pertinent, i. e. ad formam externam, uti sacramenta, regimen etc. (p. 362); et pertinent ad essentiam Ecclesiæ ratione corporis (p. 426). Immo, « forma exterior, spectata relate ad Christum institutorem, est *accidentalis:* nam ipse poterat aliam formam Ecclesiæ conferre, modo voluisset: at posito quod hanc, quam habet, contulerit, ut revera contulit, ea nunc est essentialis; neque

amplius mutari potest: quippe voluntas Dei est immutabilis» (p. 546). Unde optime Melchior Canus: « Baptismus est fidei sacramentum, quod proprie Ecclesiæ membra partesque facit, et Christi Ecclesiam a synagoga distinguit » (*De Loc.* lib. 4, c. 2).

Instabis: Ergo Ecclesia ante Christum existens erat defectibilis; quod est impossibile cum esset opus Dei.

Resp.: Erat defectibilis relate ad novum statum Ecclesiæ Christi, *concedo;* relate ad tempus illud et circumstantias Vet. Test. *nego.* — « Cum Deus perfectus sit in operibus suis, perfectionem dedit omnibus secundum eorum modum » (I, q. 91, art. 1). — Homo, cum sit puer, totam habet humanitatis rationem, et secundum hoc est perfectus; relate ad virilitatem autem est defectibilis et revera deficiens.

Scholion I. — Utrum Ecclesia Christi triumphans sit *essentialiter* eadem ac Ecclesia militans.

Videtur quod non: Nam *a*) essentia Ecclesiæ militantis est fides, ut supra diximus; fides autem in cœlo non est. Ergo...

b) Ecclesia militans est essentialiter *visibilis:* Ecclesia vero triumphans est essentialiter *invisibilis.* Ergo.

Sed contra est: Christus enim *unam* tantum Ecclesiam fundavit quæ triplicem habet statum.

Respondeo dicendum quod non est idem aliquid pertinere ad essentiam, et esse essentia alicujus rei. Sicut intelligere per recursum ad phantasmata pertinet ad essentiam animæ, tamen non est ipsa animæ essentia. Aliquid autem potest pertinere ad essentiam alicujus *dupliciter:* uno modo ratione ipsius essentiæ, sicut animalitas seu rationabilitas ad essentiam hominis; — alio modo vero ratione status, sicut intelligere per recursum ad phantasmata pertinet ad essentiam intellectus humani, ratione status præsentis vitæ, ubi anima unitur corpori. Quod autem ratione status dumtaxat pertinet ad essentiam mutato statu, jam cessat ratio amplius pertinendi ad essentiam, nisi potentialiter, in quantum sc. potest res in prævium statum pervenire. — Ita dicendum est circa fidem. Fides non est essentia Ecclesiæ, ut sic, sed essentia Ecclesiæ militantis, i. e. pertinet ad Ecclesiam ratione status, et ratione charitatis. Charitas enim est quæ animat corpus Christi mysticum, et ita se habet ad Ecclesiam (prout comprehendit omnes status) materialiter consideratam, sicut anima ad corpus. Et sic patet responsio ad primum.

Ad 2um respondeo sicut supra, sc. visibilitas non est essentia Ecclesiæ, sed pertinet ad essentiam ipsius *ratione status.*

Scholion II. — Quando Ecclesia Christi instituta et fundata est?

Respondetur ad hanc quæstionem quod tria momenta sunt consideranda: 1° quidem Christus *præparavit* homines ad accipiendam novam religionem; quod factum est per Christi prædicationem. — 2° per *institutionem* auctoritatis et sacramentorum. — 3° per *promulgationem* in die Pentecostes. — Quæ universa supra notavimus.

Nota: Christi sacrificio per mortem ipsius completo, Ecclesia sancita est atque effectus salutis *immediate* consecutus est, ut patet ex evangelio. Hæc autem secundum Patres, significantur per apertionem Christi lateris, ex quo *miraculose* continuo « exivit sanguis et aqua ». Hoc autem plenum est mysteriis, sed inter cetera hoc unum manifestat maxime: amorem immensum Christi erga Ecclesiam. Sicut a latere Adæ dormientis formata est Eva, ita a Christi latere in ara crucis pendentis formata est Ecclesia: ex divino amore parta est. Duo enim sacramenta maxima per aquam et sanguinem indicantur, sc. baptismum, quod est janua Ecclesiæ, et Eucharistia, quod est finis sacramentorum. Unde morte Christi opus ipsius consolidatur, confirmatur atque consecratur. Optime, igitur, Angelicus Magister, fidelis traditionis catholicæ testis, inquit: « per sacramenta quæ de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia » (III, q. 64, art. 2 ad 3um).

Articulus II.

UTRUM HOMINUM SANCTIFICATIO SIT FINIS ECCLESIÆ PROXIMUS

Status quæstionis. — Ratio huius articuli procedit ex natura societatis. Enimvero, absurdum esset de societate cogitare carente fine. Finis est quod maxime ad existentiam et unitatem societatis confert. Postquam, igitur, de institutione Ecclesiæ argumentati sumus, conveniens est, ut de fine ipsius disseramus.

Momentum Articuli, pro adversariis est ut possint melius cognoscere Dei voluntatem quoad salutem ipsorum æternam, ex quo diligere deberent Christi Ecclesiam. Pro Catholicis vero, ut melius sciant rationem quare in Ecclesia existunt.

Adversarii. — *Priores Protestantes*, qui Ecclesiæ auctoritatem conati sunt evellere, ipsius necessitatem ad hominum sanctificationem nedum negabant, sed ipsam hominibus præsentabant uti Satanæ opus ad destructionem animarum ordinatum. Consequenter ipsi sanctitatem acquiri dicebant per solam in Christum fidem (i. e. fiduciam), mediaque præcipua esse prædicationem atque privatam Sacrarum Scripturarum lectionem, cum supposita privata divina inspiratione. — *Protestantes hodierni* (liberales) Sacram Scripturam considerant ut librum historicum, atque legendis quidem saturatum. Ponunt autem sanctitatem consistere in erga homines humani-

tatem, erga Deum vero filialem amorem et fiduciam. Ita præsertim Harnack. Alii hodierni protestantes, ducente Thoma Hamblin (Chichester, England), ad sanctitatem evangelicam tendunt per solam meditationem atque contemplationem divinorum per exercitium virtutum. Cultum externum tamquam accidentale et liberum considerant (cfr. organum ipsorum, *Science of Thought Review*). — *Modernistæ*, ad naturalismum magis appropinquantes, sanctificationem hominum dicunt effici per evolutionem sensus religiosi et subconscientiæ (cfr. decr. *Lamentabili*).

Prænotamina: 1° Finis (generaliter loquendo) est « id cujus gratia aliquid fit ». Finis proximus est id quod aliquis *immediate* intendit, per quod finem ultimum attingit.

NOTA: Divisio finis proponitur a Joanne a S. Thoma, et sequenti schemate explicatur:

Finis
- ex parte modi finalizantis seu causandi
  - finis cujus gratia
    - ultimus...
    - intermedius, seu proximus
      - objective (finis *qui*)
      - formaliter (finis *quo*).
  - finis cui
    - superior — ad Dei gloriam
    - inferior — mors Christi pro nobis.
- ex parte rei finalizantis, i. e. essendi
  - finis operis
    - effectus (ex operatione per se procedens)
    - obtentus (non per se procedens ex operatione).
  - finis operantis
    - principalis (Ecclesiæ: Bona Spiritualia)
    - secundarius » Bona Temporalia).

2° Nomen sanctificationis in sensu stricto sumimus, et intelligimus: « mundationem a peccatis atque confirmationem in bono, quam Christi gratia ad ordinem supernaturalem efficit ». Cfr. S. Th. II-II, q. 81, art. 8.

3° Causa gratiæ et justificationis secundum doctrinam Catholicam, sic dividitur:

Causa
- *principalis independens* est solus Deus. Cf. III, q. 64, a. 1.
- *principalis indep.* est Christus ut *Deus:* Potestas Auctoritatis.
- *instrumentalis*
  - Per *instrumentum conjunctum:* Humanitas Christi: potestas ministerii principalis seu *potestas excellentiæ:* Causa meritoria et effectiva per passionem Christi. III, q. 64, art. 3.
  - Per *instrumentum extrinsecum:* potestas ministerii secundarii: per ministros Christi (*ibid.*).

NOTA: « Eadem est ratio ministri et instrumenti » (*ibid.*).

Unde sanctificationis auctor est Deus. Ecclesia vero est societas in qua, via ordinaria Providentiæ, omnes homines sancti-

ficari debent. Dicitur: *via ordinaria*, quia via extraordinaria etiam extra corpus Ecclesiæ vera sanctitas supernaturalis haberi potest.

Ad Articulum respondetur affirmative: doctrina secundum explicationem datam, est de fide, et coincidit cum illa Catholicorum sententia: « Extra Ecclesiam nulla salus ».

Probatur Articulus. — **Arg. I.** Nemo ex adversariis dubitat, Religionem Christi ad sanctificationem hominum esse ordinatam. Atqui, Christus, religionem suam in Ecclesia condidit; ut per Ecclesiam attingeret finem ipsius religionis (art. præced.). Ergo finis Ecclesiæ est sanctificatio hominum; et quidem talis finis est proximus, quia ad ipsum immediate Christi religio ordinata est, consequenter etiam Ecclesia.

Arg. II. *Ex Sacra Scriptura.* — Christus eo missus est ut homines sanctificarentur. Atqui, Ecclesia vices Christi gerit ejusque missionem perpetuo continuat, et omnia media in ea sunt ad sanctificationem idonea. Ergo...

Major fere a nemine negatur. *Minor* probatur per partes:

a) *Ecclesia vices Christi gerit ejusque missionem continuat.* — Probatur: 1° ex missione Apostolorum eorumque successorum. Joan. xx, 21: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ». Lc. x, 16: « Qui vos audit me audit... ». — Rursus, Joan. xv, 16: « Ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat ». — 2° Ex divino adjutorio ad missionem illam sanctificam complendam. Mt. xxviii, 20: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi ». — Item, ex promissione Spiritus Sancti, cfr. Joan. xiv, 16. — Item, ex divinis charismatibus, cfr. *Actus Apostolorum.*

b) *Omnia media in Ecclesia, sunt ad sanctificationem idonea.* — Talia sunt 1) in Ecclesia activa: officia prædicandi, baptizandi, ligandi atque solvendi peccata, aliaque sacramenta administrandi; — 2) in Ecclesia passiva: receptio sacramentorum, orationes publicæ, assistentia ad sacrificium altaris, disciplina in moribus, charitas fraternitatis etc.

Arg. III. *Ex Historia Ecclesiæ primitivæ.* — Ut patet ex Actibus Apost., et ex patrologia primæ periodi: cfr. Didaché, Epistolæ S. Clem. Romani, S. Ignatii, Acta Martyrum præsertim S. Polycarpi, epist. ad Diognetum etc.

Arg. IV. *Ex testimoniis Patrum.* — Patres enim unanimiter docent: oportere homines in Ecclesia esse ut perveniant ad salutem.

Corollarium. Non est vera Christi Ecclesia illa quæ sanctificationem hominum efficere nequit.

OBJECTIONES

Objectio I. — Homines debent prius sanctificari quam incorporari Ecclesiæ.

Resp.: *Distinguo:* debent prius sanctificari *improprie* (dispositive), *concedo; proprie* (formaliter), *nego.*

Instantia: Atqui debent sanctificari proprie. Nam homines sunt in Ecclesia quia sunt sancti, non vero sunt sancti quia sunt in Ecclesia.

Resp.: Possumus retorquere argumentum. Sed *distinguimus:* Homines sunt in Ecclesia quia sunt sancti, i. e. quia vocati sunt ad sanctitatem, *concedo;* quia sunt sancti, i. e. perfectissimi, *nego.* Ut aliquis sit in Ecclesia non necesse est ut sit perfectissimus. Item, neque Ecclesia sola facit sanctos, neque sancti soli faciunt Ecclesiam. Sed sancti sunt per Ecclesiam (ut instrumentum ordinarium sanctificationis) et per cooperationem liberi arbitrii. Item, in Ecclesia adsunt nedum justi sed etiam peccatores, ut videndum est infra.

II. — (Ex De Groot, p. 57 et seq.). Sanctitas efficitur per unionem cum Christo immediatam. Ergo non per Ecclesiam...

Resp. (cum De Groot): *Dist. antec.:* et hæc unio per Ecclesiam excluditur, *nego;* efficitur, *subdist.:* instrumentaliter, *concedo;* principaliter, *nego.*

« Christus in ordine supernaturali Ecclesia tamquam *conditione* et *instrumento*, sibi subordinato, ad homines sanctificandos utitur, quemadmodum in ordine naturali causæ secundæ a Deo adhibentur, quibus aliquam divinæ activitatis suæ participationem largitus est ».

Instantia: Atqui hæc unio non efficitur ullo modo per Ecclesiam. Ergo... Religio christiana in affectu erga Deum consistit. Atqui homini sic affecto nulla Ecclesia opus est. Ergo...

Respondeo: *Dist. maj.:* Christiana religio in eo affectu consistit ex parte, *concedo;* tota, *nego.* Et *dist. min.:* nulla Ecclesia affectui opus est, ut *forma* affectus, *concedo;* ut causa quædam affectus, *nego.* — Vera religio in eo consistit, ut Deo juxta legem divinam serviamus. Porro probatum est religionem christianam a Christo Deo in formam Ecclesiæ institutam fuisse. Ergo Ecclesiam habeat matrem, qui vult Deum habere patrem. Re quidem vera affectus erga Deum *formaliter* in anima tantum residet, at Ecclesia sub Christo est *causa instrumentalis*, quæ huiusmodi affectus gignat et nutriat. Ita De Groot.

Instantia: Atqui neque Ecclesia ut causa affectui opus est. Ergo stat difficultas. Opus non est affectui formæ inanes quæ ad hominem sanctificandum nihil conferunt. Atqui vita ecclesiastica

consistit in formis inanibus, quæ ad hominem vere sanctificandum nihil conferunt. Ergo...

Respondeo: Possumus negare *minorem*, et quærere ipsius probationem. Sed dist. cum De Groot: Vita ecclesiastica est forma inanis in ecclesiis falsis, *concedo;* in Ecclesia Christi, *nego*. «... Ecclesiæ Christi forma *viva* est; continet enim prædicationem veritatum nobilissimarum, sacramenta salutifera, multitudinem gratiarum vivificarum eaque bona quæ Christus Ecclesiæ suæ plurima pollicitus est». Ita De Groot.

QUÆSTIO III.

De constitutione Ecclesiæ.

Posito Ecclesiam institutam esse, recte quæritur nunc *de constitutione ipsius*. Cum vero in quocumque humano seu divino-humano constituto, elementa, ex quibus constituitur et determinatur, se habeant tamquam *materia* et *forma*, quærendum est 1) de elemento *materiali* constitutionis Ecclesiæ; 2) de elemento *formali*. Quantum ad *primum* dicendum est *a*) utrum hoc elementum materiale sit revera tale, et essentialiter pertineat ad constitutionem Ecclesiæ; propterea tractandum est, cum De Groot, de visibilitate Ecclesiæ; *b*) videbimus ex quibus hominibus Ecclesia constituitur. — Quantum ad elementum *formale*, duo ponemus: *a*) quæstionem de hierarchia Ecclesiæ; *b*) de regimine ecclesiastico. — Ad complementum hujus quæstionis adjungemus appendicem: « De corpore Christi mystico ».

I. DE ELEMENTO MATERIALI CONSTITUTIONIS ECCLESIÆ

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTI ECCLESIA SIT ESSENTIALITER VISIBILIS

Status et sensus quæstionis. — Agitur de fundamentali elemento Ecclesiæ secundum notionem catholicorum, quam exposuimus in quæst. prima. Definitio catholicorum a nobis tradita secum fert essentialiter visibilitatem Ecclesiæ: secus illa definitio esset omnino falsa. — Quæritur, igitur, an sit de essentia Ecclesiæ ut ipsa sit visibilis, i. e. potestne Ecclesia existere quin sit visibilis? Ecclesia militans potestne concipi sine visibilitate? Christus voluitne Ecclesiam suam fundare essentialiter visibilem? En quæstio.

Momentum hujus quæstionis maximum est ut omnibus patet. Agitur enim de quæst. omnino fundamentali et vitali.

Adversarii. — Jam sæculo IV *Donatistæ* Ecclesiam intellexerunt tamquam cœtum justorum. In medio ævo, quidam auctoritatem Ecclesiæ docentis abhorrentes, ipsam declaraverunt consistere ex solis prædestinatis, consequenter essentialiter invisibilem esse. Ita *Wicleff* et *Huss.* — Ita etiam pseudo-Reformatores, *Lutherus* et *Calvinus*, qui in sola fide posuerunt salutem. Et ad aufugiendam catholicam veritatem, duplicem Ecclesiam distinxerunt, sc.: Ecclesiam *promissionum*, cui indefectibilitas, infallibilitas aliaque charismata promissa sunt a Christo, et hæc est essentialiter invisibilis, — et Ecclesiam materialiter consideratam, seu *multitudinismum*, de quo jam aliquid diximus. Visibilitas, igitur, Ecclesiæ se habet tamquam *accidens*, quod potest separari ab ipsa Ecclesia, et aliquando Deus ipse, ait Calvinus, exteriorem suæ Ecclesiæ notitiam ab hominum aspectu auferat. Cfr. Calv. in *Institutionibus.* — Lutherus vero apertius: « Quis, inquit, Ecclesiam nobis mostrabit, *cum sit occulta in spiritu, et solum credatur?* » (cfr. *De Abrogatione Missæ Privatæ*). — Hanc distinctionem invenerunt sic dicti Reformatores tamquam viam ad fugam, cum non potuerunt respondere ad quæsitum catholicorum: Ubi eratis ante hanc vestram reformationem? Defecitne ergo Ecclesia Christi? — Unde distinxerunt... et distinguunt. — Hodierni autem Protestantes (liberales), quia in visibilitate Ecclesiæ inveniunt effrenatæ eorum libertatis forcipem invisibilitatem prædicant Ecclesiæ tamquam dogma omnino fundamentale, illi ipsi protestantes qui catholica dogmata in odio habent, quia hæc (aiunt) intelligentiam (autonomiam rationis) coarctant, et viam ad profectum scientiæ claudunt. Unde regnum Dei aliud non est nisi regnum mere spirituale! Ita *Harnack*, *Sabatier* et alii (vide Schultes, p. 43). « Communio directa cum Deo, ait Harnack, quæ est substantia novæ religionis, reddit inutilem cultum traditionalem et sacerdotium » (cfr. *Essenza del Cristianesimo*, conf. IX, trad. Ital. p. 174).

Ipse cum Sabatier et Sohm « elementum sociale quidem legitimum tenent, tamen, ut secundarium et accessorium, i. e. ad ideam et essentiam cœlorum minime pertinens ». Christus, secundum Harnack (qui ejus divinitatem negat), non habuit intentionem Ecclesiam fundandi a synagoga separatam, sed populum judaicum conatus est in spiritu elevare nova mediante religione, cujus essentia erat: Fiducia in Patre cœlesti. Unde Christi Ecclesia erat tamquam repræsentatio Ecclesiæ cœlestis, idealis, et erat localis. Sanctus Paulus tamen, eam transformavit, quoad formam externam, et hæc res in primis temporibus ut accidentalis considerabatur, deinde ut essentialis (cfr. *l. c.*, Conferentia IX). Consequenter Auctoritas in societate sic dicta christiana est mere humana, nullo modo

divina. Et error jam incepit ab ipsis apostolis qui Christum considerabant verum Filium Dei naturalem, et verum Deum, præsertim post creditam [1] ejus resurrectionem.

Prænotamina: 1) Visibilitas Ecclesiæ definitur: « Ea militantis Ecclesiæ constitutio, qua cum judicii certitudine in concreto discerni potest ut vera Christi Ecclesia ». Ita De Groot, p. 68. — Visibilitas ergo est proprietas quædam proveniens ex constitutione Ecclesiæ.

2) Agitur, igitur, de cognitione Ecclesiæ non mere materiali, sed præcipue de formali cognitione, qua, sc., Ecclesia ut vera Christi discernitur.

3) Hæc visibilitas est inseparabilis ab Ecclesia; promanat enim ex ipsa natura Ecclesiæ, et ideo est essentialis, tamquam propria Ecclesiæ non vero mere accidentalis.

Ad Articulum responsio est affirmativa, et quidem de fide. Nam quatuor *notæ* quæ habentur in symbolo, *visibilitatem* necessario supponunt. Unde Conc. Vat. Sess. III: « Ut autem officio veram fidem amplectendi in eaque *constanter* perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum Unigenitum, Ecclesiam instituit, suæque institutionis *manifestis* notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati, ab *omnibus posset agnosci* ». Cfr. Denz. 1793, 1821, 961, Ed. XIII.

Probatur Articulus. — Arg. I. *Vera* Societas humana, etiamsi informetur essentialiter elemento divino, remanet essentialiter visibilis. Atqui, Ecclesia Christi est *vera* societas humana, i. e. adunatio hominum ad unum aliquid communiter agendum et consequendum, informata tamen essentialiter elemento divino. Ergo Ecclesia est essentialiter visibilis.

Major declaratur: Societas ut recte a nobis definita est, sc. adunatio hominum ad unum finem consequendum, quæ *per media visibilia, per compactionem hominum non tantum moralem, sed etiam visibilem attingit finem, ut* VERÆ *societati* HUMANÆ *competit*, est essentialiter visibilis, etiamsi principium unitivum formale et animativum sit invisibile.

---

[1] Unde quantum ad originem Ecclesiæ ait egregius rationalista: « Di questa sua famiglia (dei dodici apostoli) egli (Cristo) non aveva fatto una società ordinata ad un fine religioso — poichè egli fu il maestro degli apostoli e dei suoi primi seguaci — ma è certo che tra i suoi discepoli si costituì una comunità nella quale dobbiamo cercare il principio e la ragione di tutte le posteriori vicende del cristianesimo. Ora quali erano i cardini di questa nuova comunità? — Secondo me erano questi: 1. Gesù era il Dio vivente, il Signore da tutti riconosciuto; 2. ogni associato, compresi i servi di ambo i sessi, non viveva che per la religione, e sentiva di essere unito a Dio con un vincolo reale; 3. tutti facevano vita santa e pura e si amavano come fratelli, aspettando il prossimo ritorno di Cristo » Conferenza IX. — Nos autem præferremus cum Apostolis errare, qui sedebunt super duodecim tribus Israel, quorumque nomina scripta sunt in cœlo, — quam veritatem (!!) harnackianam sæculi XX, amplecti.

Declaratur minor: Talis est Ecclesia Christi, sc. adunatio hominum qui finem attingunt (via ordinaria) per media visibilia, sc. per sacramenta, per sacrificium altaris, per regimen. — Elementum formale et divinum nedum hæc media non excludit, sed per ea (via ordinaria) communicatur et augetur. Elementum invisibile est gratia sanctificans, virtutes infusæ etc.

Nota: Minime negamus potuisse Deum Ecclesiam uti meram societatem moralem et invisibilem instituere, tamen quæstio non est *de posse*, sed *de facto*.

Unde recte Billuart: « Duo in Ecclesia attendi possunt: unum interius, quod quidem vocant animam Ecclesiæ, et est fides (animata), qua membra Ecclesiæ inter se et cum capite interius colligantur: aliud exterius quod vocant corpus Ecclesiæ, sc. societas exterior eorum qui publica ejusdem fidei professione, eorumdem sacramentorum et pastorum communione conjunguntur. Licet autem id quod est interius sit *in se* invisibile, dicitur tamen Ecclesia visibilis, per suum exterius: sicut licet anima hominis sit in se invisibilis, homo tamen ex facie dicitur visibilis ». Cfr. Bill., *De regulis fidei*, Diss. III, art. 3.

Difficultas: Elementum divinum (i. e. invisibile) ita se habet ad elementum humanum Ecclesiæ, sicut forma ad materiam. Aliquid autem nominatur a forma, non vero a materia. Ergo Ecclesia debet dici invisibilis, non autem visibilis.

Resp.: Concedo omnia, excepta conclusione. Nam ex analogia in majori, objiciens pergit ad realitatem in conclusione. Forma *societatis*, proprie loquendo, est constitutio ipsius. Unde quando dicimus quod elementum divinum invisibile se habet *ut* forma, jam supponimus rem constitutam. Item considerandum est quod elementum internum quamvis sit in se invisibile, tamen ex sese, ex natura ipsius postulat visibilitatem. Sicut anima postulat visibilitatem per corpus. — Et sicut homo (ex anima et corpore constitutus) est essentialiter visibilis, ita Ecclesia.

Arg. II. *Ex Sacra Scriptura:*

A) *Ex Vet. Test.:* Isaia II, 2: « Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium; et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes ». Idem habetur apud Michæam, IV.

De Groot, p. 69: « Porro *mons domus Domini* est Christi Ecclesia, ut docent S. Aug. *In Joan.* tract. I, 15; S. Optatus Milev. *De schismate Donat.* lib. III; S. Basilius *In Is.* n. 66; S. Joan. Chrys. *In Is.* II; S. Cyrillus Alex. *In Is.* lib. II, 2; S. Thom. *In Is.* Cfr. S. Hier. *In Is.* LX. — Jam vero *omnes gentes* ad Ecclesiam confluere nequeunt, nisi semper appareat. Isaias cap. LX, hæc vaticinatur: *ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.*

At gentes in lumine Christi *ambulare* non videntur, si Deus Ecclesiæ suæ seu regni Christi exteriorem notitiam ab hominum adspectu auferat ».

B) *Ex Novo Testamento:* — 1) *Ex visibili ministerio a Christo constituto:* Mt. xvi, 18: « Tu es Petrus (visibilis), etc... Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris etc. ». Si autem fundamentum Ecclesiæ visibile est, etiam Ecclesia debet esse visibilis. Item, quomodo apostoli ligare et solvere possunt nisi videant i. e. cognoscant ea quæ sunt solvenda atque liganda? Item, Christus ordinavit apostolis facere quod ipse fecit in ultima cœna, hoc autem visibile erat. Similiter dicendum est de Baptismo, aliisque sacramentis.

2) *Ex constitutione superiorum et subditorum:* « Pasce agnos meos, pasce oves meas » (Joan. c. ult.). — « *Dic Ecclesiæ* » (Mt. xviii, 17). Item, Mt. xxviii, 19: « Euntes docete omnes gentes ». Hæc omnia, ut meridiana luce patet, supponunt visibilitatem Ecclesiæ, et quidem essentialis et continua, quia hæc omnia postulantur ab ipsa essentia Ecclesiæ. Eadem doctrina habetur apud apostolos. S. Paulus, v. g. « Spiritus Sanctus ipsos posuit *regere* Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo » (Act. Ap. xx, 28). — Similiter in Actibus Apostolorum plena habetur historia Ecclesiæ primitivæ. De invisibilibus autem non habetur historia! Ecclesia essentialiter invisibilis neque adunari potest, neque leges ferre! Nam quis posset dicere utrum hæc quæ adunatur sit legitima necne? — Nos autem jam proposuimus: malumus cum apostolis errare, quam veritatem (!) rationalistarum amplecti, qui in dubiis fluctuant cum magnis superbiæ velis.

3) Confirmatur *ex parabolis et allegoriis Christi.* Ut supra vidimus, in Ecclesia adsunt etiam peccatores, qui sub figuris zizaniæ, piscium malorum etc. describuntur. Isti vero non possunt existere in Ecclesia adversariorum invisibili et omnino pura... « Tota doctrina Christi de Ecclesia, optime notat P. Schultes, maxime parabolæ quibus Ecclesiæ natura atque conditio explicatur, generaliter Ecclesiam ut de facto cognitam, et facile cognoscendam, licet a pluribus culpabiliter non admissam, repræsentant » (*l. c.* p. 148).

4) Confirmatur *ex verbis Christi:* « Vos estis lux mundi. *Non potest civitas abscondi supra montem posita* », Mt. v, 14.

Arg. III. (confirmans). *Ex Traditione.*

a) Veteres *absolutam* docent *necessitatem adhærendi* Ecclesiæ visibili et devitandi schismata. Ergo Ecclesiam essentialiter visibilem esse crediderunt. *Conseq.* patet; absoluta enim necessitas adhærendi cœtui quandoque occulto admitti nequit. Prob. *antec.* S. Ignatius Antioch. in *ep. ad Philad.* III, 3, illa: « Si quis schisma facientem sectatur, regni divini hæreditatem non assequitur ».

S. Cyprianus: « Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet ut matrem » *De unit. Eccl.* — S. Augustinus: « Amemus Dominum Deum nostrum, amemus Ecclesiam ejus; illum sicut Patrem, istam sicut matrem » *Enarr. in ps.* LXXXVIII, 14.

b) Veteres Ecclesiam *semper et ex natura sua* maxime spectabilem expressis verbis asseverant. S. Irenæus Ecclesiam extollit, « apud quam una et eadem salutis via in mundo ostenditur » *Adv. hær.* V, 20. — Origenes: « Ecclesia plena est fulgore ab Oriente ad Occidentem » *Hom.* XXX, *in Matth.* — S. Athanasius: « Thronum Christi intellige Ecclesiam: in illa quippe requiescit. Erit igitur, inquit, Ecclesia Christi fulgens et illuminans orbem manensque in æternum sicut sol et luna » *In ps.* LXXXVIII. — S. Augustinus: « Facile tibi est attendere et videre civitatem super montem constitutam, de qua Dominus ait in Evangelio, quod abscondi *non possit.* Ipsa est enim Ecclesia Catholica... Hanc ignorare nulli licet; *ideo*, secundum *verbum Domini* nostri Jesu Christi, abscondi non potest » *Ep.* 52.

Arg. IV. (confirmans). *Ex fine et indole Ecclesiæ.*

a) Ex missione Christi: Christus visibiliter apparuit.

b) Ex conditione hominum qui per visibilia adducuntur ad invisibilia et spiritualia.

c) Ex indole Ecclesiæ sociali: « jam vero socialis vita hominum, ablata visibilitate, ne cogitari quidem potest ».

Ultimo confirmatur ex *Calvino* (!), *Inst.* lib. IV, 1: « Quia nunc de visibili Ecclesia disserere propositum est, discamus vel matris elogio quam utilis sit nobis ejus cognitio, immo *necessaria:* quando non alius est in vitam ingressus nisi ipsa concipiat in utero, nisi pareat, nisi nos alat suis uberibus, denique sub custodia et gubernatione sua nos tueatur, donec exuti carne mortali, similes erimus angelis ». — Similiter *Gladstone* necessitatem visibilitatis Ecclesiæ egregie commendat, cum dicit quod per visibilitatem salvatur Ecclesia a divisionibus indefinitis atque ab infidelitate, quæ sunt fructus privati judicii [1].

OBJECTIONES

Objectio I. — Quod comparatur ad rem absconditam, non est visibile. Atqui Ecclesia comparatur (a Christo) ad thesaurum absconditum. Ergo...

Resp.: *Dist. maj.:* quod comparatur ad rem absconditam *sub ratione absconditi*, non est visibile, *concedo* (vel melius transeat); — quod comparatur ad rem absconditam *sub alia ratione quam*

---

[1] « *The necessity of that doctrine to counterbalance the tendency to indefinite subdivision and ultimate infidelity which springs from the notion of a limitless private judgment* » (Ep. ad Rio, 1838, apud *W. Ward*, The life and Times of Card. Wiseman (1897), vol. I, p. 275).

absconditi, non est visibile, *nego*. Contradistinguo *min.* et nego *consequens* et consequentia.

Explico: In parabolis oportet formale similitudinis adsumere, et non cum ipso confundere accidentale. Parabola autem nostra sic legitur: « Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro; quem qui invenit homo abscondit et præ gaudio illius vadit et *vendit universa quæ habet et emit agrum illum* » (Mt. XIII, 44 et sq.). Formale hujus parabolæ est, ni fallor, commendatio Ecclesiæ pretii. Et videtur confirmari ex consequenti parabola de « pretiosa margarita », quam qui invenit « abiit et vendidit omnia quæ habuït et emit eam ». Utique, Ecclesia est abscondita, non autem in se, sed illi qui eam non cognoscit vel falso cognoscit, quia iste veritatem adhuc non invenit.

Instantia: Atqui Ecclesia comparatur thesauro abscondito, sub ratione absconditi. Ergo stat difficultas.

Probatur: Ecclesia comparatur thesauro abscondito sub ratione absconditi, si ipsa non venit cum observatione, et si est omnino spiritualis. Atqui ita est de Ecclesia, quod patet ex Luca XVII, 20, 21; et ex Joan. IV, 23-24. Ergo... (Lc. XVII, 20-21: « Quando venit regnum Dei? respondens eis dixit: Non venit regnum Dei cum observatione: neque dicent: Ecce hic aut ecce illic: Ecce enim regnum Dei intra vos est ». Joan. IV, 23-24: « Venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare »).

Resp.: *Dist. maj.:* Ecclesia..... spiritualis, et si hæc excludunt visibilitatem, *concedo;* secus, *nego*. Contradistinguo *min.* et nego *consequens* et consequentia.

Explico: 1) Quantum ad textum Lucæ: ly Non venit... *cum observatione*, significat *cum observatione* quam judæi (generaliter) expectabant, sc. rumoris et splendoris. Unde secundum hoc dixit Christus ante Pilatum: « Regnum meum non est de hoc mundo ». Item, ly *intra vos* est (græce entòs humôn), idem est ac *inter vos*. Ac si diceret: « Messias in medio vestri adest, atque gratia sua jam discipulos sibi acquirit ». — 2) Quantum ad verba Joan.: hæc dicuntur: « quia per Christum homines plenius ad spiritualem Dei cultum sunt introducti » (S. Thomas, I-II, q. 101, art. 2 ad 4).

II. — Quod creditur non videtur. Atqui... Ergo...

Resp.: *Dist. maj.:* quod creditur non videtur, sub eadem ratione qua creditur, *conc.:* sub alia ratione, *nego*. Ecclesia creditur per fidem: videtur autem *a*) materialiter, ex membris et signis ei propriis, *b*) formaliter, ut motivum credibilitatis, cognoscitur Ecclesia per examen ipsius existentiæ, constitutionis, historiæ etc...

III. — Sufficit alicui, ut sit membrum vivum Ecclesiæ, habere spiritum christianum. Atqui spiritus christianus est essentialiter invisibilis. Ergo...

Resp.: *Dist. maj.:* sufficit habere spiritum christianum, qui acquiritur in Ecclesia et ab Ecclesia (instrumentaliter), *concedo;* qui acquiritur extra Ecclesiam, *subdistinguo:* via extraordinaria, *transeat;* via ordinaria, *nego.* Iterum *distinguo minorem:* spiritus christianus est essentialiter invisibilis in se, *concedo;* per aliud, *nego.*

Explico: Spiritus christianus acquiritur per fidem; et quidem supernaturalem: Joan. VI, 44: « Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, *traxerit eum* ». Fides autem ex auditu (visibiliter); auditus enim per verbum Dei, quod est in Ecclesia; quia Christus non omnibus sed apostolis tantum (et successoribus eorum) dixit: « Euntes in mundum universum docete omnes gentes etc. ». Item, fides sine baptismo non sufficit; nam verbum Domini est: « qui crediderit *et baptizatus fuerit* salvus erit ». Baptismus vero est in Ecclesia et ab Ecclesia. — Quidam tamen sunt extra corpus Ecclesiæ, sed pertinent ad animam ipsius, quia sunt in bona fide, et nemo damnatur nisi culpabiliter. Unde isti habent spiritum christianum via extraordinaria, et cum ipsis Deus per viam extraordinariam sese communicat. Unde S. Thomas de infideli qui notitiam de Evangelio nequit habere via communi, si « taliter nutritus, inquit, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium » (Quæst. Disp. *De Veritate,* q. 14, artic. 11 ad 1um).

Instantia: Atqui spiritus christianus non acquiritur in Ecclesia et ab Ecclesia. Ergo idem quod prius.

Nam, quod in Eccl. et ab Eccl. acquiritur certe acquiritur. Atqui nemo certus est nisi per revelationem, an habeat spiritum christianum necne. Ergo spiritus christianus non acquiritur in et ab Ecclesia.

Resp.: *Dist. maj.:* quod in et ab Eccl. acquiritur certe acquiritur, suppositis supponendis, *concedo;* secus, *nego.* Contradistinguo *minorem:* nemo certus est an habeat spiritum Christianum, si quod debuit facere non fecit, *transeat* (potest enim habere certitudinem quod non habet spiritum christianum); si quod debuit fecit, *subdistinguo:* non habet certitudinem absolutam, *concedo;* non habet certitudinem moralem, *nego.* Et nego *consequens* et consequentia.

Explico: Gratia in Ecclesia et ab Ecclesia acquiritur per applicationem legitimam sacramentorum; sacramenta conferunt gratiam *ex opere operato,* quia non sunt mera signa sicut in Vet. Test.; attamen sacramenta præsupponunt dispositionem recipientium ipsa. Et ille qui dispositus recipit sacramenta, certitudinem habet moralem quod accipit gratiam. Tamen non potest habere

certitudinem absolutam, quia non potest dicere absoluta cum certitudine an ipse sit revera dispositus. Unde « nescit homo, utrum amore an odio dignus sit » (Eccle. IX, 1). — Ex argumentis adversariorum sequitur tantum quod elementum internum Ecclesiæ, est invisibile, sed minime probant hoc elementum non indigere ex sua natura visibilitate, per elementum Ecclesiæ visibile.

ARTICULUS II.

EX QUIBUS FIDELIBUS ECCLESIA PROPRIE ET VERE CONFLATUR

Status quæstionis. — Jamjam statutum est, quod societas a Christo fundata essentialiter postulat visibilitatem. Nunc autem si Ecclesia visibilis est, quæritur utrum possimus cum certitudine ejus membra cognoscere. Unde quæstio est de causa materiali Ecclesiæ, seu de veris fidelibus.

Momentum. — Quæstio est magni momenti; nam per hunc art. multi homines ab Ecclesia excluduntur, qui christiani sese appellant. Item, per hunc art. adversarii videre possunt quomodo ipsi non sunt vera membra Ecclesiæ, et quid oportet eis facere ut ad ipsam pertineant.

Sententiæ adversariorum. — Omnes qui visibilitatem Ecclesiæ negant nec admittere possunt nostram thesim, quod patet. Ad eorum sententias quod attinet, vide art. præcedentem.

Prænotamina: 1) De unione hominum cum Christo.

Homines Christo uniuntur
- *Actu...*
  - 1. Interne: per fid. et char.
    - 1. unione perfecta — si fides per charitatem operetur.
    - 2. unione imperfecta — si fides careat charitate.
  - 2. Externe (*Simul requiruntur.*)
    - 1. Per professionem fidei publicam.
    - 2. Per commun. sacramentorum.
    - 3. Per obedientiam auctoritati legitimæ.
- *Potentia...* (infideles).

2) Divisio membrorum:

Membra sunt in Ecclesia
- 1. *Perfecte* et *complete* — habentes unionem internam perfectam et externam.
- 2. *Complete* sed *imperfecte* — habentes unionem internam imperfectam et externam.
- 3. *Complete* — pueri baptizati qui adhuc non habent usum rationis.
- 4. *Incomplete*
  - *perfecte* — hæretici in bona fide, qui habent charitatem.
  - *imperfecte* — hæretici in bona fide, qui non habent charitatem.
- 5. *Perfecte* — excommunicati insontes et catechumeni, si cum fide servant charitatem.

3) Hæretici formales (i. e. proprie dicti) et publici, sicut etiam schismatici formales, non sunt membra Ecclesiæ neque interne neque externe. Hi tamen ratione baptismi, cujus character indelebilis est, remanent subditi Ecclesiæ. — Hæretici occulti seu privati sunt in Ecclesia externe tantum, nec perfecte sed inchoate (ita Gatti); i. e. sunt in Ecclesia materialiter tantum; sicut palmes mortuus, qui tamen non est separatus totaliter a vite. Peccator, non hæreticus, magis assimilatur palmiti mortificato (paralytico), quam mortuo; quia, ratione fidei, aliquas inspirationes recipit. — Excommunicati vitandi non pertinent ad Ecclesiam, nisi ratione baptismi, ut subditi [1].

Ad Articulum dico: « Ecclesia militans vere et proprie conflatur ex prædestinatis et præscitis, ex justis et injustis seu peccatoribus ». Hæc doctrina est de fide. Nam, Clem. XI (an. 1700-21) jam damnaverat sequentem propositionem Paschasii Quesnel: « Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit catholica comprehendens et omnes angelos cœli *et omnes electos et justos terræ et omnium sæculorum* ». Denz. 1422. — Item Concilium Trid. « Nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit ». Denz. 805. Consequenter si sententia contraria fuisset vera, nemo esset certus an sit revera membrum Ecclesiæ. — Item, per baptismum et fidem aliquis constituitur membrum Ecclesiæ. Cfr. C. J. C., can. 87.

Probatur Articulus. *Nota :* Quidam dicunt Ecclesiam constare ex prædestinatis tantum, non negant tamen prædestinatos aliquando esse peccatores; — alii vero tenent Ecclesiam nullo modo conflari ex peccatoribus, sed tantum ex justis. Propterea dividimus thesim in duas partes:

A) ECCLESIA MILITANS PROPRIE ET VERE CONFLATUR EX PRÆDESTINATIS ET REPROBIS.

Argumentum. — Prædestinati sunt qui salvabuntur, præsciti vero qui damnabuntur. Atqui quidam Ecclesiæ fideles salvabuntur, alii vero damnabuntur. Ergo...

Probatur minor. 1) Ex parabolis Christi. Christus enim comparat Ecclesiam *areæ* in qua sunt triticum et paleæ igne inextinguibili comburendæ (Mt. III); *sagenæ* missæ in mare ex omni genere piscium congreganti, sive bonorum sive malorum (Mt. XIII); *convivio nuptiali* ubi inveniuntur etiam quidam non habentes vestem nuptialem et ideo isti mittendi sunt foras, in tenebras exteriores (Mt. XXII); similiter in parab. *zizaniorum* (Mt. XIII). — Atqui hæc non possunt significare nisi prædestinatos et præscitos. Ergo... — Et notandum est quod tales fideles (mali) revera et proprie pertinent ad

[1] Derivatio verbi *hæretici:* secundum quosdam, ex kataroi (puri); secundum alios, ex hiresis (electio).

Ecclesiam, sicut triticum et palea ad aream; pisces mundi et immundi ad sagenam; habentes vestem nuptialem et non habentes ad convivium etc. Et hi remanent in Ecclesia usque ad finem mundi.

2) Eamdem doctrinam docet S. Paulus comparando Ecclesiam magnæ domui in qua sunt vasa, alia in honorem, alia in contumeliam (Rom. IX, 21).

3) Ex factis: e. g. Nemo, sanæ mentis, dubitat quod Judas Iscariotes non pertinebat ad collegium Apostolorum. Attamen, Judas de quo dixit Christus « *Væ homini illi per quem Filius hominis tradetur! Bonum erat ei si non esset natus homo ille* », non videtur esse computandus inter electos!

4) Ecclesia quæ solis ex prædestinatis conflatur, — cum nemo scit an sit prædestinatus, necne, — esset invisibilis. Atqui Ecclesia est essentialiter visibilis. Ergo...

OBJECTIONES

Objectio I. — Non est Christo decorosum quod sua Ecclesia componatur etiam ex reprobis. Ergo...

Resp.: *Distinguo antec.:* non esset decorosum Christo, si hoc redundaret in imperfectionem Christi, *concedo;* si vero in ejus perfectionem, *nego*. Et nego *consequens* et consequentia. — Nam, sicut existentia mali in mundo majorem Dei perfectionem denotat, quam sola existentia boni, ita et præsciti et mali in Ecclesia majorem Christi sapientiam et perfectionem, quam soli boni et prædestinati: etenim, Ecclesia Christi conflatur *ex hominibus*, quorum, secundum Dei sapientiam, quidam salvandi sunt, alii permittuntur damnari. « Nec debuit, ait Angelicus Doctor, bonum commune tolli, ut vitaretur particulare malum; præsertim cum Deus sit adeo potens, ut quodlibet malum possit ordinare in bonum », I, q. 92, art. 1 ad 3um.

Instantia: Christus instituit Ecclesiam ad salvationem hominum. Ergo qui sunt in Ecclesia salvabuntur.

Resp.: *Dist. antec.:* Christus instituit Ecclesiam ad salvationem hominum, conditionate, *concedo;* absolute, *nego*. — Omnes salvabuntur qui sunt in Ecclesia, si ea facient quæ præscripta sunt, cum perseverantia finali.

Instantia: Sed Christus vult omnes homines salvos fieri. Ergo...

Resp.: *Dist.:* Voluntate antecedenti, *conc.;* consequenti, *nego*.

Voluntas Dei antecedens est illa cui resistitur; alia est cui non resistitur, et vocatur etiam absoluta. Cfr. Billuart, Tract. *De Deo*, Diss. VIII, art. IV, ed. 1904, vol. I, p. 340.

II. — Arca noëtica erat figura Ecclesiæ. Atqui omnia viventia in arca salvata sunt. Ergo...

Resp.: *Dist.:* Arca noëtica erat figura Ecclesiæ; quoad aliquid, *concedo;* quoad omnia, *nego.* In nostro casu figura habetur in hoc, quod omnis qui salvatur, salvatur per arcam. Et hoc verum est. — Item, in arca animalia salvata sunt, ut generatio eorum continuaretur super terram post diluvium; non vero ad significandum quod omnes homines qui sunt in Ecclesia salvandi sunt. Item, in arca erant animalia munda et immunda; ibi fuit etiam Cham, qui fuit figura reproborum!

III. — Legitur in Joannis Epistola prima, II, 19: « Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis (in Ecclesia), mansissent utique nobiscum. Sed ut manifesti sint quod non sunt omnes ex nobis ». — Unde qui perseverant in Ecclesia, hi sunt ex nobis, i. e. prædestinati. Propterea, reprobi non vere et realiter pertinent ad Ecclesiam.

Resp.: Ex verbis S. Joannis sequitur quod illi qui non permanserunt in Ecclesia non habebant charitatem, forte etiam quando erant in Ecclesia. Sed non sequitur quod *omnes* qui remanserunt in Ecclesia habebant charitatem.

Dices: Sed ipsi qui remanserunt peccatores, « non sunt ex nobis ».

Resp.: Quoad animam, i. e. quoad charitatem, *concedo;* quoad corpus, *nego.* Sunt enim membra corporis Christi mortificata, vel etiam mortua sed non jam abscissa.

B) Ecclesia militans vere et proprie ex justis et peccatoribus conflatur.

Argumentum. — Peccatores sunt qui carent charitate. Atqui in Ecclesia illi qui carent charitate, revera remanent proprie et vere membra Ecclesiæ. Ergo...

Minor jam probata est ex præcedentibus; præsertim ex parabolis D. N. Sed insuper: Christus potestatem dedit Apostolis in Ecclesia *remittendi* peccata. Ergo: In Ecclesia sunt etiam peccatores. — Item, ordinavit S. Petro ut remitteret peccata, contrito peccatori, *septuagies septies.* Simile est regnum cœlorum decem virginibus etc... — Item, in *Pater noster*, dicimus: « dimitte nobis debita nostra »... — Atqui hi omnes sunt in Ecclesia. Ergo...

OBJECTIONES

Objectio I. — De Ecclesia dicitur « Tota pulchra es, et macula non est in te » (Cant. IV).

Resp.: Quoad ea quæ divina sunt in Ecclesia, *concedo;* quoad *omnia* humana, quæ sunt in Ecclesia, *nego.*

II. — Dicimus: « Credo Sanctam Ecclesiam ».

Resp.: *a*) quia multi sunt revera sancti in Ecclesia; *b*) quia Ecclesia ordinata est ad sanctificationem hominum; *c*) quia tota sancta est ex latere divino etc., sed non excludimus quod in Ecclesia sint etiam peccatores.

II. DE ELEMENTO QUASI FORMALI CONSTITUTIONIS ECCLESIÆ

1. De Hierarchia; — 2. De Regimine.

De Hierarchia quæremus 1. an Christus Ecclesiam suam hierarchice constituerit; 2. utrum constituerit episcopos presbyteris superiores. Unde de constitutione Ecclesiæ articulus tertius sic:

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS ECCLESIAM SUAM HIERARCHICE IMMEDIATE CONSTITUERIT

Status et sensus quæstionis. — Posito Ecclesiam visibilem et ex prædestinatis et reprobis, ex justis et peccatoribus conflari, quæritur nunc an Christus omnia Ecclesiæ membra, *æqualia constituerit*, vel quosdam superiores, i. e. rectores posuerit. Utrum Christus elegerit et instituerit aliquos in Ecclesia superiores ad ordinate ipsam gubernandam et regendam, cum potestate alios superiores instituendi; vel, e contra, dederitne omnibus et singulis Ecclesiæ fidelibus hanc potestatem, sibi eligendi superiores, sc. ministros, ut Ecclesia ordinate gubernaretur. Aliis verbis, Christus determinaveritne Ecclesiæ hierarchiam, vel, e contra, hoc reliquit Ecclesiæ?

Momentum. — Quæstio est maximi momenti. Nam, ut P. Lacordaire notat, si de divina et immediata hierarchiæ institutione adversarios convincimus, ab aliis erroribus eos faciliter liberamus. Hæreses et schismata in Ecclesia ortum non nisi ex superbia, ex insubordinatione et arrogantia contra auctoritatem legitimam, habuerunt.

Adversarii. — Omnes Protestantes negant Christum instituisse immediate hierarchiam. Excipiuntur Anglicani. — Cum Lutherus damnatus fuit propter suam hæreticam doctrinam *de Indulgentiis* etc., contra auctoritatem S. Sedis decrevit: « Prorsus ejusdem juris sumus omnes ». — Per solam fidem justificamur, dicunt, et per

Dei virtutem, ad quam tantum passive se habet homo. Exaggerant Dei activitatem in nobis, ac si Deus in gubernatione Ecclesiæ, causas secundas nullo modo adhibeat. Consequenter juxta ipsos gratia Dei sufficit, et hierarchia non requiritur. Item, libertas evangelii cum hierarchia stare nequit, ut aiunt. — Sententia harnackiana ex sequenti propositione colligitur: « Unio cum Deo directa, in qua consistit Novæ Religionis substantia, inanem facit cultum traditionalem et ministerium Sacerdotum » (cfr. *Essenza del Cristianesimo*, ed. Ital., p. 174). — Hi tamen omnes admittunt Ecclesiam circa sæculum secundum sibi instituisse hierarchiam, ad tollendum confusionem.

Originem hierarchiæ Harnack attribuit ad charismaticos. Christiani, inquit, charismaticos tènebant tamquam Ecclesiæ superiores. Episcopi vero erant mere œconomici! Quando deinceps charismata cessabant, christiani considerabant episcopos tamquam superiores divinitus institutos.

Prænotamina: I. *Notio hierarchiæ.* Hierarchia (græce ἱερὰ ἀρχή), idem sonat ac sacer principatus, et definitur: « cœtus hominum, qui potestate ad sacrorum ministerium et gubernandam Ecclesiam jure divino a ceteris fidelibus distincti sunt » (De Groot, p. 86).

II. *Potestas* duplex: ordinis et jurisdictionis. Prima ordinatur ad sacramenta conficienda, altera ad gubernationem Ecclesiæ.

III. *Clerus* vox græca est, latine sortem seu hæreditatem significat. Sensu latiori, hæc vox toti Ecclesiæ competit; sensu stricto dicitur de solis ministris Ecclesiæ, quia specialiter vocati sunt in sortem et hæreditatem Christi (cfr. Billuart, vol. X, p. 27, ed. an. 1904. Tract. *De Sac. Ordinis*, Diss. I). — Sensu stricto, clerus est « universalitas eorum quorum organica dispositio ex diversis ordinibus constat » (De Groot).

IV. *Ordo* est sacramentum novæ legis, quo traditur spiritualis potestas et confertur gratia ad debite obeunda munia ecclesiastica (cfr. Billuart *l. c.*). — *Ordinatio* est signaculum quoddam Ecclesiæ quo spiritualis potestas traditur ordinato (*ibid.*).

V. Causa gratiæ et justificationis secundum doctrinam Catholicam:

Causa *principalis* independens — Solus Deus. III, q. 64, a. 1.
Causa *principalis* independens — Christus ut Deus (potestas auctoritatis).

Causa *instrumentalis*	Per instrumentum *conjunctum:* Humanitas Christi dicitur potestas ministerii principalis seu potestas excellentiæ, cujus causa meritoria est passio Christi, *l. c.* a. 3. Per instrum. *extrinsecum:* potestas ministerii secundarii. — Per ministros Christi.

NB. Eadem est ratio ministri et instrumenti.

Ad Articulum responsio est affirmativa, et est de fide: Christus Ecclesiam suam immediate hierarchice constituit. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIII. Denz. 961-968.

Probatur Articulus:

I. Ex S. Scriptura. — Hierarchiam ille immediate instituit qui *a*) personas determinatas a ceteris, in eadem societate, *potestate* distinguit, *b*) et hunc cœtum, potestate distinctum, usque ad finem mundi permanere ordinat. (*Nota:* Hæc secunda pars proprie ad hierarchiam de qua est sermo pertinet.) Atqui Christus utrumque fecit. Ergo...

Major oritur ex definitione ipsa hierarchiæ.

Minor probatur per partes:

A) CHRISTUS PERSONAS DETERMINATAS A CETERIS IN SOCIETATE AB IPSO FUNDATA POTESTATE (JURISDICTIONIS ET ORDINIS) DISTINGUIT.

Probatur: 1) *Ex Evangeliis:* Joan. xx, 21: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ». En auctoritas apostolorum in nomine Christi eundi in universum mundum, docendo et evangelizando. — Lc. x, 16: « Qui vos audit me audit; qui vos spernit me spernit ». Ex his verbis constat apostolos, successoresque ipsorum, vices Christi gerere. Similiter, Mt. xxviii, 18, 19: « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete... ». Ac si diceret: Ego habui a Patre meo potestatem vos constituere apostolos, doctores, ministros meos in Ecclesia... Quam potestatem Christus non omnibus fidelibus dedit, sed solis apostolis; sicut nec omnes discipulos vocavit ad apostolatum (cfr. Mc. i, 14 et seqq.; ii, 14; iii, 13); Lc. ix, 1-2: « Convocatis autem duodecim apostolis dedit illis virtutem, et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos ».

Item Joan. xx, 22-23: « Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis » ..... « quodcumque solveritis super terram erit solutum et in cœlis... ». Mt. xvi, 19: « Tibi dabo claves regni cœlorum ». Lc. xxii, 19: « Hoc facite in meam commemorationem ». En potestas sacerdotalis. Joan. xxi, 17: « Pasce oves meas ». — Hæc omnia manifestissime probant Christum elegisse quosdam inter discipulos cum auctoritate alios gubernandi, docendi, ministrandi.

2) *Ex aliis N. T. libris*, v. g. Ex Act. Apost. S. Paulus: « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei » (cap. xx, 28). — II Cor. xiii, 10: « Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem ». En potestas regendi et docendi S. Pauli

immediate a Deo accepta. — Item, II Tim. I, 6: « Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum ». Cfr. etiam I Tim. v, 17, Act. Apost. VI, de electione diaconorum, ex quibus clare statuitur potestatem ecclesiasticam non a populo sed a Deo haberi per impositionem (i. e. consecrationem) manuum.

Ergo Christus revera personas determinatas a ceteris, in Ecclesia, potestate distinguit, et eis potestatem dedit aliis eamdem auctoritatem communicare. Sed utrum in perpetuum? Unde:

B) HUNC CŒTUM POTESTATE DISTINCTUM USQUE AD FINEM MUNDI CHRISTUS PERMANERE ORDINAVIT.

Probatur: I. EX SCRIPTURA: Mt. XXVIII, 20: « Ecce enim Ego vobiscum sum quotidie usque ad consummationem sæculi ». Hæc dicebat Christus apostolis, formaliter ut apostoli; ergo ratio apostolatus remanebit in Ecclesia usque ad consummationem sæculi.

Tit. I, 5 et seqq.: « Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi ». Compara hunc textum cum isto, Ephes. IV, 11: « Et ipse dedit quosdam quidem apostolos... alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii in ædificationem corporis Christi ». — Atqui corpus Christi mysticum seu Ecclesia usque ad consummationem sæculi ædificabitur. Ergo hierarchia perduratura est usque ad finem mundi. — Unde recte notat S. Thomas: « Non est dicendum quod potestas hujusmodi sic data sit Christi discipulis quod per eos ad alios derivanda non esset. Data est enim eis ad Ecclesiæ ædificationem, secundum Apostoli dictum (potestatem dedit mihi Dominus in ædificationem... II Cor. XIII, 10). Tamdiu igitur oportet hanc potestatem perpetuari quamdiu necesse est ædificari Ecclesiam. Hoc autem necesse est post mortem discipulorum Christi usque ad sæculi finem... ». *Cont. Gent.* III, 74.

II. EX TRADITIONE. — Ex sola Scriptura jam patet Christum Ecclesiam suam non anarchice, sicut adversarii volunt, sed hierarchice instituisse. Fideles in Ecclesia non sunt omnes « ejusdem juris », verum tamen quidam sunt superiores, rectores, ministri, alii vero inferiores, recti, ministrati. Hoc *factum* confirmatur ex praxi Ecclesiæ constanti, a primordiis ipsius usque ad nos. Quoad testimonia Patrum tamen sufficiunt illa sæculi primi et secundi, quia adversarii admittunt hierarchiam factam esse circa medietatem sæculi secundi. — Item, in textibus Patrum, præsertim primorum sæculorum, ridiculum esset quærere tractatus proprios et completos theologicos circa hierarchiam, vel quamcumque aliam quæstionem theologicam; Patres enim non nisi obiter et occasionaliter de istis

rebus scripserunt. Plus quam oportet inquirere, esset imprudentiæ inditium et stultitiæ. Attamen sufficienter thesis nostra probatur ex S. Clemente et S. Ignatio.

Ad Epistolam S. Clem. ad Corinthios quod attinet, notanda sunt sequentia ex Ubaldi Manucci *Patrologia* (Vol. I): « L'occasione di questa lettera, fu una specie di grave fazione o ribellione (*schisma*, c. 2) sorta nella Chiesa di Corinto..., forse nella contingenza della elezione del nuovo vescovo e giunta a tal segno che alcuni faziosi non dubitavano di deporre sacerdoti venerabili ordinati dagli apostoli e loro successori: ... Ad acquietare tale stato di cose alcuni di Corinto chiesero l'intervento del vescovo di Roma (cap. 1), e questi inviò loro mediante tre messi (63, 3) tale lettera, che è un vero monumento per la storia del Primato Romano. La forma ne è energica, piena di fermezza, dignità e prudenza, quale si conviene a chi asserisce parlare in luogo di Dio (c. 59, 1), stilisticamente ricorda assai la lettera di Paolo agli Ebrei, che, secondo Eusebio (*H. E.*, III, 38), appunto Clemente tradusse in greco ».

En nunc verba S. Clem.: « Apostoli nobis Evangelii prædicatores facti sunt a Domino Jesu Christo, Jesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis et per resurrectionem Domini nostri J. C. plena certitudine imbuti Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus Sancti fiducia egressi sunt annuntiantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum prædicantes primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum qui credituri erant (XLII, 1-4) ... Apostoli quoque nostri per Jesum Christum Dominum nostrum cognoverunt contentionem de nomine episcopatus orituram; ob eam ergo causam, perfecta præscientia prædíti, *constituerunt prædictos ac deinceps ordinationem dederunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent.* Itaque qui constituti sunt ab illis vel deinceps ab aliis viris eximiis consentiente universa Ecclesia quique inculpate gregi Christi deservierunt..., hos judicamus munere suo non juste rejici » (XLIV, 1-3). Inde S. Clem. seditionem damnat cum dicit: « Contentiosi estis, fratres, et in rebus quæ ad salutem pertinent » (XLV, 1). Et dicit quod seditio est peccatum grave (XLIV, 3-6), et rei tenentur pœnitentiam agere (LIV, LVII, LVIII). — Ex his verbis quis non videt hierarchiam divinitus esse institutam et immediate a Christo ac in perpetuum duraturam per successionem et consecrationem? Attamen, etiam coram tanta evidentia adversarii cervicem erigunt. *Seeberg* putat: S. Clementem *theoriam* proponere ad seditionem quietandam non vero *factum* indicare. Quod falsum hoc est constat ex contextu ubi indicatur in tota epistola Clementem factum supponere. Enimvero, quomodo Clemens inculcare potuerit theoriam sub peccato? —

Harnack ad evellendam catholicam veritatem in Epist. S. Clementis expositam, explicationem quamdam proponit omnino arbitrariam incipiendo a suppositione quod episcopi (in Epist. Clem.) erant meri œconomici (!). Vide apud Schultes *l. c.*, p. 113. — *Sohm* dicit hic, apud S. Clementem, prima vice doctrinam de hierarchia apparere. Quod omnino falsum est, ut apparet ex textibus citatis ex Sacra Scriptura.

Eadem doctrina de hierarchia Ecclesiæ invenitur apud S. Ignatium, S. Polycarpum, S. Irenæum, S. Cyprianum et fere omnes alios Patres. S. Ignatius ita convictus erat de divina hierarchiæ institutione et de necessitate pro salute subjectionis ipsi quod sequenti modo se emphatice exprimebat: « Clamavi..... magna voce, Dei voce: episcopo obedite et presbyteris et diaconis » (Ad Philad., VII, 1). Et ad Polycarpum: « Paratus sum animam meam ponere pro iis qui sunt subditi episcopo, presbyteris et diaconis » (VI, 1). — Pro aliis particularibus vide Schultes, *l. c.*, p. 112 et seq. De Groot, pp. 98-101.

III. Ex Convenientiis. — *a*) Sapientis est ordinare; atqui Ecclesiæ conditor est sapientissimus. Ergo ipse fideles ordinavit, et quidem immediate, ut de hac re tanti momenti non haberetur dubium; ordinare enim pertinet ad fundatorem et institutorem societatis. — Ordinatio autem fidelium habetur per electionem aliquorum ex ipsis, ut potestate, ceteros dirigant, doceant, ministrent. Secus enim opus divinum, qualis est Ecclesia, esset minus perfectum quam opus humanum.

b) Deus movet creaturas per causas secundas proportionatas et connaturales. Atqui causa secunda proportionata et connaturalis qua homo movetur, via ordinaria, sunt ipsi alii homines, aliquo modo ei superiores; quod patet in vita hominum quotidiana. Ergo etiam in vita supernaturali Deus utitur hominibus tamquam instrumentis ad ducendos homines. Et hoc fit per hierarchiam. Hæc gubernatio minime excludit Dei immediatam gubernationem, ut notat S. Thomas (I, q. 103, a. 3): « Quantum... ad rationem gubernationis pertinet, Deus immediate omnia gubernat; quantum autem pertinet ad *exsecutionem* gubernationis, Deus gubernat quædam mediantibus aliis ».

c) In re tanti et maximi momenti, quæ est salvare propriam animam, oportet se fundari in firmissima certitudine. Atqui sine auctoritate hierarchica omnes laberentur in dubium, quod patet de facto apud protestantes, cujus manifestatio est continua dissensio et divisio in ipsis. Ergo conveniens est, utilis, necessaria hierarchia.

d) Homo, natura sua, per sensibilia et visibilia ad spiritualia et invisibilia adducitur. Atqui hoc fit per hierarchiam. Ergo hierarchia est conveniens naturæ hominis.

e) Audiatur iterum S. Thomas: « Status Ecclesiæ est medius inter statum naturæ et gloriæ: sed in natura invenitur ordo, quo quædam aliis superioribus sunt; et similiter in gloria, ut patet ex angelis. Ergo in Ecclesia debet esse ordo. — Deus sua opera in sui similitudinem producere voluit, quantum possibile fuit, ut perfecta essent, et per ea cognosci possit. Et ideo ut in suis operibus repræsentaretur non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod aliis influit, hanc legem naturalem imposuit *omnibus*, ut ultima per media reducerentur et perficerentur, et media per prima, ut Dionysius dicit (cap. V, *De Hier. Eccl.*). Et ideo, ut ista pulchritudo Ecclesiæ non deesset, *posuit ordinem in ea*, ut quidam aliis sacramenta traderent, suo modo Deo in hoc assimilati, quasi Deo cooperantes; sicut et in corpore naturali quædam membra aliis influunt » (Suppl. q. 34, a. 1).

Contra hæc tanta argumenta nullam seriam rationem ponunt adversarii. Quod admittunt, minime probant. Theoriæ ipsorum magis magisque *factum* de hierarchia supponunt. Quomodo jus humanum, secundum ipsos, mutatum sit in divinum, quomodo Ecclesia igitur ab incunabulis ita fundamentaliter erravit, minime explicant, nullo modo probant. Sententiæ eorum sunt arbitrariæ, vel futilibus argumentis subrectæ, — quod sequentibus melius apparebit.

OBJECTIONES

I. Ex Sacra Scriptura.

Objectio I. — Mt. xx, 25: « Jesus autem vocavit eos ad se, et ait: scitis quia principes gentium dominantur eorum: et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus... ». Sabatier in istis verbis argumentum suum herculeum invenit, ac proinde asserit: « Il est évident que l'Eglise catholique, par sa hiérarchie cléricale... viole l'esprit et la lettre de ces paroles » (cfr. *Les religions d'autorité et la religion de l'Esprit*).

Resp.: Christus, his verbis, dominationem irrationabilem sicut illam paganorum in Ecclesia damnat, *concedo;* potestatem legitimam, cui, secundum sanctum Paulum, qui resistit Deo resistit, *nego.* — Item, Christus his verbis sicut et alibi principatum damnat, *nego;* humilitatem principatui commendat, *concedo.* Ita optime S. Thomas « Quilibet debet se reputare inferiorem *merito*, sed non *officio* » (Suppl. q. 34, 1 ad 2um). — Secus enim *a*) Christus sibi contradiceret, quia multis in locis legitur Christum potestatem apostolis dedisse, prout supra probavimus; *b*) Christus faveret anarchiæ, immo esset rebellis, quod est blasphemia. Cfr. Tanq., *l. c.*, ed. XV, pp. 387-88.

II. — Ex I Petr. II, 5: « Et ipsi (fideles) tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, *sacerdotium sanctum*, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum ». — Ex hoc constat omnes fideles esse sacerdotes...

Resp.: *Dist.* super ly *sacerdotes*, sic: sensu latiori, *concedo;* sensu stricto, *nego*. Dicit enim S. Paulus: « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron ». — Ad sacerdotium, igitur, requiritur alia specialis vocatio præter illam omnibus communem christianis. Et hoc magis clare apparet ex supra jam dictis.

III. — Keirotonia (χειροτονία), seu impositio manuum, signum erat alicujus electionis a populo, ut mos græcorum, non vero ritus sacer divinitus ad impertiendam gratiam ordinatus (cfr. De Groot, p. 95).

Resp.: Nego suppositum. Nam auctores N. T. ad significandam impositionem manuum minime verbo keirotonia utebantur; verum tamen aliis verbis quæ vocabulo græco keirotesia (χειροθεσία) respondent. Ita e. g. Act. Ap. VI, 6: « οὓς ἔστησαν ἐνώπιον τῶν ἀποστόλων, καὶ προσευξάμενοι », i. e.: « hos statuerunt ante conspectum apostolorum: et orantes imposuerunt eis manus ». — Cfr. etiam II Tim. I, 6. NB. Semel tantum *keirotonia* legitur, Act. Ap. XIV, 22; ibi tamen ordinationem significat, ut ex contextu colligitur.

Instantia: In Act. Ap. VI, 3, legitur quod viri eligendi in diaconos jam erant pleni Spiritu Sancto. Ergo per impositionem manuum non datur Spiritus Sanctus.

Resp.: Erant pleni Spiritu Sancto *ex pietate* (nam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis), *concedo;* erant pleni Spiritu Sancto, per gratiam Ordinis, *nego*. Quod gratia Ordinis recipitur per impositionem manuum ex pluribus locis eruitur. V. g. I Tim. IV: « Noli negligere gratiam quæ data est tibi... cum impositione manuum presbyterii ». II Tim. I: « Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ in te est per impositionem manuum mearum ». — Omnes Sancti Patres has propositiones in sensu catholico explicant; i. e. admittunt Ordinem ut sacramentum, in quo confertur gratia sacramentalis et character. Cfr. Billuart, *De Ordine*, Diss. I, art. 1. — Admittimus tamen aliquando impositionem manuum non nisi cæremoniam quamdam tantum significare. Cfr. De Groot, p. 96.

II. Ex Traditione.

Objectio. — Tertullianus ait: « Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus. Adeo ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers, et tingis, et sacerdos es tibi solus » *De exhort. castitatis*, c. VII.

Resp.: 1) Data, non concessa, Tertulliani auctoritate: *dist. antec.:* Ecclesiæ auctoritas differentiam inter ordinem et plebem constituit, in electione personæ, et in disciplina externa, *concedo;* in ipsa potestate et in essentialibus, *nego.* Ratio hujus ex supra dictis patet. — 2) Tertullianus cum librum citatum scripsit jam ad Montani errorem devergebat. — 3) Tertullianus, (possumus dicere) sicut conceptum *fratris* (christiani) exaggerat, ita ut fratri nubere nefas esse existimet; ita etiam conceptum sacerdotii laicorum. Utique laici offerunt; minime tamen sicut sacerdotes. Laici offerunt quantum ad quosdam actus liturgicos; interne quoque corda ipsorum Deo offerunt. Attamen non offerunt sacrificium Altaris, nisi *mediante* sacerdote.

III. Ex Inconvenientiis.

Objectio I. — Sufficit gratia Christi. Ergo non requiritur hierarchia.

Resp.: *Dist. antec.:* sufficit gratia Christi, ex parte Christi, *concedo;* ex parte nostra, *subdistinguo:* si sic Deus vellet absolute, *concedo;* congruenter, *nego.* — S. Thomas: « Deus non utitur instrumentis (eadem ratio est instrumenti et ministri) vel causis mediis in sua actione propter sui indigentiam, sed propter effectuum convenientiam. Conveniens enim est, ut nobis divina remedia exhibeantur secundum modum nostrum, i. e. per sensibilia ». Cfr. Qu. Disp. *De Veritate,* q. 27, art. 4 ad 16.

II. — Subjectio repugnat libertati, quam Christus ipse nobis donavit. Ergo.

Resp.: *Dist. antec.:* subjectio illegitima repugnat libertati: *concedo;* subjectio legitima repugnat libertati quam Christus donavit nobis, *nego.* — Libertas Evangelii, de qua hic est sermo, est aut a lege judaica, aut a jugo peccati, aut a regimine. At primum et secundum nihil continent quod hierarchiam excluderet. In tertio vero non habetur libertas, sed abusus libertatis, seu anarchia. — Insuper, si subjectio esset contra libertatem et perfectionem hominis, sequeretur omnia gubernia tyrannica esse. Immo sola anarchia esset legitima, quod est absurdum.

Audiatur S. Thomas: « Subjectio servitutis repugnat libertati: quæ servitus est, cum aliquis dominatur aliis, ad sui utilitatem subjectis utens. Talis autem subjectio non requiritur in ordine, per quem qui præsunt, salutem subditorum quærere debent, non propriam utilitatem » (Suppl., q. 34, art. 1 ad 1um). — Immo, in hac legitima subjectione perfectio est hominis; quia secundum beneplacitum divinum est, teste Apostolo: « Quæ sunt a Deo ordinata sunt » (Rom. xiii, 1), « omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit ». « Potestates autem sublimiores hic dicuntur homines in potestatibus constituti, quibus secundum justitiæ or-

dinem subjici debemus». Cfr. S. Thomam in *l. c.* — «Quælibet res, ait Angelicus Magister, perficitur per hoc quod subditur suo superiori; sicut corpus per hoc quod vivificatur ab anima». *Summa Theol.* II-II, q. 81, art. 7.

III. — Omnes homines sunt naturaliter æquales. Christus non operatur contra naturam. Ergo...

Resp.: *Dist. maj.:* Omnes homines sunt naturaliter æquales, natura, *concedo;* officio, *nego.*

IV. — Rectores Ecclesiarum primitivarum erant charismatici, episcopi vero erant mere œconomici. Ergo hierarchia constituta erat ex charismatibus.

Resp.: Ad hanc quæstionem cfr. Schultes, *l. c.*, p. 129. — Hic breviter respondemus:

1) Gratis assertum gratis negatur. — Harnack more solito non probat quod asserit. Ad aliquem textum respicit, sed non ad omnes, sicut oportet. Ut videndum est *l. c.*

2) Confundunt charismata et gratias gratis datas cum vera potestate jurisdictionis. Nam, sanctus Paulus enumerando qualitates quas episcopus habere debet de charismatibus istis mentionem non facit. Cfr. I Tim. III. — Item, constat ex Act. Apost. presbyteros constitutos esse per impositionem manuum apostolorum. Deinde, auctoritas a Christo apostolis lata, per se minime secumferebat dona charismatica. Dico *per se*, quia per accidens, i. e. ratione circumstantiarum illius Ecclesiæ temporis, necessaria erant charismata, sc. ad confirmandam doctrinam apostolorum. Verum est quod in primitiva Ecclesia abundabant charismata divina; et generaliter illi qui ornati erant istis charismatibus, magis apti et idonei erant ad episcopatum, presbyteratum vel diaconatum, quam alii. Quidam etiam admittunt ordinem quemdam charismaticum constitutum ex apostolis, doctoribus, evangelistis, prophetis, ex illis qui habebant donum discretionis spirituum, linguarum, sanitatum etc. (cfr. Schultes, *l. c.*). Hæc omnia erant necessaria in illo tempore ad ædificationem Ecclesiæ; tamen hierarchiam proprie dictam non constituebant, sed magis præsupponebant. — Quod Harnack asserit episcopos mere œconomicos fuisse, nedum non probatur, sed insuper officio episcoporum contendit, quibus cura erat tamquam pastorum animarum. Cfr. Act. Apost. XIV, 22. — Item, officium œconomi proprie diaconis competebat, prout ex ipsomet nomine patet. Quod si aliquando episcopi proprie dicti curam etiam de materialibus sumebant, hoc erat propter aliquam rationem specialem, i. e. per accidens; et non oportet confundere illa quæ per accidens fiunt, cum illis quæ per se habentur.

Articulus IV.

UTRUM EPISCOPI SINT EX INSTITUTIONE DIVINA SUPERIORES PRESBYTERIS POTESTATE ORDINIS ET JURISDICTIONIS

Nota: « Duplex in episcopatu distinguitur potestas: una *ordinis*, qua non solum episcopi sacramenta conficiunt et administrant, sed etiam fideles confirmant, chrisma conficiunt, sacerdotes et alios ministros consecrant, etc. Altera *jurisdictionis*, tam in foro interno qua ligant et absolvunt a peccatis, quam in foro externo qua regunt Ecclesiam, dogmata definiunt (in collegio episcoporum), disciplinam sanciunt, mores corrigunt, refractarios coërcent, etc. Est enim jurisdictio exterior potestas dicendi jus in alterum etiam invitum. De utraque potestate est quæstio ». Cfr. Billuart, *De Ordine*, Diss. IV, art. 1.

Sententia Ecclesiæ. — « Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis sæcularis consensu, aut vocatione, irritos esse; aut eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, A. S. ». Conc. Trid. *De Ordine*, can. VII. — Denz. 967.

Probatur thesis. — Arg. Apostoli quosdam inter presbyteros constituerunt ut Ecclesiarum capita particularium, vices ipsorum apostolorum gesturos, qui ab Ecclesia (ineunte sæculo secundo) proprie episcopi nuncupantur. Atqui talis institutio facit episcopos presbyteris superiores potestate jurisdictionis et ordinis. Ergo episcopi sunt presbyteris superiores, et quidem institutione divina.

Nota. Ex solis Sacræ Scripturæ textibus, *scientifice certe*, probare nequimus argumentum: ibi tamen vera nostræ doctrinæ *fundamenta* invenimus; eamque cum certitudine probamus ex Traditione atque unanimi Patrum doctrina (cfr. Tanquerey, *De Eccl.*, ed. XV, n. 646).

I. Ex Sacra Scriptura: *a*) I Tim. v, 19: « *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus* ». — Ergo Timotheus constitutus erat a S. Paulo ut judex presbyterorum; propterea, superior ipsis, jurisdictionis potestate. « Est enim jurisdictio, exterior potestas dicendi *jus* in alterum, etiam invitum ». — Atqui talis jurisdictio erat propria apostolorum. Ergo, apostoli revera, quosdam inter presbyteros constituerunt superiores ceteris, et vices ipsorum apostolorum gesturos. Tales autem sunt episcopi proprie dicti. Ergo...

b) I Tim. v, 22: « *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* ». *Nemini*, i. e. presbytero ordinando, ut

ex contextu patet — Apostolus enim admonet Timotheum de modo agendi cum presbyteris. — Secundum Patres agitur hic de ordinatione sacerdotali. En ergo jurisdictio ordinis, propria apostolorum, translata in episcopos; non vero in omnes presbyteros, quia, ut ex Act. Apost. et ex epist. S. Pauli constat, aliquibus tantum datum fuit, non omnibus, ordinare presbyteros. — Ordinatio episcoporum et presbyterorum (sacerdotum) propria apostolorum erat et vera ordinatio, gratiam scilicet conferebat et characterem, quod indicatur in II Tim. I, 6: « ... *admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum* »; ubi certe agitur de gratia sanctificante, non vero de gratia gratis data, sicut volunt adversarii. Additur enim: « *Non enim dedit vobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis* ». En effectus gratiæ justum facientis. Unde S. J. Chrysostomus in *l. c.* (Hom. I), ait: « Hoc est: gratiam Spiritus quam accepistis ad Ecclesiæ institutionem, vel ad omne religionis obsequium; quippe in nobis est hanc vel extinguere vel excitare ». (Ita etiam interpretat Conc. Trid. — Denz. 959.)

c) Tit. I, 5: « *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi* ». — Ad formationem Ecclesiarum stabilem, necesse erat ut unus presbyter constitueretur super alios, *ut non sint schismata* inter christianos. Talis institutio erat per collationem potestatis ordinis et jurisdictionis, quæ proprie episcopis competit; prout ex verbis S. Clementis Romani colligitur et confirmatur. Quod episcopi quidam, super presbyteros constituti, erant stabiles et locales habetur ex eo quod *presbyteri inferiores erant locales*. Cfr. Act. Apost. XIV, 22: « Et cum constituissent illis *per singulas Ecclesias presbyteros*...». Item, Jacob. V, 14: « Infirmatur quis in vobis? inducat *presbyteros Ecclesiæ*... ». Clare indicatur hic Ecclesia localis, quia infirmi sunt locales. Immo et sunt plures presbyteri in eodem loco; dum, revera, ejusdem loci habetur unus episcopus.

Utrum collatio hujus potestatis episcopis sit ex institutione divina. — Affirmative omnino. Hæc potestas non poterat esse nisi ex institutione divina. Nam 1) Apostoli non eam tradebant ex arbitrio proprio, sed certe faciebant hoc secundum quod recte eis videbatur in Domino opportunum. Recolenda sunt verba sancti Lucæ, in exordio Actuum Apost.: « Primum quidem sermonem feci de omnibus... (i. e. in evangelio) quæ cœpit Jesus facere et docere usque in diem, qua præcipiens apostolis... adsumptus est; quibus... per dies quadraginta apparens eis et *loquens de regno Dei* ». Quid autem oportebat facere, Christus apostolis tradebat.

2) Solus Christus est auctor talis potestatis sive jurisdictionis sive ordinis et gratiæ; quæ per impositionem manuum conferebatur.

3) Christus ipse septuaginta duos designavit *Apostolis inferiores*, qui figurabant presbyteri. Quod autem erat opportunum et necessarium tempore Christi, quando numerus fidelium tam magnus non erat; *a fortiori* necessarium erat postea, quando ingens erat numerus christianorum.

II. Ex Traditione et testimoniis Patrum: 1) *S. Clem. Romanus*: « *Summo* quippe sacerdoti sua munera tributa sunt, *sacerdotibus* locus proprius adsignatus, et *Levitis* sua ministeria incumbunt. Homo *laicus* præceptis laicis constringitur » (ad Cor. cap. xl). — En tres gradus hierarchiæ, juxta morem hebræorum nuncupati. Quod autem summus sacerdos, sicut etiam presbyteri et diaconi non a populo erant consecrati, neque ab ipso potestatem habebant, sed ab apostolis, constat ex eo quod secus doctrina S. Clementis esset contra illam apostoli Pauli, quam supra exposuimus. Et hoc apparet etiam ex sequentibus: In cap. xliii ejusdem epist. dicitur quod apostoli « episcopos et diaconos eorum *constituerunt* ». — Item, clare apparet quod Summus sacerdos, de quo supra, certe: *a*) vices Apostolorum gerit; *b*) potestatem habet alios ordinandi. Dicit enim S. Clemens: « ... eamque ob causam (i. e. contentionis orituræ) futurum plane providentes (apostoli) instituerunt eos, quos ante diximus, sanxeruntque deinceps, ut, si decessissent, alii probati viri ministerium eorum acciperent »; *c*) debet esse etiam localis; secus enim non excluderetur contentio inter presbyteros.

2) *S. Ignatius Antiochenus* (an. c. 107): Iste, Joannis apostoli discipulus, tam diserte asserit in suis epistolis episcoporum existentiam, ut omnes fateri cogantur veros episcopos monarchicos, saltem in Asia Minori, tunc temporis exstitisse. Ita optime Tanq., *l. c.*, n. 647. — Scribit e. g.: « Studeatis una Eucharistia uti: una enim est caro D. N. J. C., et unus calix in unitate sanguinis ipsius, unum altare *sicut unus episcopus cum presbyteris et diaconis* ». Epist. ad Philad. — Similem doctrinam tradet de hierarchia in aliis epistolis ad Ecclesias Magnesiæ, Ephesi, Trallium, Smyrnæorum, Antiochiæ. — Ex his patet quod adhuc vivente Joanne apostolo jam Ecclesia Christi *perfecte* hierarchice fuit constituta. — Utrum hæc institutio fuerit a popolo? Minime. Nam, 1) hoc esset contra doctrinam apostolorum, ut supra notavimus. 2) S. Ignatius expresse dicit: « Sine his (sc. episcopo, presbyteris et diaconis) Ecclesia non vocatur » (ad Trallenses, iii, 1); ex quo sequitur Ecclesiam *semper* per hanc hierarchiam institutam fuisse. Atqui munus ordinandi presbyteros, teste Apostolo, competebat episcopis. Ergo ista institutio non habebatur a populo. 3) Quod hæc institutio erat ex ordinatione divina, patet etiam ex doctrina S. Ignatii, qui loquens de unione fidelium « cum episcopo, inquit, et presbyteris ejus et diaconis, juxta sententiam (ἐν γνώμῃ) Jesu Christi designatis, quos

secundum propriam voluntatem suam firmavit in stabilitate per Sanctum suum Spiritum » (ad Philad.), et statim (I, 1) de ipso episcopo loquens ait « Hunc episcopum cognovi *non a se ipso, neque per homines,* neque ob inanem gloriam, sed charitate Patris et Domini J. C. obtinuimus ministerium regendi cœtum ». Id est, tamquam Aaron a Deo vocatus; non vero a populo; secus enim vocatio ministrorum ad altare, a voluntate populi dependeret, quod maxime inconveniens esset.

3) *Ex traditione ab Eusebio Cæsariensi relata* (H. E., l. III, c. 22. - P. G. XX, col. 256). Loco citato habetur: Evodius, ante Ignatium, fuit episcopus Antiochenus, temporibus apostolicis; — Linus, Romæ, post martyrium Petri et Pauli, in episcopatu Petro successit; — Marcus Alexandrinam rexit Ecclesiam; — Timotheus, Ephesi episcopus fuit; — Dionysius Areopagita, primus Atheniensium fuit episcopus. — Et Melitenses possunt addere quod Publius erat *primus* episcopus Melitensium, ab ipso S. Paulo consecratus, circa an. 60. — Hi omnes non ex propria auctoritate creati sunt, sed auctoritate apostolorum legitima eorumque successorum. — Aliter dicere est arbitrarium, sine ullo fundamento in documentis authenticis, et contra voluntatem apostolorum et Christi.

4) *Hegesippus*, circa annum 150, per varias Ecclesias iter fecit, et ubicumque monarchicos episcopos invenit, apostolorum successores, cum jurisdictione et potestate ordinis (cfr. Euseb. H. E., l. IV, c. 8 et c. 22. - P. G. XX, col. 322, 378).

5) *S. Irenæus* (c. a. 180), qui fuit discipulus S. Polycarpi, unus ex discipulis S. Joannis evangelistæ: « In omni Ecclesia, inquit, habemus adnumerare eos qui ab apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos... sed, quoniam longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones », tunc duo exempla tantum proponit, sc. Ecclesiæ Romanæ, ubi, dicit, Linus fuit primus successor S. Petri, sicut ipse ei tradidit, cui successit Anacletus, et postea Clemens qui vidit ipsos apostolos; — et Ecclesiæ Smyrnæorum, in qua Polycarpus ab apostolis fuit constitutus episcopus. Cfr. *Adv. Hær.*, l. III, c. 3, n. 1-4. - P. G. VII, coll. 848-855. — Item, S. Irenæus dicit, S. Paulum Hierosolymam profectum esse in Mileto convocatis *et episcopis et presbyteris*. Cfr. *Adv. Hær., l. c.,* cap. 14. Compara Act. Apost. xx, 17: « A Mileto autem mittens Ephesum vocavit *majores* natu Ecclesiæ ». — Ad alios textus cfr. P. G. VII, coll. 1053, 1077.

Eamdem doctrinam invenies apud omnes Patres qui de hac re scripserunt. Tertullianus et Origenes, sicut S. Irenæus, ita clare doctrinam hanc catholicam exposuerunt, quod Patres, post ipsos non nisi sicut ipsi locuti sunt; sicut ipse Sabatier adfirmat: « Fortement esquissée dans les écrits d'Irénée, de Tertullien et d'Origène, la théorie catholique de l'épiscopat ne s'achève que dans ceux de

Cyprien de Carthage ». Cfr. *Les religions d'autorité, et la religion de l'Esprit*, p. 131. — NB. Annos circa quos scripsit S. Cyprianus: 248-258; S. Irenæus: 202; Tertullianus, an. 250; Origenes, c. an. 254.

NOTA: Argumenta ex Sacra Scriptura et Traditione supra exposita se invicem corroborant, ita ut, ex ipsis, tamquam ex uno argumento, concludere oporteat quod, revera, episcopi veri successores sunt apostolorum, ex divina institutione, presbyteris superiores, potestate ordinis et jurisdictionis, sicut docet Ecclesia Catholica. Et hæc doctrina magis confirmatur ex sequentibus:

I. Ex HISTORIA: *a*) Patres, antiquos hæreticos refellere consueverunt ex successione authentica episcoporum; « quos (apostoli), inquit Irenæus, et successores relinquebant suum ipsorum locum magisterii tradentes ». *Adv. Hær.* III, c. 3 (De Groot, *l. c.*, p. 117). — *b*) Publica damnatio Arii (sæc. IV), qui nostram doctrinam negabat (cfr. S. Aug. lib. *de Hær.*, cap. III). — *c*) Constitutiones apostolicæ, antiqui canones et liturgia antiqua, idem docent (cfr. De Smedt, *L'Organisation des églises chrétiennes jusq'au milieu du* III *siècle*). — *d*) Nullibi legitur, haud unum monumentum testatur episcopos *veros* in primitiva Ecclesia non exstitisse ex ordinatione divina.

II. Ex CONVENIENTIA: De Groot, *l. c.*, p. 117, arg. 3: « In quavis societate ordinata oportet esse ministros aliquos superiores, per quos inferiores ministri uniantur, sicut et ipsi superiores per unum supremum. Jam vero ministri hujusmodi superiores Ecclesiæ episcopi appellantur. Ergo episcopi, cum Christus sit auctor Ordinis, divinitus instituti esse convenienter dicuntur ». Cfr. S. Th. *Contra Gent.* IV, 76; *Suppl.* q. 37, art. 1, q. 40, art. 4.

Objectio. — Ex Sacra Scriptura nequimus probare nostram thesim; quia episcopi et presbyteri ibi non distinguuntur.

Resp.: Ex Sacra Script. vera nostræ doctrinæ *fundamenta* habentur, sc. quod quidam presbyteri erant aliis superiores, ex institutione apostolorum, quod ipsi alios presbyteros consecrare potuerunt, quod cum impositione manuum recipiebatur gratia; hæc quidem doctrina explicatur et confirmatur per traditionem, quæ nos docet, quod illis superioribus *tantum*, Ecclesia, jam a sæc. I, nomen episcoporum reservavit: *ut schisma vitaretur*. Ecclesia, etiam ipsa primitiva, distinxit nomine quod jam fuerat distinctum re.

Instantia. Atqui distinctio hæc realis, inter episcopos et presbyteros, non est ex institutione divina, sed ex institutione ecclesiastica. Ergo...

Probatur antecedens: Ex S. Hieronymo in commentario cap. I, epistolæ ad Titum, ubi explicans illa verba: « Et constituas per civitates *presbyteros*, etc. Oportet *enim episcopum* sine crimine

esse », etc. — hæc habet: « *Idem est ergo presbyter qui et episcopus:* et antequam diaboli instinctu studia in religione fierint, et diceretur in populis, *Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego autem Cefæ,* communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos ipsos putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, ut schismatum semina tollerentur ». — Ergo, 1° eminentia episcoporum supra presbyteros non fuit ab Ecclesiæ exordio; 2° sed hæc eminentia instituta est ut remedium schismatis. Insuper 3° quorum communi consilio Ecclesiæ regebantur in Ecclesiæ cunabulis, hi erant episcopis æquales. Unde, eminentia episcoporum non est ex institutione divina, sed ex consuetudine Ecclesiæ, ut ipsemet S. Hieronymus expressissimis verbis dicit: « ... ita episcopi noverint, inquit, se magis *consuetudine,* quam dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse majores, et in commune debere Ecclesiam regere »...

Resp.: *Ad primum:* eminentia episcoporum non fuit ab Ecclesiæ exordio, sec. S. Hier., *distinguo:* quoad nomen, *concedo;* quoad dignitatem et potestatem, *nego.*

Nam, ipsemet S. Hier. dicit in eodem loco: « Putet aliquis non Scripturarum, sed nostram esse sententiam, episcopum et presbyterum unum esse, et aliud ætatis, aliud esse nomen officii; relegant Apostoli ad Philippenses verba dicentis: Paulus et Timotheus servi J. C., omnibus sanctis in C. J., qui sunt Philippis, cum *episcopis* et diaconis, gratia vobis et pax. - Philippi *una* est urbs Macedoniæ. *Et certe in una civitate plures* (ut nuncupantur) *episcopi esse non poterant.* Sed quia eosdem episcopos illo tempore, quos et presbyteros appellabant; propter eos *indifferenter* de episcopis *quasi* de presbyteris est locutus ». — Sec. S. Hier., igitur, unaquæque civitas, unum tantum episcopum habebat, jam tempore apostolorum. Item, clare constat, ex ultimis verbis, quod æqualitas episcoporum et presbyterorum erat tantum in nomine.

Ad secundum: Hæc eminentia instituta est in remedio schismatis, *dist.:* eminentia aliqua, *concedo; omnis* eminentia episcoporum super presbyteros, *nego.* Nam, ipse S. Hier. admittit: in exordio Ecclesiæ, jam episcopi proprie dicti existebant; dicit enim, quod « in una civitate plures episcopi esse non poterant », e contra in una Ecclesia multi erant presbyteri. Quod tales episcopi habebant eminentiam super presbyteros ratione potestatis ordinis, constat ex eo quod S. Hier. loquitur de *episcopis* proprie dictis. Item, dicit S. Doctor: « Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? » (*Epist. ad Evagrium*). — Quoad *usum* potestatis jurisdictionis concedimus quod, secundum S. Hier., in primis temporibus, Ecclesia regebatur communi presbyterorum concilio, cum illo episcopi consilio. Sed ex hoc minime sequitur

quod presbyteri haberent *eamdem dignitatem*, sicut episcopus, sed tantummodo *usum potestatis*, non quidem jurisdictionis, sed ex consuetudine Ecclesiæ. Enimvero, « postquam unusquisque (presbyterorum) eos, quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi », necessarium fuit, ut, etiam *usum* potestatis jurisdictionis, episcopi sibi servarent, ut « schismatum semina tollerentur ». « Decretum est, igitur, ait S. Hier., in toto orbe, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem *omnis* Ecclesiæ *cura* pertineret ». — Sic patet responsum ad *tertium;* et etiam ad illa verba quæ adduntur: « episcopi.. magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse majores ». Quia Dominus non ordinavit ut episcopus *solus*, sine presbyteris, gubernaret Ecclesiam, sed hoc evenit ex consuetudine Ecclesiæ. Attamen, convenientius est ut episcopi in communi cum presbyteris Ecclesiam regant; sc., non dispotice, sed « imitantes Moysen (ait S. Hier.), qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta seniorum elegit, cum quibus populum judicaret ». — Ex hoc exemplo de Moysi eminentia episcoporum ex divina ordinatione, quam maxime confirmatur, quoad mentem S. Hier.

Confirmatur etiam ex eo quod S. Hieronymus clarissime docet episcopos esse apostolorum successores, cfr. in Mt. xxv, 26-28; epist. 146; epist. 41, etc. — Immo docet sacramentum chrismatis conferre, ad episcopos exclusive pertinere. Cfr. *Dial. ad Luciferianos:* « Si quæramus quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manum episcopi, non accipiat Spiritum Sanctum: disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod Spiritus Sanctus ad apostolos descendit ». — En ordinatio et institutio episcoporum divina.

Instantia: S. Hier. dicit quod episcopus eligebatur a collegio presbyterorum, et nullam mentionem facit de consecratione ipsius. Ergo...

Resp.: 1) Unde non licet concludere quod electio fiebat sine consecratione. 2) Esset contra ordinationem apostolorum, et contra traditionem. 3) S. Hier. loquitur, in textu citato, de Ecclesia Alexandrina. Atqui, Alexandriæ haud aliter ordinabantur episcopi sicut in aliis civitatibus, i. e. consecratione proprie dicta. Ergo etiam in Ecclesia Alexandriæ. Cfr. Euseb. *H. E.*, l. III, cap. 14, 21. — Item, cfr. De Groot, *l. c.*, p. 122. Cfr. etiam Natalem Alex. O. P., *H. E.*, sæc. IV, Diss. 44.

NOTA: Hæc nostra thesis, quæ conformis est Doctrinæ Ecclesiæ (cfr. Conc. Trid. apud Denz. 960, 967, 963), directe est contra sententiam Duchesne, qui in suo opere « *Storia della Chiesa antica* » (ed. Italiana, pp. 53, 54) — docet 1) duplicem episcopatum in primitiva Ecclesia, scilicet *collegialem* et *monarchicum*, possibilem fuisse; 2) non distinguit potestatem propriam jurisdictionis episcopi super presbyteros; 3) tenet quod collegium presbyterorum non solum episcopum eligebat, sed etiam ipsum consecrabat. En ejus verba: « Le prime cristianità sono

state innanzi tutto governate dagli apostoli di vario grado, ai quali dovevano la loro fondazione, o da altri membri del personale propagandista. Poichè questo personale era viaggiante e ubiquista i fondatori si sono affrettati ad affidare a qualche neofita più istruito e più degno, le funzioni permanenti necessarie alla vita quotidiana della comunità: celebrazione eucaristica, predicazione, preparazione al battesimo, direzione delle assemblee, amministrazione delle finanze... (Le comunità) ovvero un solo capo alla loro testa, o ne avessero parecchi, in ogni caso l'episcopato raccoglieva la successione apostolica... I preti della Chiesa Alessandrina provvedevano alla successione del loro vescovo defunto, non solamente eleggendo il successore, ma anche consacrandolo ». (Hoc opus positum est in *Indice librorum prohibitorum*, decreto diei 22 Januarii 1912). — Ad historiam quod attinet, cfr. De Groot, *De Locis*, ed. IV, pp. 557, 558-591.

Doct. J. Marx, *Hist. Eccl. ed. Italica*, p. 88, statim solvit quæstionem putando S. Hieronymum erravisse!

Nota: Ad complementum hujus quæstionis de hierarchia Ecclesiæ, addendum est quod regimen Ecclesiæ Christi, juxta Catholicos et rei veritatem, est Monarchicum-Simplex-Temperatum, i. e. potestas regendi Ecclesiam residet tota et indivisa in uno capite supremo Ecclesiæ, exercetur tamen intra limites legum cum naturalium tum supernaturalium Christi. Ista thesis tractanda est infra ubi agemus de Romano Pontifice. Hic tantum nominatur propter relationem cum nostra quæstione de hierarchia.

Ratione claritatis nostræ sententiæ ponimus hic sequens schema divisionis regiminum:

Regimen populorum sic dividitur

- 1. Democraticum (Regimen Populi).
- 2. Aristocraticum (Principatus Optimatum).
- 3. Monarchicum i. e. Regimen unius
  - Simplex (Potestas tota et indivisa)
    - Absolutum: Si potestas legibus positivis non coarctatur.
    - Temperatum: si potestas exercetur intra limites legum.
  - Mixtum (Potestas collectiva)
    - Mixtum (vulgo): Si rex partem habet tantum principalem in regimine.
    - Repræsentativum: si auctoritas in delegatis est tantum, et a populo. Improprie dicitur monarchicum.

Aliquomodo regimen Ecclesiæ est etiam democraticum, « tum quatenus summus Pontifex *electione*, non jure hæreditario, creatur, tum etiam quia et ipse, et Episcopi, et sacerdotes cum aliis ministris, ex omni populo, tribu, lingua ac ex quavis conditione assumuntur ». Item, et aliquomodo forma regiminis Ecclesiæ est aristocratica, sc. « quatenus Christi Vicarius in partem sollicitudinis et ministerii gubernationis adsciscere *tenetur* Episcopos, *quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* ». Ita Zepherinus Gonzales, *Phil. elem.* III, sect. II, 1.

APPENDIX

DE ECCLESIÆ NOTIONE PROUT CORPUS CHRISTI MYSTICUM EST

Notio Christi Corporis Mystici, quammaxime infinitum erga nos homines Dei amorem menti detegit. Deus, enim, propter nimiam charitatem et bonitatem suam, ex infinita suæ providentiæ sapientia, peccatum Adæ permisit, ut tantum Redemptorem nobis mitteret. « *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam* » (Joan. III, 16). Christus, igitur, in Redemptione sua, in Cruce sua, in Sanguine suo, Ecclesiam fundavit Universalem, « *medium parietem solvens... ut duos* (populos, sc. hebræos et paganos) *condat in semetipso, in uno novo homine faciens pacem* » (Ephes. II). Ipse Jesus constitutus est a Patre caput super omnia, et super omnem Ecclesiam. « *Omnia enim subjecit sub pedibus ejus, et Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur* » (Ephes. I, 22-23).

Notanda sunt verba: *caput Ecclesiæ*, *corpus Christi*, et *plenitudo ejus*, i. e., Corporis Christi. Ad rem S. Thomas: « Hic agit (Apostolus) de exaltatione Christi quantum: 1) ad *potestatem* maximam... Primo, respectu totius creaturæ..., quia « Omnia subjecit sub pedibus ejus »; secundo, respectu Ecclesiæ, ibi « Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam » ... Circa quod tria facit: quia *primo* ponit habitudinem Christi ad Ecclesiam; *secundo*, habitudinem Ecclesiæ ad Christum; *tertio*, exponit illam habitudinem. Quantum ad primum dicit: « Et ipsum dedit (Pater) supra omnem Ecclesiam », sc. tam militantem, quam triumphantem... Quantum ad 2um dicit: « Quæ est corpus ejus », i. e. in quantum est ei subjecta, recipit ab eo influxum, et habet naturam conformem cum ipso... Quantum ad 3um dicit: « Et plenitudo ejus ».

2) Ad rationem *capitis* quod attinet tria habentur sec. S. Thomam, sc. *a*) *præeminentia* in situ: Christus ascendens in cœlum, ad dexteram est Dei Patris, interpellans pro nobis; *b*) *diffusio* virtutum in membra: « Interior autem influxus gratiæ non est ab aliquo nisi a solo Christo; cujus humanitas ex hoc quod est divinitati conjuncta, habet virtutem justificandi ». *Summa Theol.*, III, q. 8, art. 6. — Item, ipse solus Christus est per quem ascensum habemus in gratiam istam in qua stamus (*ibid.* ad 3um. Cfr. Ad Rom. V, 2); *c*) *conformitas* in natura: « Vulnerasti cor meum soror mea (sc. per naturam) et sponsa (i. e. per gratiam) » Cant. IV, 9.

3) Ad rationem *corporis*, necessitas habetur diversitatis membrorum, et ipsorum inter se unitatis. « *Sicut enim corpus unum*

est et habet multa membra; omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt; ita et Christus: etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus». I Cor. XII, 12. — Spiritus enim est vinculum unitatis Ecclesiæ. «*Unum corpus et Unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ*» (Eph. IV, 4). A quo tamen est etiam diversitas donorum; Spiritus Sanctus enim distribuit unicuique prout vult.

4) Quantum ad *plenitudinem* notandum est cum S. Thoma quod «corpus naturale est quædam plenitudo animæ; nisi enim essent membra cum corpore completa, non posset anima suas operationes plene exercere. Similiter dicimus de Christo et de Ecclesia: et quia Ecclesia est instituta propter Christum, i. e. ut omnia quæ virtute sunt in Christo, quodammodo in membris ipsius Ecclesiæ impleantur; dum sc. sensus spirituales et dona, et quidquid potest esse in Ecclesia, quæ omnia superabundanter sunt in Christo, ab ipso deriventur in membra Ecclesiæ, et perficiantur in eis». — Unde dicit Apostolus: «*Gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia*» (Col. I, 24). — Salvator enim talem influxum ejus in membra exprimit per parabolam «vitis veræ», apud Joan. XV: «*Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et Ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere*». — Item, Joan. IV: «*...qui autem biberit ex aqua, quam Ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua quam Ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*».

Hæc doctrina de Ecclesia, prout Christi Corpus Mysticum est, eadem est, quoad substantiam, ac illa de communione Sanctorum. Anima et Cor hujus corporis mystici seu unionis sanctorum est Spiritus Sanctus, per fidem et charitatem. Universa membra ita compacta sunt, ut omnia opera eorum in unum fiant. Spiritus Dei, autem, qui pro omnibus nobis orat gemitibus inenarrabilibus (nam orare sicut oportet nescimus), *ipse operatur in nobis et velle et perficere* per bonam voluntatem, in gratiam ut «*Ecclesiam exhiberet gloriosam, non habentem maculam neque rugam*» (Ephes. V, 27); «*donec*, sc., *occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*» (ibid. IV, 11-13).

QUÆSTIO IV.

De perfectione Ecclesiæ.

In hac quæstione disserendum est primo de ipsa perfectione Ecclesiæ, deinde de his quæ ex ipsa perfectione sequuntur. Circa primum quæritur utrum Ecclesia sit societas perfecta. De aliis quæritur 1) utrum Ecclesia sit societas ubique legalis, 2) utrum sit necessaria.

ARTICULUS I.

UTRUM ECCLESIA CHRISTI SIT SOCIETAS PERFECTA

Status et sensus quæstionis. — Hucusque statuimus quod revera Christus Ecclesiam suam fundavit et instituit ut societatem essentialiter visibilem, quæ ex fidelibus constat, cujus constitutio est hierarchica et regimen monarchicum. Nunc autem quærimus utrum societas ista a Christo fundata sit omnino perfecta, i. e. completa; ita ut sit sui juris, sibi sufficiens, atque igitur ab aliis societatibus independens, ad instar regni. Vel, e contra, Ecclesia estne societas imperfecta, carens in se elementis ad suam propriam vitam necessariis ac propterea ab aliis societatibus, v. g. a Statu, dependens? Ecclesia estne omnino libera? habetne proprium jus existendi et operandi?

Momentum. — Hæc quæstio est maximi momenti. Ex ipsa enim pendent quæstiones de potestate Ecclesiæ. Quæstiones valde agitatæ de potestate coactiva et de relatione Ecclesiam inter et Statum, in ista fundantur.

Adversarii. — Omnes hodierni adversarii, præsertim qui in *cæsarismum* incidunt, suum præcursorem cernunt in Marsilio Patavino (1327), qui dicebat Christum non condescensive et liberalitate, sed *necessitate coactum*, tributum Cæsari, per staterem, dari jussisse; atque omnia temporalia Ecclesiæ subesse imperatori, qui ea potest accipere velut sua. Immo, ad imperatorem (dixit) spectat Papam corrigere, instituere et destituere, ac punire. Cfr. Denz. 495 et seqq.

Naturalismus, communismus et socialismus dictitant « Ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque hujusmodi distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis ». Denz. 1698.

Ad historiam quod attinet, cfr. Marx, *Hist. Eccles.*, vol. II, p. 524 (Ed. Ital.).

Prænotanda: 1° Quid sit societas jam supra diximus, cfr. p. 10. 2° Perfecta societas, illa dicitur quæ « *in ordine suo per se sufficiens est, et ab alia nulla dependet* ». — Unde duo requiruntur ad hoc ut Ecclesia sit societas perfecta, i. e. completa, cum independentia intrinseca et extrinseca in esse et operari sibi proprium, quod est: fideles dirigere in ordine ad sanctificationem propriam et ad vitam æternam.

Ad Articulum respondetur *affirmative;* et hæc affirmativa sententia est de fide prout constat saltem ex communi Ecclesiæ universali magisterio. — Contra Imperatorem Michaëlem an. 865, sanctus Nicolaus I scripsit: « Prima sedes non judicabitur a quoquam... » Denz. 330. — Similiter, S. Leo IX in epist. ad Michaëlem Cærularium an. 1053, cap. XI: « Præjudicium faciendo Summæ Sedi, de qua nec judicium licet facere cuiquam hominum, *anathema* accepistis ab universis Patribus omnium venerabilium Conciliorum ». Denz. 352 et seqq. — Item Joan. XXII damnavit doctrinam Patavini. Articuli ipsius damnati sunt ut Scripturæ contrarii, et fidei catholicæ inimici, hæretici, seu hæreticales et erronei. Denz. 500. — Magis explicite loquitur Pius IX in *Syllabo*, ubi damnatur hæc propositio: « Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quæ sint Ecclesiæ jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat ». Denz. 1719. — Cfr. etiam Pii IX « De regio placito ». Denz. 1847. — Item, Leo XIII « magna quidem injuria et temeritas est, inquit, Ecclesiam etiam in suorum officiorum munere potestati civili velle esse subjectam ». Denz. 1867. Et ibid., Denz. 1869: « Ecclesia, genere et jure, perfecta est societas ».

Probatur Articulus. — **Arg. I.** Perfecta societas est quæ in ordine suo per se sufficiens est et ab alia nulla dependet. Atqui talis est Ecclesia Christi. Ergo Ecclesia Christi est perfecta societas.

Major est definitio ipsius societatis perfectæ.

Minor probatur per partes.

A) *Christi Ecclesia est per se sufficiens in ordine suo*, sc. spirituali et supernaturali.

Nam, sapiens et potens fundator et institutor qui dat finem, dat etiam omnia media necessaria ad hunc finem consequendum. Atqui finis Ecclesiæ proximus est sanctificatio hominum, ut supra probavimus. Ergo Christus dedit Ecclesiæ *omnia media* necessaria ad hunc finem consequendum, et ad vitam ipsius Ecclesiæ.

Consequenter Ecclesia Christi est per se sufficiens. — Proinde, S. Thomas comparando Ecclesiam ad civitatem perfectam, ait: « Et hæc sufficientia (quæ invenitur in civitate) est in Ecclesia: quia quidquid necessarium est ad vitam spiritualem, invenitur in ea ». Cfr. *Comm. super Ps.* XLV, 3: « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei ».

B) Ab alia nulla dependet.

Nam, 1°, quod dependet ab alio, dependet ab eo vel ut *inferior* a superiore, vel ut *pars* a toto. Atqui Ecclesia non dependet ab ulla societate, neque ut inferior, neque ut pars. Ergo...

Primo, Ecclesia non dependet ab alia societate ut inferior a superiore. — Dignitas enim societatis sumenda est a fine ipsius. Finis autem Ecclesiæ est *supremus*, sc. salus animarum sempiterna, ad quem omnes alii fines humanæ vitæ ordinari debent. Ergo Ecclesia est superior omnibus societatibus. *Secundo*, non ut pars, quia finis Ecclesiæ est *universalissimus*, ad omnes sc. extenditur: « ad illuminandum omnem hominem venientem in hunc mundum ».

2° Nemo dat quod non habet. Atqui nemo habet ea quæ ad vitam Ecclesiæ necessaria sunt; quia oportet media proportionari fini: finis autem Ecclesiæ est spiritualis et supernaturalis. Nulla vero societas præter Ecclesiam, est supernaturalis. Ergo nulla alia societas potest Ecclesiæ media prestare, ut ipsa attingat suum finem. Ergo...

Dices: Societas civilis potest Ecclesiæ suppeditare res temporales...

Resp.: Societas civilis potest utique hoc facere, immo et debet, tamen non exclusive. Enimvero, nedum societas civilis potest res temporales possidere, sed etiam singuli cives; unde et fideles omnes, consequenter et Ecclesia. Immo, ut optime notat P. De Groot (*l. c.*, p. 136), « quia jus ad finem confert jus ad media, societati ecclesiasticæ competit exigendi *jure proprio* a membris suis ac subditis, quoties opus fuerit, res materiales, quæ ipsi videantur necessariæ ». Ex hoc exsurgit in Ecclesia jus exigendi decimas, et hoc jus est divinum. Cfr. Marc, *Theol. Moral.*

Nota: *Minor* nostri argumenti in Sacra Scriptura omnino fundatur. Ex Sacra Scriptura enim patet tum finem Ecclesiæ esse supernaturalem, tum media ad hunc finem consequendum soli Ecclesiæ et independenter ab aliis societatibus esse data. Soli Ecclesiæ enim dictum est: « Euntes in mundum universum, docete omnes gentes » (Mt. xxviii, 19). « Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis » (Joan. xx, 22-23) etc. — Similiter S. Script. docet Ecclesiam omnino independentem in operando. De Groot: « Sistitur Ecclesia ut societas distincta et independens (in operando) his verbis: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo* (Mt. xxii, 21). Ostenditur Ecclesiæ potestas nec a principibus neque iis mediantibus, sed ipsis etiam invitis accepta et exercenda: *Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante præsides et reges stabitis propter me* (Mc. xiii, 9). Petrus et Joannes, cum iis denuntiatum esset, *ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu*, responderunt: *Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, judicate* (Act. iv, 19). Apostolis rursum apprehensis, principi sacerdotum interroganti: *Præcipiendo præcipimus vobis ne doceretis*, respondit Petrus: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (Act. v, 29). Apostoli cum flagris cæsi et prohibiti prædicare dimissi essent, *non cessabant, in templo et circa domos docentes et evangelizantes Christum Jesum* (Act. v, 42) ».

Arg. II. *Ex Traditione.* — Ex Traditione enim constat Ecclesiam semper, a principio ipsius usque nunc, jus independentiæ

sibi vindicasse, quod omnino patet ex historia Ecclesiastica, præsertim primorum sæculorum. Unde Irenæus: « Ubi Ecclesia, inquit, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et *omnis gratia* » *Adv. Hær.*, l. III, c. 24, n. 1. P. G. VII, c. 966. — Item, S. Cyprianus: « Illius (i. e. Ecclesiæ) fœtu nascimur, illius lacte enutrimur, Spiritu ejus animamur » *De Eccl. Unit.*, c. v. — Addo hæc pulcherrima verba S. Joan. Chrysostomi, *in Mt.* viii, 23: « Navigat Ecclesia instructa fidei gubernaculo felici cursu super hujus sæculi mare, habens Deum gubernatorem, Angelos remiges, portans chorum omnium Sanctorum, erecta in medio ipsa salutaris arbor Crucis, in qua evangelicæ fidei velis suspensis, flante Spiritu Sancto, ad portum Paradisi et securitatem quietis æternæ deducitur ».

Confirmatur: 1) Christus Ecclesiam fundavit ut regnum. Atqui regnum est societas sibi sufficiens, et ab aliis independens. Ergo...

2) Si Ecclesia non esset societas perfecta, hoc contingeret aut ex inconvenientia, aut ex impotentia institutoris. Atqui ex neutro capite potest contingere quod Ecclesia Christi non sit perfecta. Ergo...

Ad *minorem : a*) *Non ex inconvenientia:* quia quam maxime conveniens est ut Ecclesia Christi sit omnino perfecta: 1) ratione dignitatis Christi; quia opus Christi debet esse perfectum; 2) ut Ecclesia quæ est societas per anthonomasiam, ut ipsum nomen denotat, sit etiam exemplar societatum; 3) quia vita et libertas Ecclesiæ Christi non debet dependere a Statu; 4) quia societas Ecclesiastica a Christo fundata ordinatur ad sanctificationem civilis societatis, unde ad hanc ordinatur sicut perfectum ad minus perfectum, sicut spirituale ad materiale, sicut anima ad corpus.

b) *Non ex impotentia institutoris:* quia institutor est Christus, qui est vita, veritas et via, qui pro Ecclesia venit in hunc mundum, et pro ea non dubitavit mori. Uno verbo: quia Christus est verus Deus et homo, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra, et in cujus nomine omne genu flectatur, terrestrium, cœlestium et infernorum.

OBJECTIONES

Objectio I. — Societas quæ constituitur ex peccatoribus et reprobis una cum justis et prædestinatis, non est perfecta, ut patet.

Resp.: ... non est perfecta ratione omnium membrorum singillatim sumptorum, quia quidam sunt boni alii non, *concedo;* non est perfecta ratione societatis, *nego.*

II. — Societas humana perfecta debet habere territorium proprium. Atqui Ecclesia non habet territorium proprium. Ergo...

Resp.: *Dist. majorem :* societas etc. debet habere territorium proprium, si hoc requiritur ratione sui generis, *concedo;* secus, *nego.*

— *Dist. min.:* Ecclesia non habet territorium proprium, quoad dominium spirituale, *nego.* Quoad tale enim universum mundum ut proprium territorium habet Ecclesia. Ex jure divino, immo ex præcepto, Ecclesia jus habet ubique — « in universum mundum » — esse, vivere et operari. — Quoad dominium civile, *subdistinguo:* non habet territorium proprium per acc., *transeat;* per se, *nego.* Nam Ecclesiæ non repugnat habere territorium civile; immo (ut videndum est infra), decet caput Ecclesiæ Christi esse regem; immo necesse est ut sit rex. — Cfr. Zigliara, *Phil. De jure nat.*, 63, VIII. Ed. XV, p. 337.

III. — Societati perfectæ competit jus gladii, i. e. jus infligendi pœnas capitales. Atqui tale jus Ecclesiæ non competit. Ergo...

Resp.: *Dist. majorem* super ly *competit:* ob rationem specificam alicujus societatis, *concedo;* ratione generica, *nego.* — *Dist. min.:* tale jus non competit Ecclesiæ formaliter ut jus, *nego.* Etenim, quod eadem ratione competit inferiori, a fortiori competit superiori. In ratione officii, *subdistinguo:* quando hoc convenientius fieri potest per potestatem civilem, *concedo;* quia Ecclesia abhorret cruentas ultiones (Denz. 401); quando necessitas cogit, *nego;* quia tunc ratione finis ultimi consequendi, Ecclesiæ competit etiam usus gladii. — Unde optime notat P. Liberatore, S. J. « La Chiesa, *inquit*, essendo società perfetta, ha ricevuto senza dubbio da Dio tutti i diritti necessarii alla sua conservazione. Altrimenti converrebbe accusare Dio d'incoerenza, come colui che avesse voluto il fine negando i mezzi. Ora tra i diritti proprii di una società perfetta vi è quello di coazione contro i nemici interni ed esterni. Nello stato di scambievole alleanza tra lo Stato e la Chiesa, il predetto diritto viene da questa esercitato per mezzo di quello, in virtù della tutela armata che esso le porge. Quinci l'idea delle spade, la spirituale e la materiale, confederate insieme a salute del mondo. Ma rotta una tale alleanza, ognuno vede che quel diritto della Chiesa non può perire, siccome risultante dalla natura stessa sociale, di cui non dallo Stato ma da Dio fu rivestita ». Cfr. *Stato e Chiesa*, p. 77.

Notandum est cum Gredt, *Phil.* vol. II, ed. III, p. 357, quod in rebus mere civilibus, Status omnino independens est ab Ecclesia: in religiosis autem Ecclesia independentia gaudet; in mixtis vero supremum judicium penes Ecclesiam est propter subordinationem societatis civilis ad ecclesiasticam.

De istis rebus fusius loquemur postea in tractatu *de relatione inter Ecclesiam et Statum.*

IV. — Ecclesia est cœtus spiritualis. Ergo bona temporalia non sunt ejusmodi, ut ad eam aliquo modo pertineant (De Groot, p. 137).

Respondetur: *Dist. antec.:* Ecclesia est spiritualis ratione sui finis, *conc.;* ratione membrorum, *nego.* Ecclesia etsi *de* mundo

non est, *in* mundo tamen versatur. « Quapropter summo jure rebus materialibus utitur, quæ spiritualibus ac supernaturalibus, tamquam fini media, in terris subordinantur ».

Articulus II.


utrum ecclesia sit societas ubique legalis

Status et sensus quæstionis. — Diximus quod Ecclesia est sibi sufficiens in ordine suo, et ab aliis societatibus omnino independens. Quærimus nunc utrum Ecclesiæ competat, ex natura sua et jure divino, ubique esse et operari. Quæstio ergo est de *jure*, non autem de *facto*.

Momentum quæst. — Practicum momentum quæst. hujus est maximum. Nam, sequeretur ex hoc art. quod omnes nationes tenentur Ecclesiam, in territorio earum, admittere, ejusque potestatem et ministerium nullo modo coarctare, immo ac facilius reddere. Inde neminem latebit quam injustæ sint leges quæ contra tantam societatem ordinantur.

Adversarii. — Isti sunt præsertim non-christiani, uti massonici et athei, qui, præjudiciis imbutis, Ecclesiam dicunt esse matrem ignorantiæ ac superstitionum. Fere omnes nationes et regna Ecclesiam admittunt, procedentes ex principio tolerantiæ religionum, unde ex æquali jure, vel convenientia sicut aliarum religionum.

Prænotamina: 1) Quid nomen legale significat? — Legale est, quod secundum legem habetur. — 2) Quid, igitur, est lex objective considerata? — « Quædam regula et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur ». I-II, q. 90, art. 1. — 3) Quando lex est justa? — « Quando fundatur in lege æterna, quæ est ratio gubernationis rerum in Deo ». I-II, q. 91, art. 1. — 4) Quomodo dividitur lex?



Cfr. Prümmer, *Theol. Mor.*, et Gredt, *Phil.*, n. 787.

Ecclesia jus habet esse ubique ex lege divino-positiva *per se*.

Sententia Catholicorum. — De fide est Ecclesiam Christi esse ubique legalem quia est universalis. Conc. Nic. II.

Probatur ex De Groot, p. 140. — **Arg. I.** Lex positivo-divina in iis locis valet pro quibus lata est. Atqui lege positivo-divina constitutum est, ut Ecclesia ubique pandatur. Ergo Ecclesia est societas ubique supremo jure legalis.

Minor constat ex fine Ecclesiæ (cfr. p. 29) et ex verbis Christi, puta ex Marco XVI, 15: « Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ ».

Arg. II. Legalitas conceditur habita ratione aut bonorum æternorum aut bonorum temporalium. Atqui Ecclesia Christi hæc omnia importat. Ergo...

Ad *minorem:* Ecclesia ordinatur ad bona æterna, vel exclusive, ut volunt catholici, vel sufficienter, ut dicunt alii christiani. Qui hoc negant remittendi sunt ad primam partem apologeticæ. — Ordinatur Ecclesia ad bona temporalia, quia custodit veras virtutes, et humanam vitam quam maxime ordinat. Cfr. De Groot, *l. c.*

NOTA: Objectiones contra hanc thesim, et persecutiones contra Ecclesiam, proveniunt præcipue ex præjudiciis et crassa ignorantia adversariorum.

Corollarium. — Nulli aliæ societati religiosæ competit, jure proprio, ubique esse.

Ecclesia Christi, alias religiones in territorio ipsius tolerare potest, usque dum non fiat periculum corruptionis fidelium. Aliæ vero nationes et regna tenentur libertati Christi Ecclesiæ favere in territorio earum; immo tenentur eam audire et ut propriam admittere, si sufficienter eam cognoscerent.

ARTICULUS III.

UTRUM ECCLESIA CHRISTI SIT SOCIETAS NECESSARIA

Status et sensus quæstionis. — Ex art. præcedenti scimus quod Ecclesia jus habet ex divino mandato ubique esse; quæritur hic, consequenter, utrum Ecclesia sit omnibus necessaria societas; i. e. possuntne homines præter hanc Ecclesiam salutem æternam consequi? Estne voluntas Christi ut omnes qui salvantur in ista Ecclesia salventur? Adestne salus extra hanc Ecclesiam? En quæstio.

Momentum quæstionis jam satis patet.

Adversarii. — Errores circa hanc doctrinam habentur ex vitiosa tolerantia novatorum. Quidam « non omnes quidem religiones esse viam salutis perhibentur », sed negant *unicam* veritatis et salutis viam esse Ecclesiam (sic *indifferentismus moderatus* seu *latitudinarismus*); alii contendunt: « omnes religionis cultus æque esse probabiles,

æque Deo acceptos » (*indifferentismus radicalis*). Ita recenter, Thomas H. Hamblin, in « *Science of thought Review* » Nov. 1925, p. 599.

Prænotamina: 1) Bene distinguendum est inter *necessitatem medii* et *necessitatem præcepti*. — *Necessitas medii* est absoluta conditio, sine qua quis non potest salutem æternam adipiscere, in qua nulla conceditur excusatio; e. g. fides, sive *habitualis* pro omnibus, sive *actualis* pro adultis; sive *implicita*, quoad omnia revelata et ab Ecclesia proposita, sive *explicita* saltem quoad Dei existentiam et ipsius remunerationem (I, q. 1, art. 7). — *Necessitas præcepti* illa est quæ sequitur ex speciali præcepto legitimi superioris et est conditio quidem imposita, sed non ita absolute, ut salus aliter obtineri nequeat; unde in tali necessitate solet excusari quælibet moralis impotentia. Ita est v. g. profiteri fidem manifeste. Dicit enim S. Paulus: « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem » Rom. x, 10. Et alibi, in Evangelio Mt. x, 32: « Qui me negaverit coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est » Cfr. Prümmer, *Manuale Theol. Mor.*, nn. 192 et seqq.

2)

Membrum Ecclesiæ potest esse...	IN VOTO, saltem implicito: — de necessitate medii.
	IN RE, pro illis qui ignorantia invincibili (i. e. inculpabili) non laborant: — de necessitate præcepti.

Ad Articulum: affirmative de Fide, prout explicatum est. Cfr. Denz., *Index*.

Probatur I. *Pertinere ad animam Ecclesiæ est de necessitate medii*. — Ratio: quia « sine fide impossibile est placere Deo... accedentem ad Deum oportet credere » Hebr. xi, 6. Mc. xvi, 16: « Qui autem non crediderit, condemnabitur ». Joan. vi, 44: « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, et ego resuscitabo eum in novissimo die... Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me... Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam ».

II. *Pertinere ad corpus Ecclesiæ* in re *est de necessitate præcepti*. — Ratio: quia necesse est Ecclesiam audire: « Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus » Mt. xviii, 17; — corpus Christi manducare: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis » Joan. vi, 54; — recipere apostolos, i. e. ministros Christi: « Qui recipit vos, me recipit, et qui me recipit, recipit eum qui me misit » Mt. x, 40; — Baptismum recipere: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, hic salvus erit » Mc. xvi, 16; — habere peccata soluta: « Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis » Joan. xx, 22-23.

III. *Pertinere ad corpus Ecclesiæ* in voto *saltem implicito est de necessitate medii.* — Quia de necessitate medii est aliquem Christi Ecclesiam paratum esse amplectere, si eam sufficienter cognosceret. Cfr. Tanq. Ed. XV, p. 533. — Unde non nisi culpabiles a salute excluduntur. Quod vero Ecclesia « hoc principium inculcat et premit ne homines, sibimetipsis blandientes, in re gravissima errent ac relicta vera ac unica via salutis, in æternum pereant, hoc est charitatis ». Ita optime P. Schultes, p. 276.

Confirmatur *ex Patribus.* V. g.: *S. Ignatius Antioch.* ait: « Ne erretis fratres mei. Si quis schisma facientem sectatur, regni divini hæreditatem non consequitur » (*Ad Phil.*, c. III). — *Polycarpus* Marcioni aliquando sibi occurrenti et dicenti: Cognoscis nos? respondit: « Cognosco te primogenitum Satanæ ». — *S. Irenæus*: « In Ecclesia enim posuit Deus apostolos, prophetas, doctores et universam reliquam operationem Spiritus; cujus non sunt participes omnes, qui non currunt ad Ecclesiam » (*Adv. Hær.*, l. III). — *Tertullianus:* « Hæretici christiani non sunt » (*Præscr.* XXXVII). — *S. Cyprianus:* « Quisquis ille est, et qualiscumque est, christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est » (Ep. 52). Iterum: « Habere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem » (*De Eccl. Unit.*, cap. V). — *S. Hieronymus:* « Dicimus omnem qui salvatur, salvari in Ecclesia, sive in cœlesti Jerusalem » (*In Joel.* cap. II). Rursus: « Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio » (Ep. 14 *ad Damasum*). — *S. Augustinus:* « Extra Ecclesiam catholicam totum potest (habere) præter salutem. Potest habere honorem, potest respondere Amen, potest Evangelium tenere, potest in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti fidem et habere et prædicare: sed nusquam nisi in Ecclesia catholica salutem poterit invenire » (*Sermo ad Cæsariensis Ecclesiæ plebem*). Item: « Ecclesia catholica sola est corpus Christi... Qui ergo vult habere Spiritum Sanctum, caveat foris ab Ecclesia manere » (Ep. 185, n. 50). — Cfr. De Groot, pp. 55, 145.

Corollarium. — « Cum Ecclesia sit societas necessaria et ipse Deus omnes ad unam illam societatem pertinere jusserit, discedere ab eo cœtu crimen est, ad eum congregari, in eoque perseverare usque ad mortem officium est ». Ita De Groot. Unde recte habetur in Codice Theodosiano: « Quod in religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam ».

Dices: Ex thesi nostra sequeretur maximam partem hominum damnari; nam, valde difficile est, inter tantam sectarum diversitatem, veram Christi Ecclesiam agnoscere.

Resp.: *Dist.:* Difficile est veram Christi Ecclesiam agnoscere, per acc., i. e. propter incredulorum præjudicia et perversitatem, *concedo;* per se, i. e. ratione ipsius Ecclesiæ, *nego.* Nam, ut

supra diximus, Ecclesia Christi essentialiter visibilis est, et, tamquam civitas supra montem posita, abscondi non potest. Quibus signis seu notis in concreto cognoscenda est Ecclesia vera? De hac quæstione nunc agimus, unde sit:

DE QUALITATIBUS ECCLESIÆ CHRISTI

I.

DE QUALITATIBUS ECCLESIÆ INTERNO-EXTRINSECIS SEU DE NOTIS

Ex eo quod Ecclesia est essentialiter visibilis, ut supra statuimus, necesse est ut perfectio Ecclesiæ manifestetur per aliquod proprium, quo cum certitudine et clare indicetur Ecclesia, et ab aliis falsis secure discernatur. Hoc proprium igitur, quod profluit ex ipsamet natura Ecclesiæ, ad ejus perfectionem pertinet, ut qualitas seu qualitates *interno-extrinsecæ.* Postquam ergo de ipsa perfectione Ecclesiæ tractavimus, nunc conveniens est de istis qualitatibus ipsius interno-extrinsecis tractare. Agendum est 1) De ipsis notis in generali; 2) in particulari.

QUÆSTIO V.

De notis Ecclesiæ in generali.

Quærimus: 1) quid sit nota; — 2) quænam sint notæ.

1) **Quid intelligimus per notam?** — « Nota est proprietas Ecclesiæ, hujus veritatem extrinsecus manifestans ». Cfr. De Groot, p. 146: « Dicitur *proprietas;* proprietates nimirum ab essentia rerum sicut a principio profluunt et cum ipsamet ita connectuntur, ut cognitis istis et res cognoscitur. Sequitur: *extrinsecus manifestans;* namque proprietas, nota seu signum non est, nisi externe simul appareat. Manifestat autem *veritatem;* non velut si fidei veritates in particulari notis patefierent, sed eo quod hominibus, ubi sit vera Christi Ecclesia, clare monstrant ». — Ecclesia se habet ut principium activum et causa finalis harum proprietatum; procedunt enim ab ipsa Ecclesia ut a principio vitali, et finis earum est ut veritatem Ecclesiæ manifestent. Cfr. I, q. 77, art. 6 ad 2 et 3. De habitudine substantiæ et accidentis vide *Gregorianum*, Mense Martii 1926, p. 82. — Propterea, notæ, *a*) conjunctæ sunt Ecclesiæ nexu necessario;

b) per ipsas Ecclesia cognitu est facilior; *c*) immo, debent esse obviæ, ut omnes, servata proportione, Ecclesiam sufficienter ad salutem perspiciant; *d*) debent esse *positivæ*, indicando sc. modo positivo, non mere negativo, sed ex claritate, præsentiam Ecclesiæ veræ et veritatem ipsius.

2) **Quænam sunt notæ?**

Hucusque probavimus existentiam et naturam Christi Ecclesiæ, et conclusimus quod hæc Ecclesia omnino necessaria est ad salutem consequendam. Unde valde urget quæstio: « Undenam cognosci potest hæc Christi Ecclesia, ita ut homines certitudinem habeant de ejus authenticitate? » — Scimus quod Ecclesia Christi essentialiter visibilis, i. e. certo judicio in concreto cognosci potest; sed undenam cognoscitur? quibus signis, seu notis? Quodnam est *proprium* Ecclesiæ?

Plures sunt sententiæ circa hanc quæstionem. *Protestantes* generatim ponunt hoc proprium Ecclesiæ Christi in purum Dei verbum prædicando, rectaque sacramentorum administratione. — *Græci* volunt immutatam conservationem doctrinæ Ecclesiæ antiquæ (i. e. Patrum et septem priorum Conciliorum) esse proprium Ecclesiæ. — *Catholici* omnes conveniunt quatuor notas a Concilio Nicæno-Constantinopolitano indicatas sufficienter et certe demonstrare Christi Ecclesiam. Quidam tamen alias, præter istas, notas enumerant. Quid ergo inter tantam diversitatem opinionum dicendum est?

Quærimus, igitur:

1° **Utrum notæ Protestantium sint admittendæ.** Et videtur quod sic, nam: ubi est purum Dei verbum seu prædicatio, et recta sacramentorum administratio, ibi certissime est Ecclesia, quod evidens est.

Sed contra est: *Primo* enim, notæ a Protestantibus propositæ non sunt obviæ. Quis enim potest obvie, faciliter cognoscere et discernere purum Dei verbum a non puro, rectamque sacramentorum administrationem a non recta? — *Secundo*, pura prædicatio, rectaque sacramentorum administratio jam supponunt veram Christi Ecclesiam adesse, non eam probant. Unde incidunt in circulum vitiosum, quia idem probant per idem. Probant enim adesse veram Christi Ecclesiam ex præsentia prædicationis verbi Dei puri, quod jam supponit veram Christi Ecclesiam. — *Tertio*, ne inter ipsosmet Protestantes sufficiunt quidem tales notæ, multa et magna est enim dissensio apud eos. — Consequenter notæ a Protestantibus propositæ admitti nequeunt.

2° **Utrum nota a Græcis proposita sit sufficiens.**

Videtur quod ita sit, quia, certo certius, ubi habetur immutata Ecclesiæ primitivæ doctrina, ibi est vera Christi Ecclesia.

Sed contra est: Nam, quamvis hoc certum inditium sit veræ Christi Ecclesiæ, tamen hoc indicium nequit considerari tamquam nota, vel una ex notis de quibus est sermo. Nota enim debet esse facillime cognitu. E contra, quod aliqua doctrina sit a tempore apostolorum immutata in Ecclesia aliqua non omnibus clarum est, nec esse potest; requiritur enim ad *hoc* profundum studium Patrum, Conciliorum, etc. — Et, in praxi, quis potest discernere plena cum certitudine, talem doctrinam immutatam remansisse, vel aliam præter eam apostolos non tradidisse? Talis doctrina, ut sit practice certa, supponere debet Ecclesiæ auctoritatem ac magisterium. Consequenter, jam supponeret cognitam esse Ecclesiam. Ergo neque nota Græcorum est admittenda. — Propterea:

3° **Utrum quatuor notæ a Concilio Nicæno-Constantinopolitano declaratæ sint admittendæ.**

Videtur quod non. Nam 1) non omnibus patefit sanctitas, vel etiam apostolicitas Ecclesiæ. Quantum ad apostolicitatem eamdem habetur difficultas sicut pro nota Græcorum. — 2) Facile est quod aliquis non videat aliquam ex notis, et exinde neget alias.

Sed contra est: 1) « A priori »: Sive Protestantes sive Græci, cum Catholicis admittunt legitimitatem et (saltem Græci et Ritualistæ) inerrantiam Concilii Nicæni. Atqui Concilium quatuor notas proposuit tamquam proprietates Ecclesiæ per quas ab aliis dignoscitur verus christianus. Ergo hæ proprietates ut notæ sunt ab omnibus admittendæ. — 2) Scimus ex prædictis Christum *unam* tantum societatem fundavisse, quæ est ordinata ad *sanctificationem* hominum, et quidem *omnium* hominum; insuper scimus quod hæc Christi Ecclesia fundata est supra fundamentum *apostolorum*. Ecclesia Christi, igitur, ita debet se manifestari in mundo, sc. *una, sancta, catholica et apostolica.* — Si enim unitatis notam non habuerit, sed divisionis, Christi Ecclesia non esset. Et similiter de aliis notis. — 3) Insuper, videtur voluntatem Christi esse quod sua Ecclesia per has quatuor notas dignosci possit. — De *unitate* Ecclesiæ enim dicit: « ... fiet unum ovile, et unus Pastor » (Joan. x, 16). Item, « Dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus » (Mt. xviii, 17). Ergo Ecclesia manifestatur, secundum voluntatem Christi, ex unitate fidei et doctrinæ. — De *sanctitate* ait: « Vos estis lux mundi... Ita luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est »; i. e. homines cognoscent Patrem, et ideo, Ecclesiam, per sanctitatem vestram. — De *catholicitate* dicit: « Multi ab Oriente et Occidente (ergo ab universo orbe terrarum) venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum » (Mt. viii, vers. 11). Ex quibus sequitur Ecclesiam aptam esse omnibus hominibus, omnium temporum atque locorum. — Deinde quantum ad

apostolicitatem, ait Apostolus: «Fundata est Ecclesia super fundamentum apostolorum etc.» (Ad Ephes.).

Præter istas quatuor notas aliæ quippe enumerari possunt, ad veram Christi Ecclesiam cognoscendam, tamen hæ faciliter ad istas quatuor reduci possint. Ita, v. g.: *firmitas*, quæ reducitur ad unitatem, et apostolicitatem; *potestas legitima*, quæ reducitur ad apostolicitatem etc.

Confirmatur: *a*) quia nostræ quatuor notæ indolem propriam habent notarum; sc. sunt connexæ inseparabiliter cum Ecclesia et inter se: si una ex ipsis adest, et ceteræ adsunt; si una abest, et ceteræ absunt. Item, obvie, facillime et positive cognoscuntur; et ita certe Ecclesiam designant, ut impossibile sit Ecclesiam veram non esse illam quæ istas notas revera habet; — *b*) quia hæresim et schisma excludunt.

Ex dictis, igitur, nos concludere licet, notas ab Ecclesia catholica seu a Conc. Nicæno-Constantinopolitano propositas veram et propriam notarum indolem habere et naturam, et sufficere ad designandam cum certo judicio in concreto veram Christi Ecclesiam. — Et hoc melius apparebit infra ubi de singulis notis erit sermo.

Resp.: Ad *primum* ergo respondeo: sanctitas si consideratur in singulis et individuis membris non patefit omnibus; sed, e contra, si consideratur in cultu, regimine Ecclesiæ, doctrina et in ipsa Ecclesia collective sumpta. Item, doctrina apostolorum non omnibus quidem apparet, tamen successionem legitimam et nunquam interruptam omnes cognoscere possunt. Et sic, ex una nota etiam aliæ patefiunt. Ex quo patet responsio ad *secundum*.

Nota: Ad agnoscendam veram Christi Ecclesiam aliæ viæ proponi possunt, sc. arguendo ex dotibus indefectibilitatis seu sublimitatis doctrinæ Ecclesiæ, etc.; vel arguendo per partes ex Sacra Scriptura et Patribus quoad singulas Ecclesiæ veritates. Attamen tertia via, i. e. per notas, a nobis præferenda est. Primo, ista includit primam viam, et mentem præparat ad secundam. Secundo, quia aliæ viæ jam supponunt Ecclesiam catholicam veram esse, dum nostra via est adhuc inquisitiva, et ideo habet indolem magis scholasticam. Tertio, quia de singulis veritatibus Ecclesiæ habentur alii tractatus theologici. — In praxi tamen unusquisque debet adhibere viam quam ipse existimat magis aptam esse ad convincendum adversarium.

QUÆSTIO VI.

De notis in particulari.

Articulus I.

DE NOTA UNITATIS

Agendum est, I. De natura unitatis notæ, (etenim consideramus notas etiam sub notione proprietatum, quia tractatus noster *De Ecclesia* est theologicus, quamvis etiam apologeticus). — II. De demonstratione quod hæc unitatis nota Ecclesiæ Christi competit. — III. De Ecclesia cui, ex vigentibus, hæc nota competit.

I. **De natura unitatis notæ.** — Diximus quod Ecclesia Christi debet esse una tantum, quia Christus unam dumtaxat instituit societatem. Necessarium est igitur ut Ecclesia Christi unitate *essentiali* refulgeat. Dicit autem Angelicus Magister, quod « *quælibet res est una per essentiam suam* » (I, q. 6, a. 3 ad 1).

Nota: Christus esse duo dici non potest, quia prædicatio est de supposito (III, q. 17, art. 1 ad 6).

De essentia vero Ecclesiæ militantis est fides, ut supra diximus (p. 27). Unde unitas Christi Ecclesiæ quam maxime refulgere debet in unitate ipsius fidei. Unitas est negatio divisionis (Gredt, *Phil.*, n. 98). Propterea fides veræ Christi Ecclesiæ non potest esse divisa. Fides autem potest dupliciter considerari, sc. *a*) ut habitus, et sic est virtus theologica infusa, quæ est ejusdem speciei in omnibus eam habentibus, differtque numerice in singulis; — *b*) alio modo consideratur fides *objective*, i. e. secundum suum objectum. « Objectum autem formale (*quod*) fidei est veritas prima (in essendo), cui etiam inhærendo credimus quæcumque sub fide continentur » (i. e. objectum materiale) II-II, q. 4, art. 6. — Objectum formale *quo* fidei est veritas prima *in dicendo* (sive externe per revelationem, sive interne per motionem Spiritus Sancti). Unde S. Thomas: « Ille qui credit habet sufficiens inductivum ad credendum: inducitur enim auctoritate divinæ doctrinæ miraculis confirmatæ et, quod est plus, interiori instinctu Dei invitantis » II-II, q. 2, art. 9, ad 3. — Unitas fidei, igitur, quæ est unitas essentialis Ecclesiæ, habetur in Ecclesia si omnes fideles uni eidemque objecto inhæreant per eumdem principium intrinsecum, propterque eamdem auctoritatem divinam. Nota ergo unitatis Ecclesiæ est præcipue in manifestatione obvia et positiva *hujusmodi fidei*. Nota ergo unitatis consistit principaliter in professione fidei supernaturalis. — Insuper, necesse est ut unitas Ecclesiæ resplendeat in *forma* Eccle-

siæ. Nam, Ecclesia christiana quæ erat ante adventum Christi, non differebat ab ista quæ a Christo est fundata, nisi in forma, dumtaxat, ut supra notavimus cum Gatti. Si Ecclesia Christi ergo est una, debet esse talis etiam ratione formæ, i. e. ratione hierarchiæ et cultus. Oportet igitur, Ecclesiam unicam a Christo institutam et fundatam unitate splendescere in eadem fidei professione, regimine et cultu. — Propterea unitatis nota recte definiri potest: « ECCLESIÆ PROPRIETAS, QUA, IN FIDEI VERÆ ET SUPERNATURALIS PROFESSIONE, IN REGIMINE LEGITIMO HIERARCHICO ET CULTU DIVINO, EST INDIVISA IN SE ET DIVISA A QUOLIBET ALIO ».

NOTANDA: 1. Non est necessarium ad manifestationem fidei unitatis, ut omnes fideles hic et nunc omnia credant revelata explicite, sed sufficit quoad omnia (globatim) revelata *fides implicita*. Unde S. Thomas: « Confessio fidei traditur in symbolo quasi ex persona totius Ecclesiæ quæ per fidem unitur. Fides autem Ecclesiæ est fides formata » (I, q. 1, art. 9 ad 3).

2. Protestantes confundunt fiduciam seu fidem fiducialem cum fide proprie dicta. Sed hæc duo toto cœlo differunt. Nam, fides est assensus intellectus sub imperio voluntatis, divina gratia motæ. Fiducia vero « est *spes* roborata ex aliqua firma opinione » (II-II, q. 129, art. 6 ad 3).

3. Regimen, in quo, simul cum professione fidei, unitas Ecclesiæ refulget, illud debet esse legitimum a Christo institutum, et non aliud.

4. Cultum quoque non quemcumque sed illum divinum intelligimus, qui Christum sive immediate sive mediate habet auctorem. Unde præcipue de sacramentis est sermo et de sacrificio altaris, non vero de quibusdam ceremoniis particularium Ecclesiarum propriis.

II. Nota unitatis competit Ecclesiæ Christi.

Probatur 1) generatim: *ex eo quod Christus unitatem commendat.*

Christus enim Ecclesiam comparat ovili, « ad quem oportet omnes homines adducere, ut fiat *unum* ovile et *unus* pastor» (Joan. X, *v.* 16); domui supra firmam petram ædificatæ, « adversus quam portæ inferi non prævalebunt » (Mt. XVI, 18); regno: « omne regnum divisum contra se, desolabitur » (Mt. XII, 25). — Item, quam maxime commendat unitatem quando dicit: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (Joan. XIII, 35). Et præsertim in ultima Christi oratione pro discipulis: « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: *ut sint unum, sicut et nos*... Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt, per verbum eorum in me: *ut omnes unum sint*, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: *ut credat mundus*, quia tu me misisti. Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me: ut sint consummati in unum: et cognoscat mundus quia tu me misisti » (Joan. XVII). Unde mundus cognoscere potest

missionem Christi ex hac unitate fidelium. Hæc unitas præcipue est spiritus, sed non excludit externam unitatem.

2) **Probatur** *ex Sacra Scriptura hanc unitatem esse in professione fidei, in regimine et in cultu.*

a) *Una fidei professio* probatur 1º *ex eodem principio efficiente fidem Ecclesiæ, quod est Sp. Sanctus.* — Joan. VI, 44: « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum ». — Item, Joan. XIV, 16: « Et ego rogabo Patrem meum, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis... ». — 2º *Ex firmitate Ecclesiæ;* etenim si fidei professio non est una, Ecclesia minime potest esse firma. Ecclesia vero est fundata supra firmam petram (Mt. XVI, 18), et est columna et firmamentum veritatis (I Tim. III, 15). — Item, eamdem doctrinam docent apostoli: « Docete omnes gentes servare omnia quæcumque mandavi vobis » (Mt. XXVIII, 19, 20). Et ita certus erat Apostolus quod hæc doctrina bona erat et irrevocabilis, quod non hæsitavit dicere: « Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus et nunc iterum dico... » (Gal. I, 8-9). Unde sicut unus est Dominus, unam fidem Apostolus commendat (Ad Ephes. IV). — 3º Probatur, *ex horrore hæreseos.* — Christus: « Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus » (Mt. XVIII, 18). Similiter, S. Paulus ad Titum (III, 10): « Hæreticum hominem, post unam et secundam correptionem devita ». — Cfr. etiam II Pet. II, Jud. etc.

b) *Unum regimen.* — Jam hoc indicatur a Christo sub figura ovilis et regni. Sed insuper S. Paulus unitatem in diversitate ministerii pulcherrime explicat in Epistola *ad Ephes.* cap. IV, 11 et seqq. — Et vult omnes rectores non independenter operari, sed in unum conjungi; quia Christus non est divisus. — Item, quæ de S. Petro dixit Christus hanc unitatem magis confirmant.

c) *Unus cultus.* — Cultus proprie consistit in sacramentis et in sacrificio (altaris). Christus ipse vero hæc determinavit, et consequenter unitatem instituit. Baptisma autem et Eucharistia ita se habent ad alia sacramenta sicut principium ad finem. De Baptismo autem Christus formulam dedit nobis, dicens: « Baptizate... in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti ». De Euchar. vero (quæ secundum doctrinam catholicam est etiam sacrificium; cfr. circa hoc tractatum proprium *de Euchar.*), dixit: « *Hoc* facite in meam commemorationem » . . . « *Hoc est corpus meum* », etc. — Ideoque ait S. Paulus: « Una fides, unum baptisma » (Ephes. IV, 5). « Unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus » (I Cor. XI, vers. 24).

3) *Hæc unitas, seu unitatis nota optime* **confirmatur** *ex tota Traditione, immo ex nomine ipso* schismatis *et* hæresis (cfr. De Groot, p. 157).

a) *Patres Apostolici:*

S. Clem. Romanus in epistola prima, quam ad Cor. scripsit, Ecclesiæ unitatem passim supponit aut inculcat. « Nonne unum Deum, inquit, habemus et unum Christum et unum spiritum gratiæ super nos effusum, et unam vocationem in Christo? Cur divellimus et discerpimus membra Christi et contra proprium corpus seditionem movemus, eoque vesaniæ devenimus, ut alios aliorum membra esse obliviscamur? » cap. XLVI.

S. Ignatius Antiochenus: « Solo christiano alimento uti, ab aliena autem herba abstinere, quæ est hæresis » (*Ad Trall.* VI, 1). Et alibi: « redierint ad unitatem Ecclesiæ, et hi Dei erunt » (*Ad Phil.* III, 2).

Item, unitatem fidei, regiminis et cultus his verbis commendat: « Si quis schisma facientem sectatur, regni divini hæreditatem non consequitur; si quis ambulat in aliena doctrina, is non assentitur passioni. Studeatis igitur una Eucharistia uti, una est enim caro Domini nostri Jesu Christi et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, sicut unus episcopus cum presbyterio et diaconis » (*Ad Phil.* III, 3).

Hermas, in Pastore, Simil. IX, 13, 5: « Vides turrim (Ecclesiam) monolitham factam esse cum petra. Sic etiam qui crediderunt Domino per filium ejus et induti sunt spiritus istius, unus erunt spiritus, unum corpus, et unus color vestium eorum ».

Item *Didaché* hunc sensum unitatis videtur habere.

b) *Alii Patres:* Vide apud De Groot, *l. c.;* hic tantum sequentia notamus:

Hegesippus, hæreticos vocat eos, « qui seorsum singuli proprias opiniones induxerunt », « qui adulterinam invehentes doctrinam adversus Deum et adversus Christum ejus, unitatem Ecclesiæ disciderunt » (apud Euseb., *H. E.*, lib. IV, 21).

S. Irenæus: « ... Vera et universa Ecclesia unam et eamdem toto terrarum orbe fidem tenet » (*Adv. Hær.*, lib. I, 10).

S. Cyprianus: « Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia ejus, et fides una. Scindi unitas non potest » (*De unit. Eccl.*). — Item, « cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in multas divisa, item episcopatus unus, episcoporum multorum concordi numerositate diffusus » (Ep. 52, 24).

S. Hieronymus: « Unum ... est altare in Ecclesia, et unam fidem, et unum baptisma Apostolus docet, quod hæretici deserentes, multa sibi altaria fabricati sunt » (*In Osee*, cap. VIII).

4) *Unitatis nota* **suadetur** *ex natura et fine Ecclesiæ, immo etiam indirecte*, sc. ex contrariis: *a*) Ex natura Ecclesiæ, quia Ecclesia est perfectissime ordinata, ut supra jam ostendimus. Quod est ordinatum autem unitatem præbet. — *b*) Ex fine Ecclesiæ, quia iste finis est unus et idem pro omnibus, et consequendus est iisdem mediis. — *c*) Ex contrariis, quia ubi deest unitas in societate, ibi caret dignitate, et incertitudinem de sua missione præbet.

OBJECTIONES

Objectio I. — Objectiones quæ habentur apud De Groot, p. 159 et seqq., hic breviter exponuntur:

1ª In maxima hominum multitudine dissidia oriuntur.

Resp.: et dividuntur individui nonnulli, *concedo;* et dividitur ipsa Ecclesia, *nego.*

2ª Atqui dividitur Ecclesia. Ratio: quia caret charitate.

Resp.: caret charitate privata, apud quosdam, *concedo;* charitate communionis, *nego.*

3ª Sed hæc charitas est mere idealis.

Resp.: quæ in facto concreto exprimitur, *transeat;* quæ abstracte tantum existit, *nego.*

II. — Ætate apostolorum plures ex judæis conversis legem mosaicam sectati sunt.

Resp.: Ex imperitia, *concedo;* ex pertinacia, *nego.*

Inst.: Etiam post decretum Hierosolymitanum judaicam observantiam ad fidem pertinere, in Ecclesia Galatiæ prædicatum est. Huic autem Ecclesiæ, tamquam Ecclesiæ nequaquam abscissæ, beatus Paulus conscripsit epistolam...

Resp.: Paulus Ecclesiam illam abscissam esse non putavit, quantum ad eos, qui opinionem illam de legalibus profitebantur erronee, *concedo;* pertinaciter, *nego.*

III. — Unitas *articulorum fundamentalium* est quæ pro fundamentalibus habet ea quæ diserte Scriptura docet. Ergo hæc unitas est certa.

Resp.: Certa erit si idipsum certum sit, quid Scriptura diserte proponat, *transeat;* si vel id incertum, *nego.*

Inst.: Quid Scripturæ diserte doceant, Christianorum consensione cognoscitur.

Resp.: Si Christianorum *verus cœtus* jam cognoscitur, *concedo;* si iste cœtus prius certo non cognoscitur, *nego.*

Inst.: Illam veritatem credere satis est, qua vita obtinetur æterna. Hujusmodi veritas est fides in Christum, Filium Dei.

Resp.: Sufficit hæc veritas, doctrina Christi inclusa, *concedo;* ea seclusa, *nego.*

III. **Quibus ex vigentibus Ecclesiis competit unitatis nota?**

Prænotandum. — In nostro tractatu « De Ecclesia » jam supponimus religiones non christianas, uti buddhismum, mahometanismum etc., esse falsas. Istæ autem revelationem non tenent. Quæstio est igitur inter Ecclesias quæ christiano nomine gloriantur. Hæ sunt tres: Ecclesia Romana, Græca et Protestantica. — Protestantes contendunt Ecclesiam Christi revera unam esse, sed reformationibus tripartitam. Græci et Protestantes dicunt Ecclesiam Romanam fidem deformavisse, quia multos novos articulos fidei adjunxit, qui revera non sunt tales. Græci tamen Protestantes vocant hæreticos. Ecclesia Romana Græcos nominat schismaticos, et seipsam proclamat esse unicam Christi veram Ecclesiam. — Hanc veritatem igitur investigamus per viam remotionis.

I. **Utrum unitatis nota in Protestantismo reperiatur.**

Respondetur *negative* et **probatur:**

1º *Ex principiis.* — Protestantismus caret principio unitatis. De Groot, p. 190: « Principium fundamentale Protestantismi est *spiritus privatus.* Atqui spiritus privatus divisionis principium est. Protestantismus igitur est essentialiter unitati contrarius. Revera spiritus privatus, quoniam auctoritatem excludit, subjectivismum et individualismum gignit; quibus invectis, quot capita, tot sensus erunt. Ita Protestantismus, quovis destitutus efficaci unitatis principio, dissipabitur; nam « *Ubi non est gubernator, populus corruet* » Prov. XI, 14.

2º *Ex factis.* — Protestantismus in fidei professione, in regimine et cultu plane divisus est.

a) *In fidei professione.* — Ab ipsis Protestantismi primordiis usque ad hanc diem variationibus variationes successerunt: Lutherani, Calvinistæ, Anglicani, inter se divisi, sectas permultas, inter sese fidei professione divisas, tanta ubertate protulerunt, ut præter mutationem nihil firmum esse videtur. Hoc est factum historicum. Divisio est formalis, immo et Protestantismo connaturalis. — Item, nedum Protestantismus dividitur et subdividitur in varias sectas, sed insuper in una eademque secta multa membra dissentiunt. Ita v. g. in Ecclesia Excelsiori — quæ videtur magis firma et unita quam aliæ — dum quidam episcopi ipsius admittunt præsentiam realem Christi in tabernaculo altaris, alii (ut Dean Inge, et Bishop Barnes) negant divinitatem Christi. Breviter possumus dicere cum ministro protestante, D. Steeg (an. 1867): « On peut affirmer hautement qu'il n'y a pas un seul point de doctrine admis par les uns qui ne soit rejeté par d'autres, ou soumis aux interprétations les plus opposées »[1].

---

[1] Vide « *L'Unità Cattolica* » Firenze, 15 Maggio 1924.

b) *In regimine.* — In Protestantismo, enim, nulla est authentica auctoritas. Hoc probatur ex ipsa multiplici sectione in Protestantismo. Immo, privatum judicium importat talem libertatem individualem quæ necessario excludit directionem auctoritativam. — Item, multi protestantes incidunt in cæsarismum. Rex autem non est caput Ecclesiæ, quia iste non est successor S. Petri (ut fusius postea videbimus). Consequenter, auctoritas regis quoad Ecclesiam est omnino falsa. — Item, « membra sectæ unius, si ad regnum diversum pertinent, diverso capiti parent ».

c) *In cultu.* — Cultus præcipue consistit in administratione sacramentorum. Circa sacramenta autem Protestantismus minime est concors. Quidam nullum sacramentum admittunt, alii baptismum et cœnam tantum administrant, alii vero baptismum dumtaxat. — Item, in una eademque secta cultus substantialiter mutatur. Ita v. g. apud sic dictos anglo-catholicos: nunc sacrificium missæ admittunt, quod prius in odio habebant. — Hæc diversitas in cultu dependet fundamentaliter a spiritu privato, ideoque formalis est.

II. **Utrum unitatis nota alicui Ecclesiæ schismaticæ competat.**

Respondetur *negative* et **probatur:**

1º *Ex principiis.* — Græci carent principio unitatis. Nam, ipsi supremam auctoritatem, unitatem efficientem et tuentem, considerant concilia œcumenica, conflata ex orientalibus et occidentalibus Ecclesiis. Talia concilia, et ipsa sola, sunt, ut aiunt, infallibilia. Hæc autem norma directiva infallibilis quam maxime necessaria est ad unitatem efficiendam atque tuendam. Græci tamen, ex ipsamet separatione ipsorum ab Ecclesia Romana, carent hac norma.

Dices: Sufficit fides in primis septem conciliis declarata — sc. in conc. Nic., Const., Ephes., Chalced., 2 et 3 Const., 2 Nic. —, in quibus universa Ecclesia congregata erat.

Resp.: 1) Principium unitatis in Ecclesia debet esse vivum et permanens et semper vigilans, ut in Ecclesia non sint *possibiles* divisiones intrinsecæ. Ubi est autem *nunc* infallibilis auctoritas in Ecclesia Græca, quæ determinet quid, in conflictu opinionum, tenendum sit, quid non? — Propterea, in ista Ecclesia fiunt divisiones, et sectæ *autonomæ* formantur, in quibus nihil est quod prohibere possit alias divisiones et subdivisiones in infinitum.

2) Concilia vere œcumenica in sensu Græcorum erant etiam illud Lugdunense II (an. 1274), et Florentinum (an. 1438-39), in quibus Græci una cum Ecclesia Romana uniti sunt. Atqui ista concilia declaraverunt: *a*) Divinitatem et Deitatem proprie dictam Spiritus Sancti, qui a Patre *Filioque* procedit; *b*) veram fidem apostolicam in Ecclesia Catholica Romana haberi: *c*) existentiam Purgatorii; *d*) Ecclesiam Romanam summum et plenum *primatum* et

principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinere, ad quam ultimum, de fidei rebus et moribus, judicium spectare. Cfr. Conc. Lugd. II, *Professio Fidei Michaëlis Paleologi.*

Item, in Conc. Florentino hæc omnia repetuntur (Denz. 691 et seqq.); de Romano Pontifice quoque dicitur: « ipsum successorem esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium christianorum Patrem ac doctorem existere; et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro J. C. plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur ». — Ergo Græci hæc omnia admittere debent ut fidei certissima. Consequenter jure meritoque *extra* Ecclesiam se habere dicimus, et uti schismatici atque hæretici sunt tenendi.

Dices: forsitan non tota Ecclesia Græca, sed tantum aliqua pars ipsius, talia decreta admisit. — **Resp.:** « In eamdem ivere sententiam Ruthenus, Nicænus, Mitylensis, Rhodius, aliique præsules, *uno Marco Ephesio* refragante. Conscriptaque communis Græcorum sententia est his verbis: *Consentimus vobis et quod additum Sacro symbolo recitatis, e sanctis Patribus desumptum est: et approbamus illud, et vobiscum unimur; dicimusque Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere, tamquam ab uno principio et causa* ». Cfr. Alex. Nat., *H. E.* sæc. XVI, Diss. X, art. 2, n. 10.

2° *Ex factis.* — Ecclesia Græca divisa est et de facto dividitur jam in 14 Ecclesias autonomas, in quibus ulteriores subdivisiones sunt omnino possibiles. Istæ sunt: 1. Ecclesia constantinopolitana; 2. alexandrina; 3. antiochena; 4. hierosolymitana; 5. insulæ Cypriæ; 6. russica (quæ hodie adhuc subdividitur sese accomodando ad circumstantias politicas, in Ecclesiam orthodoxam, Ecclesiam vivam, Ecclesiam apostolicam et Ecclesiam liberam operariorum); 7. Montis Sinai; 8. Hellenica; 9. Serbiæ (quæ habet alias subdivisiones); 10. Romaniæ; 11. Bulgariæ (indep. ab an. 1872); 12. Georgiæ (ab an. 1918); 13. Ukrainiæ (ab an. 1918); 14. Estonica (ab an. 1920).

Ut notat P. Schultes, « licet omnes istæ divisiones habeant eamdem originem, eamdem constitutionem, eadem symbola fidei (vel fere omnes), tamen nullo modo unam societatem ecclesiasticam, unam Ecclesiam, unum regnum Christi constituunt ». Optime d'Herbigny: « diversæ illæ Ecclesiæ nec subordinantur nec proprie coordinantur, sed solum juxta ponuntur » (cfr. Schultes, p. 243). — Item, fere omnes istæ Ecclesiæ auctoritati civili subordinantur. Undè parent diversis capitibus. Consequenter veram unitatem organicam habere nequeunt. — Ergo nota unitatis non adest in Ecclesia vel melius in Ecclesiis Græcis.

III. **Utrum unitatis nota Ecclesiæ Romanæ competat.**

Respondetur *affirmative*, et **probatur:**

1º Arg. *negativum*, sc. ex supra demonstratis. Nam, quæstio est inter tres Ecclesias: Romanam, Græcam et Protestanticam. Jam probavimus Ecclesiam Christi habere notam unitatis; ergo si aliæ Ecclesiæ hanc notam non habent, sequitur eam adesse tantum in Ecclesia Romana. Secus enim Ecclesia Christi non esset amplius vera.

Dices: Ecclesia Christi possunt esse ipsæ tres Ecclesiæ simul sumptæ.

Resp.: Hoc non est possibile. Nam, si principium vivum et efficiens unitatem non est in partibus — sicut revera probatum est contra Græcos et Protestantes, — a fortiori non potest esse in toto, quod magis dividitur quam partes. — Item, istæ tres Ecclesiæ non in accidentalibus differunt, sed in fundamentalibus fidei contradicuntur; et ideo sunt incompossibiles. Hæ diversitates enim sunt circa divinitatem Christi, circa ordinem supernaturalem, mysterium Trinitatis, naturam et numerum sacramentorum, Romanum Pontificem, etc. etc.

2º *Ex principiis.* — Ecclesia Romana habet principium efficiens extrinsecum veræ unitatis regiminis, fidei et cultus. Habet enim auctoritatem divinam (saltem secundum catholicos) ac supremam et infallibilem, in rebus fidei et morum, — quæ, jubente Christo, primo in Beato Petro, dein in successoribus ejus residet usque ad finem mundi.

3º *Ex factis.* — Hæc unitas de qua sermo est in Ecclesia Romana meridiana luce omnibus patet. Etenim, Ecclesia Romana, in toto orbe existens, semper et ubique unam fidem, unum regimen, unum cultum cognovit et cognoscit, in quibus positive et obvie apparet unitas essentiæ et formæ Christi Ecclesiæ.

Hæc omnia ex vera et impartiali historia Ecclesiæ hauriuntur. Ibi enim unitas symbolica, liturgica et socialis omni in tempore apparet. Immo, examinata historia Ecclesiæ Romanæ, factum unitatis ipsius, non est qui tamquam prodigium non existimat superans vires humanas. Recte igitur ante suam conversionem Newman scribebat: « difficile est argumenta invenire contra Patres Tridentinos, qui nihil asserunt contra Patres Concilii Chalcedonensis; — difficile condemnare Pontifices Romanos sæculi XVI, et non condemnare illos sæculi V... » (Cfr. *History of my Religion opinion*, ch. 3, ed. 1865, p. 115). Simili modo, lutheranus Lord Macaulay mirabiliter scripsit de Ecclesia Romana, et fortiter conclusit: « Cum tremendas oppugnationes cognoscimus quas Ipsa (Ecclesia Romana) potuit ferre, difficile est nobis concipere quomodo ipsa possit unquam perire » (Cfr. *Essay on Ranke's History of the Popes*).

Hæc unitas nedum tempore præterito habebatur in Ecclesia catholica, sed etiam hodie quam maxime refulget. Quoad professionem fidei? Quære ab omnibus catholicis, sive doctis sive indoctis, sive parvulis sive senibus, omnes tibi unum reddent responsum: unum symbolum, apostolicum quidem. Similiter de cultu: Omnes catholici unum altare, unumque sacrificium, atque eadem sacramenta tenent ubique cum eadem omnino doctrina. Et hi omnes quamvis sint plus quam trecenties mille millia, omnes uno Romano Pontifici, tamquam vicario Christi, subduntur et obediunt.

Et, ut optime notat P. Schultes, p. 200, hæc unitas non est accidentalis, neque mere nota externa tantum, sed vera proprietas Ecclesiæ quia ab ipsa Ecclesiæ constitutione emanat.

ERGO NOTA UNITATIS ADEST IN ECCLESIA ROMANA.

OBJECTIONES

Objectio I. — Principium unitatis, ut diximus, in Ecclesia Romana est infallibilitas Romani Pontificis. Atqui controversia de infallibilitate Pontificia nonnisi nostra ætate finita est. Ergo Ecclesia Romana unitatis principio diu caruit.

Resp.: *Dist. min.:* quasi infallibilitas illa prius dubia esset *toti* Ecclesiæ, *nego;* aliquot Ecclesiæ membris, *subdistinguo:* iisque errantibus materialiter, *concedo;* formaliter, *nego.* (Plena explicatio habetur in tractatu *de Romano Pontifice.*)

II. — In famosa quæstione de celebratione Paschatis (sæc. II-IV), dissidentes remanserunt in Ecclesia. Ergo Ecclesia erat divisa.

Resp.: Ecclesia erat divisa, *distinguo:* in re fidei, *nego;* in re disciplinæ *subdistinguo:* quæ nondum erat solemni Ecclesiæ judicio determinata, *concedo;* quæ erat tali judicio determinata, *nego.* — Ad explicationem quod attinet confer *historiam ecclesiasticam* (Marx, p. 101).

III. — S. Cyprianus, Romani Pontificis sententia damnatus, in Ecclesia remansit, catholicus non desiit haberi, atque sanctus ab omnibus tenetur. Ergo...

Resp.: *a*) Fuit damnatus, *distinguo:* sententia non simpliciter definitiva, *concedo;* simpliciter definitiva, *nego.* — Utrum S. Cyp. a Romano Pontifice fuerit excommunicatus necne, in historia controvertitur. Alex. Nat. cum S. Aug. dicit quod non fuit excomm., quia Cyprianus paratus erat obedire si Romanus Pontifex meliora argumenta proposuisset. Funk cum card. Orsi dicunt excommunicationem minatam fuisse, non vero latam. — Quidquid sit, certum est S. Cyprianum in bonis relationibus fuisse cum Papa Sixto, Stephani successore (cfr. Marx, *H. E.*, p. 94).

b) Habebatur ut catholicus, toleratus, *concedo;* approbatus, *nego.* Unde S. Aug. Cyprianum excusat. Cfr. *De Bap.*, lib. II, 5.

c) Ab omnibus ut sanctus habetur, satisfactione accepta, *concedo;* simpliciter comprobatus, *nego.* S. Aug.: « Cyprianus aut non sensit omnino quod eum sensisse recitatis; aut hoc postea correxit regula veritatis; aut hunc quasi nævum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere charitatis, dum *unitatem Ecclesiæ toto orbe crescentis et copiosissime defendit*, et perseverantissime tenuit vinculum pacis... Accessit huc etiam quod tamquam sarmentum fructuosissimum, *si quod in eo fuerit emendandum, purgavit Pater falce passionis* » (Ep. 93, *ad Vincentium*) [1].

IV. — Ecclesia Romana saltem divisa erat schismate occidentali, quando plures Pontifices dimicaverunt.

Resp.: Ecclesia erat divisa materialiter, *concedo;* formaliter, *nego.* Nam, plures Pontifices contenderunt legitimitatem, quia legitimitas eorum clara non erat. Et dubius pontifex non est pontifex. Et ideo divisa est Ecclesia per errorem facti (materialiter), non vero negando jus Papatus. Unde S. Antoninus sanctitatem S. Vincentii excusat his verbis: « Est articulus fidei credere sicut una est Ecclesia Christi sancta Catholica, ita et unicum ejus esse Pastorem; sed non est articulus credere istum vel illum esse, quando plures se nuncupant et ab aliis arbitrantur esse Summos Pontifices, et res ipsa obscura est, nec sufficienter declarata... Et licet plures disputationes et opuscula fuerint edita, nunquam tamen ita quæstio decisa est, quin remanserit apud multos dubia » (III P. *Chronicon*, Tit. 23, cap. 8).

Corollarium. — 1. Cum notæ sunt intime connexæ, et nota unitatis non adest nisi in Ecclesia Romana, sequitur jam a priori alias notas in Ecclesiis Græcis vel Protestanticis non inveniri, sed tantum in Romana Ecclesia.

2. Cum nota unitatis (vel alia) profluere oportet ex ipsa Ecclesiæ natura, via ad unionem Ecclesiarum non potest esse illa quæ professionem fidei, cultum vel regimen Ecclesiæ Romanæ sive directe sive indirecte, sive in parte sive in toto, negaret. Circa hanc quæstionem « *De via procurandi Unitatem* », cfr. si vis, De Groot, pp. 213 et seqq.

---

[1] Licet hic sequentia S. Cypriani commemorare: « Ecclesia una est quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii sed lumen unum, et rami arboris multi sed robur unum tenaci radice fundatum, et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine... Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit: unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius pandit: unum tamen caput est et origo una et una mater fœcunditatis successibus copiosa: illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur ». *De Cath. Eccl. unitate*, c. V.

ARTICULUS II.

DE NOTA SANCTITATIS

Cfr. De Groot, pp. 163 et seqq.; Schultes, pp. 175 et seqq.; Tanquerey, *l. c.* etc.

I. **De natura sanctitatis notæ.** — Sanctitas, græce *agios* (ἅγιος) dicitur, i. e. quasi sine terra; latine quoque *sanctum* a *sancire* habetur, quasi firmum significat. Sanctitas enim duo necessario importat: munditiam sc., et firmitatem. « Munditia enim necessaria est ad hoc quod mens Deo applicetur, quia mens humana inquinatur ex hoc quod inferioribus rebus conjungitur... Oportet autem quod mens ab inferioribus rebus abstrahatur, ad hoc quod supremæ rei possit conjungi; et ideo mens sine munditia Deo applicari non potest ». — Unde dicitur: « Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt » (Mt. v, 8). — « Firmitas etiam exigitur, continuat Angelicus Magister, ad hoc quod mens Deo applicetur; applicatur enim ei sicut ultimo fini et primo principio: hujusmodi autem oportet maxime immobilia esse. Unde dicebat Apostolus: Certus sum quod neque mors, neque vita... separabit me a charitate Dei (*Rom.* VIII, 38) » II-II, q. 81, art. 8. — *Ecclesiasticus:* « Sanctus in sapientia manet sicut sol, stultus autem sicut luna mutatur ». — Ista sanctitas ita una est cum religione vera, ut ab ea non differat, nisi secundum quid tantum, i. e. ratione. « Nam religio dicitur, secundum quod exhibet Deo debitum famulatum in his quæ pertinent specialiter ad cultum divinum, sicut in sacrificiis, oblationibus et aliis hujusmodi; sanctitas autem dicitur secundum quod homo non solum hæc, sed aliarum virtutum opera refert in Deum, vel secundum quod homo se disponit per bona quædam opera ad cultum divinum ». — Sanctitas, igitur, proprie dicitur de *personis;* sed dicitur etiam de rebus, quæ ad Dei cultum consecrantur, præsertim de illis quibus Deo magis appropinquamur. — Sanctitatis nota ergo, in hoc videtur consistere debere, quod ex ipsa Ecclesiæ natura profluat quasi proprietas divina, qua obvie et positive manifestetur Ecclesia a mundanis immunis et libera, et ad bonum divinum ordinata cum firmitate. — Hæc igitur sanctitatis nota refulgere habet et in membris Ecclesiæ, et in rebus quæ ad cultum divinum specialiter ordinantur. Sanctitas membrorum debet esse in vita membrorum et in doctrina ipsorum; res sacræ vero sunt præcipue in sacramentis. Propterea nota sanctitatis definiri potest: ECCLESIÆ PROPRIETAS, QUA IN DOCTRINA, SACRAMENTIS ET MEMBRIS AD BONUM DIVINUM PERFECTE ORDINATA EST ECCLESIA.

Nota: Hæc quæ diximus pertinere ad notam sanctitatis si considerantur relative ad essentiam Ecclesiæ, habent rationem *proprietatis;* si vero considerantur in facto concreto, habent rationem *notæ.* Sed nihil est in nota quod non invenitur in proprietate, nisi evidentia objectiva facti. — P. Schultes adjungit miraculum comprobans in nota sanctitatis. Attamen miraculum non pertinet formaliter ad rationem notæ sanctitatis, sed ut conditio externa sine qua non; consequenter potest Ecclesia, pro aliquo tempore, existere sine miraculis, sed non semper. Charismata seu gratiæ gratis datæ ad sanctitatis notam proprie et ordinario modo non pertinent, sed sanctitatem Ecclesiæ quam maxime confirmant. Unde recte Concilium Vaticanum: « Si quis dixerit... miracula certe cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianæ originem rite probari, A. S. » (Sess. III, cap. 3, can. 4).

II. Nota sanctitatis certissime Ecclesiæ Christi competit.

Arg. I. *Ratio:* quia missio Christi sanctificans in Ecclesia ipsius et per eam continuatur. — Nam, *a*) finis Ecclesiæ proximus, ut supra diximus, est sanctificatio hominum; *b*) Ecclesia est corpus Christi mysticum, cfr. Ad Ephes. v, 23-28, I Cor. xii, 13; Rom. xii, vv. 4-5. Proinde, sicut in Christo quam maxime refulgebat sanctitatis nota, ita etiam oportet fieri in Ecclesia ipsius; *c*) Spiritus Sanctus, qui est principium sanctitatis, manet in Ecclesia usque in æternum (Joan. xiv, 16); effectus autem Spiritus Sancti est sanctitas; *d*) Ecclesia est regnum Christi, quod est regnum veritatis et sanctitatis.

Arg. II. *Ecclesia, in doctrina, sacramentis et membris, ad bonum divinum ordinata est.*

Probatur per partes:

1. *In doctrina:* quia Ecclesia Christi habet doctrinam Christi et Apostolorum, secus enim non esset christiana sed antichristiana, non apostolica sed apostatica. — Doctrina Christi autem sancta est et ad vitam æternam nos ducit. Dicit enim Christus: « Amen, amen dico vobis, quia qui verbum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam » (Joan. v, 24). Apostoli quidem non aliam doctrinam habebant quam illam Christi. Mt. xxviii, 19-20: « Euntes ergo docete omnes gentes... servare omnia quæcumque *mandavi vobis* ». Neque dicas quod apostoli errare potuerunt, et aliam doctrinam tradere. Nam audi quod sequitur: « Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi ». Item, Joan. xiv, 26: « Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, *ille vos docebit omnia* et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis ». Item, Luc. x, 16: « Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit ». — Ergo revera Christi Ecclesia Christi doctrinam habet, quæ est doctrina Dei. Joan. viii, 28: « Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum et a me ipso

facio nihil: sed, *sicut docuit me pater, hæc loquor;* et qui me misit mecum est et non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei facio semper ». — Et de hac divina doctrina ita certus erat S. Paulus quod non hæsitavit scribere: « Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus et nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit. Modo enim hominibus suadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem » (Ad Gal. I). En ergo certitudo maxima S. Pauli de doctrina Christi in Ecclesia, quæ est « Columna et firmamentum veritatis » (I Tim. III, 15).

2. *In sacramentis:* quia sacramenta Novæ Legis potiora sunt quam ceremoniæ Veteris. Unde non solum ad sanctificationem hominum ordinantur, sed et ipsam sanctificationem efficiunt. Ita S. Thomas in *S. Theol.*, III P., q. 62, art. 2, ubi quæritur: « *Utrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum* ». Respondit S. D.: « Gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, et super virtutes et dona, quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem ». — *Baptisma* abluit animam a culpa originali, et dat gratiam qua « Filii Dei efficiamur et sumus »; *Confirmatio* dat robur fidei; *Pœnitentia* absolvit a peccatis; *Eucharistia* continet ipsum Christum verum et vivum (cfr. Script. et totam Traditionem), et sic de aliis sacramentis. — Ergo etiam in sacramentis Ecclesia Christi ordinata est ad bonum divinum.

3. *In membris:* Membra, enim, Ecclesiæ, secundum doctrinam Christi, constituunt corpus Christi mysticum; unde ex eo quod sunt membra Ecclesiæ Christi ad bonum divinum ordinari debent. — Concedimus quod quædam membra sunt mortua seu mortificata, sed hæc, quamvis possint esse numerosa, tamen sic se habent per accidens, non vero ex eo quod sunt membra Ecclesiæ. Loquimur autem de his quæ sunt *per se*, non vero de iis quæ sunt *per accidens*. — Vera membra Christi, i. e. completa et perfecta, *exterius* sanctitatis notam præbent. Quomodo? Per manifestationem Spiritus Sancti in ipsis. Spiritus Sanctus manifestatur per fructus ipsius. Unde, sicut arbor cognoscitur ex fructu (Mt. XII, 33), et omnis arbor bona fructus bonos facit (Mt. VII, 17); ita *Spiritus Sanctus* in membris et per membra Ecclesiæ. « Fructus autem Spiritus Sancti est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas » (Ad Gal. V, 22-23). — Hæc omnia includit S. Paulus dicens: « Dedit (Christus) semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, *sectatorem bonorum operum* » (Ad Tit. II, 14). — Ad alios text. cfr. De Groot, p. 168. Hæc omnia quoad factum probantur ex historia Ecclesiastica, præsertim primorum temporum. Cfr. Marx, *Hist. Eccl.*, p. 102. —

Probatur etiam ex prædicatione apostolorum, sed hoc reducitur ad Primum Arg., vel etiam ad primam partem secundi.

Arg. III. *Ex veterum testimoniis.*

Omnia *confirmantur miraculis* apostolorum (cfr. Act. Apost.), eorumque successorum. Unde S. Augustinus docet, Ecclesiam « culmen auctoritatis obtinuisse, hæreticis... partim etiam miraculorum majestate damnatis » (*De utilitate credendi* cap. XVII).

OBJECTIONES

Objectio I. — Quod mere internum est, nota non est. Atqui sanctitas est mere interna.

Resp.: Quod mere internum est exclusive, nota non est, *concedo;* quod mere internum est principaliter, non exclusive, nota non est, *nego.*

II. — A majori parte sumitur denominatio. Mali plures in Ecclesia quam boni esse possunt.

Resp.: A majori parte sumitur denominatio, quando agitur de qualitate extensiva, *concedo;* quando agitur de qualitate essentiali, quæ a forma provenit, *nego.* « Denominatio, ait S. Thomas, fit a forma, quæ dat speciem rei » (*Peri hermeneias*, l. I, lect. VIII, n. 9).

III. — Quod est commune non distinguit. Atqui miracula habentur in diversis religionibus. Ergo...

Resp.: Transeat *major.* Dist. *minorem:* miracula falsa habentur in diversis religionibus, *concedo;* miracula vera, *subdistinguo:* ad confirmandam veritatem ipsarum religionum, *nego;* ad confirmandam aliquam veritatem, *concedo.*

Explico: Vera miracula fiunt vel ad veritatem aliquam confirmandam, vel ad demonstrationem sanctitatis alicujus quem Deus hominibus vult proponere ut exemplum virtutis. Quantum ad primum, ait S. Thomas: « Miracula semper sunt vera testimonia ejus ad quod inducuntur; unde, a malis qui falsam doctrinam enuntiant, nunquam fiunt vera miracula ad confirmationem suæ doctrinæ: quamvis *quandoque* fieri possint ad commendationem nominis Christi quod invocant, et in virtute sacramentorum quæ exhibent ». Quantum ad secundum, « non fiunt miracula nisi a sanctis » II-II, q. 172, art. 4. — Miracula vera proveniunt *ex suspensione* legum naturalium, vel ex applicatione *supra* istas leges; — miracula falsa fiunt ex *abscondita applicatione legum seu virium naturalium.*

Alia de miraculis vide apud P. Garrigou-Lagrange, *De Rev.*

III. **Utrum nota sanctitatis competat Ecclesiis protestanticis.**

NOTA: Naturalistæ et Rationalistæ quibus omnes plus minusve accedunt sectæ Protestanticæ, « sanctitatis christianæ notionem amiserunt, sejuncta prorsus moralitate a dogmate ac sacramento, et restricta ipsa moralitate ad *humanitatis officia*, hoc est, ad officia quædam erga hominem, neglecto cultu Dei ». — Ita De Groot.

Ad Art. resp. *negative.*

Probatur I: *Ex principiis et aliquibus doctrinis Protestantismi.* (De Groot, pp. 219 et seqq.).

a) *Principia:* Principia fundamentalia sunt: sola Scriptura et sola fides.

Sola Scriptura privato judicio interpretata non est nisi causa dissentionis. Sanctitas integra servari nequit nisi auctoritas legitima privatas opiniones corrigat.

Sola fides. Lutherus, anno 1521, ad Melancthonem scribebat: « Esto peccator et pecca fortiter: sed fortius fide ». En sanctitas lutherana!!! Alia tria principia Protestantium possibilitatem sanctitatis excludunt: 1. justificatio per imputationem mere extrinsecam; 2. negatio liberi arbitrii; 3. decretum horribile reprobationis positivæ. (Ad historiam quod attinet vide Marx, p. 477.) — Hodie tamen fere omnes Protestantes hæc principia abhorrent. Quidam in naturalismum et modernismum incidunt, alii ad catholicismum pergunt, et alii Protestantismum ponunt consistere in cæca fiducia in Dei bonitatem.

b) *Doctrinæ capita sanctitati contraria.* Talia sunt: 1. Contemptus jejunii, virginitatis, consiliorum evangelicorum, invocationis Matris Dei, cultus sanctorum etc.; 2. error circa divortium et repudium; 3. effatum statolatriæ: *cujus regio hujus et religio;* 4. superstitiosa sectarum et falsa de pietate opinio. Ita v. g. cultus calvinistarum et quacheriorum etc.

II. *Ratione sacramentorum, sacrificii, hierarchiæ et liturgiæ.*

a) *Sacramenta* considerata sunt a Protestantibus ut mera signa logica, uti vexilla christianismi, non vero ut instrumenta gratiæ. « Immo non desunt moderni, qui ne unicum quidem baptismi sacramentum admittant ».

b) *Sacrificium* Protestantes nullum habent. Generaliter ipsi SS. Missam vocant *idololatriam papisticam.* Anglicani qui hodie missam admittunt, carent ordine sacro, ut historice probatum est. Cfr. Bullam Leonis XIII « *Apostolicæ curæ* », 13 Sept. 1896.

c) *Hierarchiam* cum legitima potestate et auctoritate nullam habent. Immo non desunt Protestantes qui hierarchiam considerant tamquam tyrannum libertatis.

d) *Liturgia* quædam existit tantum in Ecclesia Excelsiori, quæ *hodie* perverse Ecclesiam Romanam imitatur.

III. *Ratione membrorum.*

a) *Perversissimi erant auctores Protestantismi.* De *Luthero* notat Alex. Natalis in *H. E.*, sæc. XVI, c. II, art. X: « Lutheri petulantiam, superbiam, ambitionem, impudentiam, scurrilitatem, irreverentiam in Principes, propensum ad seditiones concitandas animum, impudicitiam, impietatem, blasphemias, mendacia, calumnias, ipsa ejus scripta, actaque a Joanne Cochleo, fideliter conscripta testantur ». — *Calvinus*, quamvis intelligens, tamen in historia, ex vita sua et ex operibus indicatur superbus, durissimus, acerbissimus, crudelissimus. — *Henricus VIII* adulter et interfector. — *Elisabeth*, Henrici filia, sine pace erat et crudelissima (cfr. Lingard, *History of England*).

b) *Protestantismus sanctitatis fructus nunquam tulit.* — 1) Hoc testificant fundatores ipsius Protestantismi. Protestantismus si vera reformatio esset, debebat præsertim in exordio ipsius præclara signa sanctitatis præbere. E contra, vero, accidit, teste ipso Luthero, qui dicebat: « Mundus in dies fit deterior; sunt nunc homines magis vindictæ cupidi, magis avari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti et indisciplinati, multoque deteriores quam fuerunt in papatu » (*Postilla in Evang. dom. I Adv.*).

2) Protestantismi sanctitas veris vitæ supernaturalis indiciis nullo unquam tempore manifestata est. Deest ipsi heroica sanctorum virtus; jacent evangelica consilia; despiciunt jejunia aliasque mortificationes. Bona opera erga proximum non ex fide faciunt, sed sola humana commiseratione inducuntur. Attamen non desunt protestantes in bona fide qui vitam honestissimam ducunt, qui Deum colunt et revera amant. Sed hoc accidit *per accidens* et non *per se.* Principia enim Protestantismi sunt perversa.

3) Miracula non habentur, neque spes aliqua miraculorum habetur in Protestantismo. 1) Desunt miracula in ipsis reformatoribus, in quibus revera quam maxime debebant refulgere. Lutherus: « A nobis qui negamus liberum arbitrium, miracula exigi non debent » (*De libero arbitrio*). Unde Calvinus ad regem Galliæ scripsit: « Quod miracula a nobis postulant, improbe faciunt » (*Inst.*). Propterea recta est assertio Erasmi: « Nullus illorum adhuc exstitit, qui vel equum claudum sanare potuerit » (*Diatrib. De lib. arbitrio*). — 2) Hodie protestantes generaliter possibilitatem miraculorum negant. Et prodigia attribuunt ad hallucinationes.

Dices: Influxu Protestantismi Ecclesia Romana reformata est.

Resp.: Ecclesia Romana sæc. XVI emendata est occasione Protestantismi, *transeat;* causa propria Protestantismi, *nego.* — Ecclesia enim a se ipsa, per Concilium Trid. reformata est. Ipsa vero Protestantismum damnavit. Et reformationem effecit immutando homines per sacra, et non e contra (sicut protestantes fecerunt), immutando sacra per homines.

IV. Utrum nota sanctitatis competat Ecclesiæ Græcæ.

Negative. — **Probatur 1:** « A priori ». Ex historia authentica scimus Græcos ob nullam rectam sanctamque rationem ab Ecclesia Romana separatos esse. Proinde jure schismatici dicuntur et sunt. Sanctitas vero incompossibilis est cum schismate et hæresi.

2. Non adest in Ecclesiis Græcis nota sanctitatis, neque in doctrina, neque in sacramentis, neque in membris.

a) *In doctrina.* — Doctrina enim schismaticorum est fundamentalis Ecclesiam Christi esse acefalam, i. e. sine capite potestatis jurisdictionis divinæ. Hæc autem doctrina est contra voluntatem Christi qui supra Petrum fundavit Ecclesiam, ipsum statuit Pastorem universalem ovilis, et confirmatorem fratrum. Hoc melius postea videbitur in tractatu *De Romano Pontifice.* — Item, istæ Ecclesiæ carent infallibili magisterio divino eo quod sunt ab Ecclesia occidentali sejunctæ. Ac proinde paralizant motum evolutionis dogmatum vitalem. — Item, doctrinam, quam ipsimet veram proclamaverant, nunc non admittunt circa processionem Spiritus Sancti, circa existentiam purgatorii, epiclepsin seu verba consecratoria in Missa etc.

b) *In sacramentis.* — Græci enim quamvis valide, tamen quam maxime illicite sacramenta conficiunt et administrant. Patet hoc ex historia separationis ipsorum ab Ecclesia Romana. Schismatici enim revera sunt.

c) *In membris.* — 1) Auctores hujus schismatis, sc. Photius, Michaël Cærularius, Petrus qui vocatur Magnus, et ceteri, neque ex vita eorum, neque ex operibus vel ex moribus vocandi sunt pii, sed jure meritoque vocandi sunt superbi, hæretici, fautoresque dissidiarum. — Illi qui ut sancti venerantur in Ecclesia Græca, neque heroicas virtutes manifestant, neque miracula patrant. — Qui vere pii sunt ex Græcis vel Russis certo certius in bona fide existunt. Quomodo enim qui se schismaticum esse cognoscit, veram pietatem supernaturalem habere potest? Et si aliquis schismaticus, ad culmen pietatis perveniat, in bona fide existens, certissimum est, quod Deus ei non daret gratiam faciendi miracula in confirmationem suæ doctrinæ, in qua materialiter errat. Propterea, examinatis sanctorum vitis græcorum de quibus tractavit *Yohontov* an. 1882, *Martinov* recte conclusit: « l'ouvrage étant d'un intérêt trop local et traitant de personnages pour la plus-part inconnus, si non d'une sainteté problématique... » *Rev. des Quæst. Hist.* Oct. 1883, p. 630. Vita vero verorum sanctorum non potest esse semper incognita, neque sanctitas eorum problematica, quia sancti dati sunt mundo uti *viva exemplaria virtutum.* — Quæ de viris sanctis narrant, nullo serio argumento suffulciunt. Legendas habent multas, historica facta autem nulla. Unde Archipresbyter Alexios de Maltzou, qui *Menologion* recenter edidit: « Le jour viendra, *inquit*, nous l'espérons,

où l'Eglise d'Orient enfantera une race de bollandistes, prets comme les nôtres, à rendre aux saints le service de détacher de leur piédestal, d'une main à la fois pieuse, et ferme le séculaire tissu des légendes » *Etudes*, an. 1903. Dec. pag. 852.

Concludendum est igitur quod neque Ecclesia Græca dici potest sancta; proinde confirmamus quæ de unitate diximus et probavimus: *Ecclesia græca* **vera** *Ecclesia Christi* **non est.**

V. Utrum sanctitatis nota in Ecclesia Romana reperiatur.

Omnino *affirmative* et certissime **probatur** non tantum indirecte, ex supra expositis, sed etiam directe et positive.

Arg. Ecclesia Romana est sancta in doctrina, sacramentis et membris.

a) *In doctrina.* — Ea quæ Ecclesia credit *dogmata*, sanctissima sunt, et legitime credenda ut revelata, prout in tractatu *De Revelatione* probatur, et in aliis tractatibus particularibus *Theologiæ dogmaticæ*. Hæc dogmata enim sunt quæ Ecclesia primitiva a Christo et ab apostolis acceperat, quod probatur ex toto Evangelio et ex traditione apostolica.

Quantum ad doctrinam *Moralem*, neminem sanæ mentis latet quam sanctissima est Ecclesia Romana. Ipsa custos est perennis vigilansque morum, vel juris naturæ et præceptorum atque consiliorum Christi. Quæ videt mala, in suis membris, nedum spernit sed damnat. Ipsa *sola*, ut optime notat P. De Groot, cunctas hæreses impugnat et cuncta mala moralia, non tantum hujus vel illius temporis, sed omnium sæculorum atque nationum. Ubi est Ecclesia Christi, quæ supra montem posita, meridiana luce resplendet veritate, quæ tanta doctrina firmissima auctoritate plena, omnem hominem certissime illuminat in hunc mundum venientem, nisi in Ecclesia Romana? Aufer enim tantam Ecclesiam a mundo, et vide quid remaneret de religione Christiana. Nulla Ecclesia protestantium vindex est veritatis. Et revera, quid vindicaris cujus nescis veritatem? — Apud schismaticos vero nullus est auctoritate divina fulcitus, qui cum certitudine quæ omnem errorem vel possibilitatem erroris in re tam gravi expellit, doceat quid verum sit quidque falsum in religionum conflictu. Sancta est igitur in doctrina sive Dogmatica sive Morali Ecclesia Romana [1].

---

[1] Ad propositum recolenda sunt hæc S. Aug. pulcherrima verba: « Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, sed et animi ætas est exerces ac doces. Tu feminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subjicis. Tu viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus præficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis, parentes filiis pia dominatione præponis... Tu cives civibus, tu gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis. Doces reges prospicere populis, mones po-

b) Ecclesia Romana est sancta in sacramentis.

Semper et ubique Ecclesia Romana septem sacramenta admisit et admittit, quæ sunt septem visibilia signa invisibilis gratiæ a Christo Domino instituta, qui solus est auctor gratiæ, et quibus homo in salutem æternam dirigitur et custoditur a nativitate usque ad mortem. — (Ad rationem quod attinet circa veritatem sacramentorum consulendi sunt tractatus *de sacramentis* in particulari.) — Vera, enim, Christi Ecclesia est sancta, atque Sancta dare oportet fidelibus tempore opportuno. Et quia gratia naturam non destruit, sed sanat et elevat, sequitur vitam spiritualem conformitatem quamdam habere cum vita corporali, ut ait S. D., III, q. 64, art. 1.

Ratione congruentiæ spiritualis vitæ cum corporali quod septem debeant esse sacramenta manifestatur (cfr. S. Thomas, *l. c.*).

In vita corporali aliquis perficitur
- Quantum ad personam propriam
  - *Per se,* acquirendo perfectionem
    - per generationem cui respondit *Baptisma.*
    - per augmentum cui respondit *Confirmatio.*
    - per nutritionem cui respondit *Eucharistia.*
  - *per acc.,* removendo imperfectionem vitæ
    - sanatio » » *Pœnitentia.*
    - Restitutio valetudinis cui respondit *Extrema Unctio.*
- Quantum ad totam communitatem
  1. per hoc quod accipit potestatem regendi multitudinem et exercendi actus publicos cui respondit *Ordo Sacer.*
  2. Ad naturalem hominum propagationem quod fit per *Matrimonium,* tam in corporali, quam in spirituali vita.

Si hæ septem perfectiones ad vitam humanam pertinent, sequitur quod etiam ad perfectionem vitæ spiritualis septem correspondentia sacramenta pertinere debent. Ecclesia ergo quæ est opus Dei perfectum, debet hæc sacramenta habere, et ideo quæ talia sacramenta non habet, vel confuse ea habet, seu illicite, talis Ecclesia dici non potest perfecta seu sancta.

Eadem nota emicat sanctitatis in *Liturgia* et *Hierarchia* Ecclesiæ Romanæ.

In *Liturgia* culmen sanctitatis manifestatur in Missæ sacrificio, quod est centrum totius Ecclesiæ cultus; sicut mors Christi in cruce climax erat totius vitæ ipsius. Ecclesia Romana unica est in mundo

---

pulos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus supplicium sedulo doces; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus charitas, et nulli debeatur injuria ». — *De morib. Eccl. Cathol.*, Lib. I, 30.

quæ legitime altaris tremendum sacrificium mystice sed vere, non modo cruento, sed incruento, a tempore apostolorum habet. Hæc tremenda oblatio mundissima, ubi Christus ipse est simul victima et sacerdos, incessanter Deo offertur per sacerdotes Ecclesiæ, in toto orbe terrarum existentes. In quo verificatur illud Malachiæ prophetæ: « *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum* » (I, 11). De Christo, igitur, per Ecclesiam Catholicam, et per ipsam solam, verificatur quod Psalmista cecinit: « *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* » (Ps. IX). — Christus non solum interpellans pro nobis, sed verus est Sacerdos in æternum.

In ceteris Liturgiæ partibus quis non videt, nisi spiritualiter cæcus et male affectus, pulcherrimam, refulgentem, suavissimamque sanctitatis notam? In cæremoniis sive sacrificii altaris sive sacramentorum, in calendario sanctorum totius anni, in festis D. N. J. C. Nativitatis, Epiphaniæ, Mortis et Resurrectionis, in Oratione fidelium, in recitatione Rosarii, in aliis omnibus quæ facit Ecclesia, sanctitas vera et spontanea profundissima emicat. — Talis est nota sanctitatis in Ecclesia Romana, et adeo abundat in ipsa, ut quidquid bonum, quidquid sanctum, quidquid Deo dignum in aliis Ecclesiis invenitur, ab ipsa Romana Ecclesia tenet depromptum.

Tanta refulget sanctitas in Ecclesia Romana quod ipsimet acatholici invitamentum quoddam irresistibile in eam sentiunt. Ita, v. g., Newman, ante suam conversionem, exclamabat: « Utinam « Credo » tuum sanum esset; quia tu blandiris corda, o Romana Ecclesia »: *Oh that thy creed were sound! For thou dost soothe the heart, thou Church of Rome* (an. 1833).

Similiter, recenter Anglicanus Episcopus, Dr. Neville Talbot, Pretoriensis, mense Nov. 1924, in quodam articulo quem ipse publicavit in organo Anglicanorum « *The Church Times* », dicebat: « Indifferentia ad invitamentum, plenitudinem, firmitatem, convenientiam, amorem (*warmth*), solatium ac psychologicam potentiam cultus Ecclesiæ Romanæ, — indicat, puto, valde durum animum in necessaria spiritualia mediocris hominis ». Deinde comparando ordinationem Ecclesiæ cum illa aliarum Ecclesiarum dicit: « Roma scit quomodo res facere incomparabiliter bene. Quod ad cultum, disciplinam et gubernium attinet sic se habet ad Anglicanam et Protestanticam *confusionem*, sicut custodes nationales (guardie) ad militiam » (cfr. *Catholic Times*, Nov. 29, 1924, p. 11).

Quid, deinde, dicendum est de Hymnis et Canticis Ecclesiæ Romanæ? Quid pulchrius vel suavius quam cantica: *Veni Creator Spiritus*, *Te Deum*, *Vexilla Regis*, *Stabat Mater*, *Dies iræ*, *Pange lingua*, *Lauda Sion*, *Adoro Te devote*, etc.? Quid mirabilius! quid sanctius! — Sabatier dogmata et hierarchiam Ecclesiæ damnat,

hæc enim superbiæ suæ opponuntur; tamen hanc vitam religiosam fortiter extollit, et eam vocat religionem profundam et pulchram. « Une religion profonde et belle, une sève de vie chrétienne, une source d'élans mystiques et d'héroïques dévouements que ne peuvent oublier les âmes qui en ont été rafraîchies et renouvelées. N'est-ce point par cette piété qu'elles ont été engendrées à la vie supérieure et idéale du devoir et de l'amour? » (*Les rel. d'autorité et la religion de l'Esprit*, p. 249).

Nota sanctitatis refulget etiam in *Hierarchia* Ecclesiæ Romanæ, quia per ipsam habetur perfecta harmonia inter partes Ecclesiæ; et cum ipsa sit legitima (ut infra videndum est), cum auctoritate, sicut ipse Christus, fideles dirigit et cum certitudine. Et ex hoc regimine, charitatis pleno, non a Statu dependente sed ab ipso Christo, multus fructus sanctitatis affertur. Ut notat P. Schultes, p. 216: « Adversarii Ecclesiæ in regimine Ecclesiæ nihil aliud vident quam cupiditatem potestatis ex parte pastorum et cæcam obedientiam ex parte fidelium: at non considerant potestatem a pastoribus urgeri ex obedientia erga mandatum Christi et similiter obedientiam a fidelibus non præstari nisi ut Christo servitus debita præstetur ».

c) *Ecclesia Romana est sancta in membris.*

Ecclesia Romana semper et ubique fertilissima est in numero sanctorum. Etiam in tempore maximæ relaxationis Ecclesia nunquam caret sanctis veris. Hæc sanctitas heroica, comprobata miraculis, solum in Ecclesia Romana invenitur. Innumerabiles sunt ipsius Martyres, Confessores, et Virgines. — Item, nota sanctitatis refulget nedum in nonnullis particularibus, sed etiam in omnibus membris generaliter. Hoc manifestatur in praxi orandi, non solum diebus Dominicis, sed *quotidie*, immo et pluries in die. Oratio enim nunquam intermissa est in Ecclesia Romana. Ipsa fertilissima est in Ordinibus religiosorum et Congregationum. Adsunt etiam sodalitates orationis perpetuæ, ex quibus tamquam flumen orationum sine intermissione ascendit ad Deum. In Ecclesia Romana, igitur, Deus revera magis glorificatur quam in aliis Ecclesiis, ista enim requiem non habet die ac nocte dicens: « *Sanctus, sanctus, sanctus...* ». Manifestatur sanctitas ubertate cælibatus in ipsa Ecclesia, in praxi jejunii, in praxi confessionum et sanctæ Communionis, in operibus charitatis, in sacrificiis missionum, in observatione consiliorum evangelicorum et vitæ asceticæ ac mysticæ.

Et hæc sanctitas confirmatur miraculis quæ in omnibus temporibus in Ecclesia existebant, et quæ ne hodie cessant quidem, ut prodigiosæ curationes quæ fiunt in Lourdes satis testificant. Neque licet, in facie documentorum, cum Harnack asserere, vel in dubium ponere facta ista, dicendo ea esse hallucinationes (cfr. *Processus Medicorum*). Tota veritas factorum est contra futiles asseverationes adversariorum.

NOTA: Testimonium alicujus Protestantis: — Many of you may have read "The Wonders of Lourdes," by a convinced Protestant, John Oxenham. Let me quote one sentence from this work:

"Lourdes is to-day, without question, one of the great facts and factors in the spiritual life of France and of Europe. Lourdes is a spiritual radio-active force which shoots its vitalising sparks broadcast through a morally, mentally, and spiritually darkened world, with ever-increasing intensity and benefit. Lourdes is a quickener of souls, an exalter of hearts and minds, and a proved healer of bodies by means entirely unknown to medical science. Over four thousand men and women, surrendered to death as incurables by their doctors, have, by their sudden recovery to perfect health, proved beyond all doubt the miraculous healing power and the absolute verity of Lourdes. For myself. I believe Lourdes to be a genuine revelation of the goodness of God to a world which, every day, stands more and more in need of it." (*Catholic Times*, die 11 Feb. 1927).

OBJECTIONES

Objectio I. — Ecclesia quæ fidem deformat sancta in doctrina non est. Atqui ita facit Ecclesia Romana, quia decursu temporum plures articulos fidei symbolo addit, quos primitiva Ecclesia ignorabat. Ergo...

Resp.: *Nego min.* et ad rationem adductam dico:

Concilia antiquissima, quorum auctoritatem admittunt etiam Protestantes et Græci, plura jam definivere quæ antea expresse determinata non fuerant. Ita, v. g., Concilium Ephesinum definivit Mariam Virginem Dei Matrem vocari oportere et esse... In hoc autem Ecclesia non addit novum dogma, sed magis quod prius implicite, vel aliquo modo confuse credebat, nunc, explicite, per solemnem declarationem admittit. Ecclesia est societas humana in sua constitutione materiali, propterea subjecta est evolutioni sicut ceteræ societates; consequenter sicut scientia proprie dicta evolvitur et philologia, ita etiam et expressio Ecclesiæ quoad articulos fidei. — Ex eo igitur, quod Ecclesia Romana quæ sunt fidei credenda, opportuno tempore opportunisque circumstantiis, declarat, maxima cum auctoritate, ejus authenticitas magis manifestatur. Unde Ecclesia non nova declarat credenda, sed vetera nove. Et hoc fit, ea auctoritate qua symbolum confectum est, quæ auctoritas semper in Ecclesia vera residet (vide De Groot, p. 243).

II. — Multa sunt in Ecclesia Romana quæ a Christo avertunt. Ergo... Etenim: *a*) Missæ Sacrificio sufficientia meritorum Christi negatur; *b*) cultus Deiparæ animos a Christo distrahit; *c*) confessio sacramentalis et indulgentiæ mores depravant; *d*) doctrina de sacramentis, *ex opere operato* sanctificantibus, efficit ut vita christiana res mere externa esse credatur (cfr. De Groot, p. 252).

Resp.: *a*) Sufficientia meritorum Christi quam maxime affirmatur; nam sacrificium Crucis et Altaris *unum est et idem* quan-

tum ad *substantiam* et *pretium;* differentia vero habetur tantum quantum ad *modum* et *applicationem pretii.* Et sic « illius (sacrificii crucis) salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicetur » (III, q. 83, art. 1, et 2). Unde Concilium Trid. Sess. XXII, cap. 2, « Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa ». — *b*) Cultus Deiparæ *inordinatus* a Christo distrahit, *concedo;* ordinatus, *nego.* In Ecclesia R. ad Christum refertur quidquid honoris Deiparæ tribuitur. — *c*) Confessiones et indulgentiæ mores non depravant sed custodiunt et perficiunt, quia supponunt contritionem, vel saltem attritionem supernaturalem cum proposito nunquam peccandi. — *d*) Doctrina catholica de sacramentis ex opere operato sanctificantibus docet etiam ex parte suscipientium sacramenta requiri tamquam conditio sine qua non ut non ponant obicem gratiæ.

III. — Religio Christiana Romana multa habet communia cum religionibus paganis. Ergo...

Resp.: Et hæc communia sunt naturaliter mala, *nego;* sunt naturaliter bona, *subdisting.:* et in diversis religionibus habent eumdem finem, *nego;* habent finem diversum, *concedo.* — Quia ordo supernaturalis non destruit sed perficit et elevat ordinem naturalem, accidit quod illa quæ bona sunt naturaliter in aliis religionibus inveniuntur etiam in Ecclesia vera et supernaturali; tamen fine diverso, quia aliæ religiones paganæ vel falsos deos colunt, vel etiam aliquando verum Deum, sed ut auctorem naturæ dumtaxat... Optime notat De Groot: « Vera Christi religio supernaturalis naturalia mentis et cordis totiusque indolis humanæ non rejecit, sed pleraque assumpsit, altiori ordini subordinanda, et ideo perficienda » p. 255.

IV. — Sæpe Ecclesia Romana in morum perversitate lapsa est. Ergo ratione membrorum sancta dici nequit. *Antec.* exemplis probatur. Etenim Alex. VI et alios Romanos Pontifices moribus corruptos fuisse constat; clerus ineunte sæc. XVI ab evangelio deflexerat; ordines religiosi conditoribus suis haud digni fuerunt; laici vitiis imbuti sunt (cfr. De Groot, *object.* III).

Resp.: *a*) *Generaliter.* — Mala sunt in Ecclesia, sed non ipsa Ecclesia est mala. Jam supra diximus Ecclesiam haud ex solis justis et prædestinatis conflari. « At tria hæc consideranda videntur: 1. mores non vi doctrinæ catholicæ, sed ea prorsus repugnante, corrupti sunt; 2. vel in maxima temporum invidia præstantissimorum fuerunt exempla virtutum multorumque corda munda vitiis; 3. Ecclesiæ vitalitas nova semper suis membris paravit auxilia, quibus temporum iniquitatem superavit ».

b) *Singillatim.* — 1. Quantum ad Romanos Pontifices, dico: paucissimi Pontifices mali fuerunt, non multi. — Item, etiam

illi Pontifices qui mali fuerunt, doctrinæ sanctitatem servarunt incolumem; — paucis exceptis, Pontifices Romani probatissimi fuerunt. — 2. Quod de clero et de laicis dicitur, hoc nihil probat contra sanctitatem Ecclesiæ, sed contra sanctitatem aliquorum individuorum aliquid probat. — Adversarii quidem valde errant quando in clericis postulant invenire sanctitatem *absolutam*. In ipsis tamen, generaliter, possunt adversarii, si volunt, videre sanctitatem relativam, sc. ad clericos protestanticos seu græcos, nec non ad fragilitatem aliorum hominum.

V. — Nationes acatholicæ magis honestæ sunt quam nationes catholicæ. Ergo...

Resp.: ... magis honestæ sunt quam catholicæ, si istæ deserunt fidem, *concedo;* si fidem retinent, *nego.* — Quod autem in concreto utrum aliqua natio protestantica sit revera magis honesta quam natio aliqua catholica, hoc est probandum. Sufficit notare apud protestanticos quod divortium a lege ipsorum sancitur.

Articulus III.

DE NOTA CATHOLICITATIS

I. De natura notæ catholicitatis.

Catholicitas verbum græcum est (Καθόλον), quod « *secundum totum* » significat. Propterea, id quod secundum aliquam partem tantum est, catholicum recte vocari nequit. Unde catholicum idem est ac *universale*. — Nunc, Ecclesia est societas a Christo instituta ad salutem hominum. Ad salutem quidem non hujus vel illius nationis, neque alicujus temporis dumtaxat; sed ad salutem omnium hominum, omnium sæculorum ac nationum, instituta est. Unde, ex institutione Christi, Ecclesia *apta est* ut sit universalis, quoad omnia *sæcula*, omnes nationes seu *loca*, et quoad omnes personas. Hæc vero universalitas, gaudere oportet unitate, secus non esset una Ecclesia sed agglomeratio sectarum. Nota unitatis quam maxime catholicitati annectitur, et eam quasi roborat atque informat. Necesse est, ergo, ut Christi Ecclesia manifestetur obvie et positive, per universalitatem loci, temporis, et per unitatem. Nota ergo catholicitatis recte definiri potest: ECCLESIÆ PROPRIETAS, QUA, CONSPICUE NUMEROSA ET UBIQUE UNA, PER MUNDUM UNIVERSUM EMANAT.

Dicitur 1: *Conspicue numerosa*, secus, enim, non esset obvia, nec a sectis discriminari posset.

Dices: ergo religio mahometana seu buddhistica est catholica.

Resp.: Istæ falsæ religiones non sunt aptæ ut sint universales, quia principia habent quæ ipsimet rationis lumini repugnant. Nec de facto sunt ubique.

2. *Ubique una:* quia est universalis, et ad omnes gentes salvandas ordinatur; propterea debet esse *moraliter ubique* in eodem tempore, seu *expansione simultanea,* et non successiva tantum; et ratio hujus est quia virtus Dei non limitatur ad unum vel pauca loca tantum.

3. *Una:* propter rationem jam datam, sc. quia secus non esset una religio, sed agglomeratio sectarum sibi contradicentium, inter quas accederet quod ubi una esset, alia ibidem esse non posset. Agitur ergo de Catholicitate *formali.*

4. *Per mundum universum emanat,* i. e., ratione expansionis vitalis, sicut describitur in parabola de grano sinapis.

II. **Utrum nota catholicitatis in Christi Ecclesia reperiatur.**

Affirmative. — **Probatur 1:** « A priori » quia finis proximus Christi Ecclesiæ est salus (omnium) hominum.

2. *Ex Sacra Scriptura.*

A) *Ex Vaticiniis Vet. Test.* 1) Ex promissione Dei Abrahæ facta: « Benedicentur in semine tuo *omnes gentes terræ* » (*Gen.* XXII, 18, cfr. *Gen.* XII, 3; XXVI, 4; XXVIII, 14). — 2) Ex *Psalmis:* « Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me et dabo tibi *gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* » (II, 7, 8). (Cfr. Ps. XVIII, 5; XXI, 28; LXXI, 8, 11). — 3) Ex prophetis: *Isaias:* « Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi... dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi » (LX, 4, 5). Apud *Danielem,* II, 35, 44, cœli regnum apparet sub figura lapidis, qui « factus est mons magnus et *implevit universam terram* ». *Malachias:* « Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus » (I, 11). — Ex his et aliis similibus textibus apparet expectationem messianicam fuisse ad redemptionem universalem. Et hoc est contra Harnack qui ponit (sed minime probat) Christum intendisse religionem localem tantum instituere, seu synagogam perficere.

B) *Ex Nov. Test.* 1) Ex factis quibusdam vitæ Christi, v. g. ex vaticinio Simeonis: « ... lumen ad revelationem gentium » (Luc. II, 30-32). — 2) Ex verbis Christi, v. g. ad Mariam Magdalenam quando super caput ejus alabastrum unguenti effudit: « ubicumque prædicatum fuerit hoc evangelium *in toto mundo* » (Mt. XXVI, 13). Ad

apostolos: « Euntes in mundum *universum*, prædicate evangelium *omni* creaturæ » (Mc. XVI, 15). « Venient ab oriente et occidente, ab aquilone et austro et accumbent in regno Dei » (Lc. XIII, 29). « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes usque ad ultimum terræ » (*Act.* I, 8). — 3) Ex factis et prædicatione apostolorum. In die Pentecostes apostoli « cœperunt loqui variis linguis », et in populo « audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes ». In Concilio Hierosolymitano decretum datum fuit *omnibus gentibus*. Idem, probatur ex conversione Cornelii centurionis. Apostolatus apostolorum erat universalis. S. Joan. in *Apoc.* V, 9: « Redemisti nos Deo in sanguine tuo *ex omni tribu, et populo et natione* ». Similiter: « Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, *ex omnibus gentibus*, et tribubus et populis, et linguis, stantes ante thronum » (VII, 9).

3. *Ex Traditione.* — Nomen « Catholicum » prima vice apud *S. Ignatium Antioc.* invenitur, in Epist. ad Smyrnæos, VIII, 2: « Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi *Catholica* est Ecclesia ». *S. Irenæus:* « Ecclesiæ quidem prædicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo *ostenditur* » (*Adv. Hær.* lib. V, 20). *S. Pacianus:* « *Christianus* mihi *nomen* est, *Catholicus* vero *cognomen;* illud me *nuncupat*, istud me *ostendit* « (Epist. I *ad Sympron.*). *S. Aug.:* « Prope omnis pagina (S. Scripturæ) nihil aliud sonat, quam Christum et Ecclesiam toto orbe diffusam » (*Serm.* XLVI, 33). Item: « Tenenda est christiana religio et ejus Ecclesiæ communicatio, quæ catholica est et catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis » (*De Vera Rel.* 12). Ad alios testes cfr. De Groot, p. 179.

OBJECTIONES

De Groot, p. 180: Catholicum est quod est ubique. Atqui Ecclesia Christi primorum sæculorum non erat ubique. Ergo...

Resp.: *Dist. maj.:* Catholicum est quod est ubique, proportionate ad vitam Ecclesiæ, *concedo;* sine hac proportione, *nego. Contradistinguo min.:* Ecclesia primitiva non erat ubique diffusa, secundum quod competebat Ecclesiæ adultæ, *concedo;* proportione facta ad Ecclesiam adolescentem, *nego.*

Inst.: Atqui Ecclesia carebat nota catholicitatis etiam Ecclesiæ adolescentis. Ergo...

Prob.: Ecclesia illas notas habebat quas Petrus a Christo acceperat. Atqui Petrus non accepit notam catholicitatis. Ergo... *Prob. min.* Ratio: quia Petrus nonnisi per visionem animalium (*Act.* X, 34, 35), cognovit universalitatem Ecclesiæ.

Resp.: *Dist. min.:* Petrus non accepit notitiam catholi-

citatis, i. e. practice statim non intellexit, *concedo;* eam notam non accepisset simpliciter, *nego.* — Christus aperte præcepit apostolis prædicandi Evangelium *ad omnes gentes.*

Inst.: Atqui simpliciter hanc notam non recepit. Ergo... Ratio: quia christiani hoc factum S. Petri, quod paganos admisit in Ecclesia, minime approbabant, et dixerunt ei: « Quare introisti ad viros præputium habentes, et manducasti cum illis? » (Act. xi, 3).

Resp.: Dist. rationem datam: hoc quidam (judæi) christiani dicebant ex proprio affectu, et per errorem, *concedo;* ex doctrina fidei, *nego.*

Inst.: Atqui ex doctrina fidei. Ergo... Nam Christus mulieri chananææ dixit: « Non sum missus *nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel* » (Mt. xv, 24).

Resp.: Dist. textum allatum: Christus non est missus nisi ad oves Israel, proxime, et principaliter, *concedo;* exclusive, *nego.* Ipse est enim Lumen ad revelationem *gentium,* et apostolos misit in universum mundum ad prædicandum evangelium.

Ad ampliorem explicationem et ad alias objectiones, cfr. *l. c.*

III. **Utrum Protestantismus habeat notam catholicitatis.**

Negative: Nam, *a*) Protestantismus caret nota unitatis; propterea, non potest esse ubique unus. Unde non habet, neque habere potest, extensionem seu universalitatem formalem. — *b*) Neque numerice est conspicuus sicut Ecclesia Romana. — *c*) Protestantismus est nationalis; subditur Statui. — *d*) Propagatio Protestantismi non divino modo facta est, sed violenter: ferro et promissis humanis. — Unde neque de facto, sed ne virtualiter quidem, nota catholicitatis in Protestantismo reperitur. Privatum judicium formaliter destruit catholicitatem.

Notanda est deinde immensa diversitas quoad modum vivendi atque operandi missionariorum Protestantium et Catholicorum Romanorum. Cfr. *Rev. des Deux Mondes,* 1 jan. 1886, p. 101. — Apud Garrigou-Lagrange, *De Rev.*, ed. I, pp. 316-317.

OBJECTIONES

Objectio I. — Protestantismus toto orbe propagatur. Ergo...

Resp.: Propagatione materiali, *transeat;* propagatione *formali,* nego. Explicatio data est supra.

II. — Humanitatis doctrina est universalis.

Resp.: *a*) Tamen religio Christi est supernaturalis; *b*) nota catholicitatis plura alia requirit quam ista humanitas. Hæc qualitas enim potest inveniri etiam in religionibus paganis.

IV. **Utrum nota catholicitatis inveniatur in Ecclesia Græca.**

Negative. — **Probatur:** *a*) Ecclesia Græca caret principio vero unitatis, consequenter caret etiam possibilitate habendi formalem catholicitatem. — *b*) Est minus numerosa quam Ecclesia protestantica! — *c*) Ecclesiæ Græcæ Statui subduntur. — *d*) Carent etiam extensione loci; vix enim a territoriis propriis exeunt; — *e*) nec missiones habent.

V. **Utrum Ecclesiæ Romanæ competat nota catholicitatis.**

Respondetur *Affirmative.*

Probatur. — Rationes: 1. *Ecclesia Romana est ubique Una.* — *Ubique,* sc. moraliter, non vero physice; et conspicue numerosa, atque vere fundata in omnibus mundi partibus. Anno 1926 catholici in toto orbe computati sunt 324.328.408. Hodie autem sunt circa 400.000.000. Hi omnes unitatem habent veram fidei, cultus et regiminis. — 2. In omni tempore Ecclesia Romana *simultaneam propagationem* habuit et habet, ut ex historia depromitur. — 3. In *missionibus* excellentissima est. — 4. Ecclesia Romana non est nationalis et semper suam *independentiam* retinuit et retinet a Statu. Et hæc omnia proveniunt Ecclesiæ ex natura ipsius. Item hæc omnia habet Ecclesia Romana non obstantibus crudelissimis persecutionibus quæ fere semper passa est et patitur. — Item, hæc catholicitas Ecclesiæ Romanæ ita obvia est et perspicua, ut omnes, etiam adversarii, per vocabulum « Catholica » nonnisi Ecclesiam Romanam intelligunt. « Velint nolint, ait S. Aug., ipsi quoque hæretici, et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicam (Ecclesiam Romanam) vocant. Non enim possunt intelligi, nisi eam hoc nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur ». Cfr. *De Vera Rel.*, c. VII. Hæc S. Augustini sententia repetitur apud De Maistre (*Le Pape*, l. 4, c. 5), cujus observatio optima est circa catholicitatis notam Ecclesiæ Romanæ. Dicit: In aliqua magna civitate ubi fere omnes Ecclesiæ quæ christiano nomine gloriantur, si tu alicui quæris: Ubi est Ecclesia orthodoxa? Unusquisque tibi indicat suam propriam Ecclesiam. Sed si tu quæris: Ubi est Ecclesia *Catholica?* Omnes tibi unam indicant Ecclesiam, sc. Romanam. Magna meditationis materia! observat Auctor. Ipsa sola habet nomen circa quod omnes conveniunt, quia cum hoc nomen unitatem exprimeret quæ nonnisi in Ecclesia Catholica invenitur, ista unitas non potest esse incognita ubi ipsa est, nec supposita ubi ipsa non est. Amici et inimici, omnes in hoc conveniunt. Nemo enim disputat circa nomen, quod est evidens sicut res ipsa. A primordiis christianismi, *Ecclesia* portavit nomen quod ipsa habet, et nomen ejus nunquam mutavit: nulla autem essentia evanescere vel alterari potest quin suum nomen mutaret.

OBJECTIONES

Objectio I. — Non semper Ecclesia Romana erat ubique. Ergo non semper erat Catholica.

Resp.: Non erat semper ubique pro rata parte quoad suam ætatem, et partes mundi cognitas, *nego;* simpliciter et mathematice, *concedo.*

Instantia: Atqui etiam in partibus terræ cognitis non semper adfuit Ecclesia Romana, v. g. in regionibus mahometanorum. Ergo non semper fuit Catholica.

Resp.: Non semper adfuit mathematice, *concedo;* moraliter, *nego.* Et notandum est quod universalitas Ecclesiæ non debet considerari ex aliquo loco tantum particulari, sed ex omnibus partibus universi simul consideratis.

II. — Romanum excludit catholicum, quia catholicitas vocabuli Romani restringitur.

Resp.: *Romanum* catholicitatem explicat, *concedo;* restringit, *nego.* Revera catholicum dicitur, quod est *ubique unum;* ad catholicitatem igitur, perinde atque in circulo, centrum et circumferentia requiritur. *Romanum* autem *unitatis centrum*, *catholicum* latum Ecclesiæ *ambitum* designat. Est igitur Romano-catholicum ipsissimæ catholicitatis expressio *magis explicita* et apprime vera (De Groot, p. 264). — Protestantes vocabulum *Romano-Catholicum* in sensu restrictivo sumunt, ac si Catholicitas esset tripartita in Anglicanam, Græcam et Romanam. Sed hæc interpretatio est omnino falsa; quia catholicitatis nota nulla est sine illa unitatis.

Articulus IV.

DE NOTA APOSTOLICITATIS

I. **De natura hujus notæ.** — « Omnis effectus, ait S. Thomas, repræsentat aliqualiter causam suam », I, q. 45, art. 7. Causa autem sive efficiens sive instrumentalis vestigium suum quoddam, in effectum proprium imprimit. Nunc, Christus suam Ecclesiam fundavit « supra fundamentum apostolorum »; et per eos, uti ministros, Ecclesiam promulgavit, propagavit ac perfecit. Eadem autem est ratio ministri et instrumenti, ait Angelicus Magister. Propterea, in Ecclesia Christi vestigium apostolorum reperiri oportet. Ecclesia sc. habere debet notam quamdam qua obvie et positive manifestetur ejus apostolicitas, seu origo per apostolos. Sed, in quo consistere debet hæc nota, nisi in effectibus propriis apostolorum? Hi autem effectus, generaliter loquendo, ad tria reducuntur: 1) *Doctrina;* Christus enim præcepit apostolis dicens: « *euntes in mundum uni-*

versum, docete omnes gentes servare omnia quæcumque mandavi vobis ». Unde S. Paulus ita certus erat de doctrina quam ipse gentibus tradebat, quod anathematizare non dubitavit, quemcumque etiamsi angelus fuisset, qui aliam doctrinam ausus fuerit tradere; — 2) *Cultus*, præsertim sacramenta; super apostolos enim Christus Ecclesiam suam fundavit, ut ipsi facerent sicut præcepit eis, et ut alios de iisdem instruerent; uti e. g.: baptizare, confirmare, peccata absolvere, eucharistiam celebrare etc.; — 3) *Regimen*, quia Christus dedit potestatem apostolis regendi Ecclesiam, sicut clare apparet in verbis Christi ad Petrum: « *Tu es Petrus* etc. *Pasce oves et agnos meos*, etc. ». Educitur etiam ex aliis textibus, v. g. « *Qui vos audit me audit* etc. ». « *Dic Ecclesiæ* », etc. Ex his sequitur quod Ecclesia quæ neque doctrinam, neque cultum, neque regimen apostolorum habet, apostolica non est, neque Christiana dici potest. — Item, Ecclesia quæ vere apostolica est, per successores legitimos apostolorum, necesse est etiam nunc regi. Etenim, Christus dixit: « *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium* » (Joan. x, 1-2). Nunc autem, quomodo intrare per ostium nisi legitima consecratione et missione? Legitima vero consecratio et missio apostolorum, a Christo derivatur; successorum vero apostolorum, ab ipsis apostolis. Unde legimus quod Paulus et Barnabas per singulas Ecclesias presbyteros constituerunt (Act. xiv, 22). Paulus *ad Titum* scripsit: « *Reliqui te Cretæ, ut... constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi* » (i, 5). — Ecclesia, ergo, quæ tales apostolorum successores legitimos non habet, non est apostolica, non habet veros pastores sed fures et latrones. Nota igitur apostolicitatis, hæc quatuor comprehendere debet, sc. doctrinam, cultum, regimen et successionem apostolicam. Propterea nota apostolicitatis recte definiri potest: ECCLESIÆ PROPRIETAS, QUA, PER LEGITIMAM, PUBLICAM ET NUNQUAM INTERRUPTAM PASTORUM AB APOSTOLIS SUCCESSIONEM, IN IDENTITATE DOCTRINÆ, SACRAMENTORUM ET REGIMINIS CONTINUATUR.

II. **Utrum Christus Ecclesiam suam apostolicam constituerit.**

Responsio patet ex jam textibus seu verbis Christi citatis. — Traditio apostolica veritatem thesis corroborat.

Fere omnes Patres qui contra gnosticos scripserunt, de vera Christi Ecclesia arguebantur ex apostolicitatis nota. Illa est vera Christi Ecclesia, dicebant, quæ originem habet apostolicam. Cfr. *Patrologia*.

Clem. Romanus, in textu jam a nobis allato, auctoritatem indicat in successione apostolorum. Similiter *S. Ignatius* fere in omnibus suis epistolis. Cfr. quæ supra diximus in quæstione de hierarchia. Ibi fortiter docet necessitatem adhæreri Episcopo et presbyteris et diaconis, quia Christum repræsentant. — Argumentum *S. Ire-*

næi in *Adv. Hæreses*, ad apostolicitatem Ecclesiæ Christi reducitur. « Traditionem itaque apostolorum, inquit, in toto mundo manifestatam in Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire, et habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesiis, et successiones eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt ». Item, « eis qui in Ecclesia sunt presbyteris obedire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, sicut ostendimus, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt... qui absistunt a principali successione... hi decidunt a veritate ». *Lib.* IV, 43. — Famosum opus *Tertulliani* (*De præscriptione Hæreticorum*), ad notam apostolicitatis omnino refertur. Argumentum ipsius hoc est: « Hæretici veritate carent, quia non habent successionem apostolicam ». Unde compellendo hæreticos ait: « Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem » (cap. XXXII). Et concludit adversus hæreticos: « Qui estis? quando et unde venistis? quid in meo agitis non mei?... mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. *Ego sum hæres apostolorum* » (cap. XXXVII).

Similiter *Origenes:* « Servetur vero ecclesiastica prædicatio *per successionis ordinem ab apostolis tradita* » (*De principiis*, præf. n. 2). — *S. Augustinus:* « Unde Donatus apparuit? De qua terra germinavit? De quo mari emersit? De quo cœlo cecidit? » (*Contra Donat.*, l. III, 3). — Sunt multi alii textus qui citari possent. Vide apud De Groot, p. 186, vel Schultes, pp. 155 et seqq.

Harnack contra nostram thesim objiceret, quia dicit — doctrina apostolorum non est doctrina Christi. S. Paulus contra voluntatem Christi egit quando Christianismum (paulinisticum) in mundo propagavit. — Sed falsum supponit Dr. Harnack. Doctrina S. Pauli conformissima est doctrinæ Christi. Omnia quæ habentur apud Paulum quoad doctrinam fundantur in ipsa Christi doctrina. Unusquisque veritatem hanc potest comparando videre.

III. **Utrum aliqua secta protestantica sit apostolica.**

Negative et **probatur.** — Rationes: 1. Protestantismus caret legitima successione Pastorum: nam, ordinationes eorum invalidæ sunt, quia neque formam habent ordinationis validam (cfr. Billuart, vol. X, p. 54, ed. an. 1904. Cfr. etiam Dom. J. Dunstan Breen, O. S. B., *Lecture:* « *Apostolicity the Church* »). — Leo XIII, in bulla « *Apostolicæ curæ* », 13 Sept. 1896 ait: « Ordinationes ritu anglicano actas, irritas prorsus fuisse et esse, omninoque nullas ». Hæc Anglicani qui vocantur « *Anglo-Catholics* » nedum admittunt, sed insuper volunt ipsorum apostolicitatem vindicare. Loquuntur enim de con-

tinuatione apostolica in Ecclesia eorum post reformationem. Hæc omnia tamen vere absurda sunt, cum ipsimet fundatores Protestantismi clare talem successionem negant [1].

2. Missionem legitimam non habent; neque *ordinariam*, quia reformatores eorum nunquam ab Ecclesia missi fuerunt; — neque *extraordinariam* quia contra dogmata moralia et principia Ecclesiæ insurrexerunt. — Protestantes enim non contra vitia, quibus tunc in multis membris Ecclesia laborabat, verumtamen contra ipsam Ecclesiam, exorti sunt.

3. Protestantes sibi posuerunt principium divisionis et instabilitatis quod est principium « judicii privati » et falsæ libertatis quam ipsi evangelicam vocant. Ecclesia vero instabilis non est apostolica, sicut neque est una, neque sancta, neque catholica.

Unde Protestantismus, virtute sui principii, etiam commoditatibus vitæ favendo, nec ullam persecutionem patiendo, in divisiones interminabiles evanescit.

4. Caput Ecclesiæ protestanticæ est rex. Hæc enim leguntur in 39 Articulis Angliæ: « Regia Majestas, in hoc Angliæ Regno ac ceteris ejus dominiis, jure summam habet potestatem, ad quam omnium statuum hujus regni, sive illi ecclesiastici sint sive non, in omnibus causis suprema gubernatio pertinet, et nulli externæ jurisdictioni est subjecta » (Art. XXXV, ed. lat. 1563, apud Schaff: « *Creeds of Christendom* », vol. III, p. 512, ed. New-York, n. 1884). — Patet vero quod Caput Ecclesiæ Apostolicæ non est rex. Rex enim non est successor S. Petri.

Protestantismus, igitur, non habet regimen Apostolicum, consequenter neque cultum, formaliter loquendo. Minime dici potest Protestantismum fundatum super fundamentum apostolorum.

Ad nostrum propositum citare licet verba quæ de Ecclesia

---

[1] Sequentia notanda sunt ad rem nostram. Hæc habentur in Organo Catholicorum Angliæ, " *The Catholic Times*," die 31 Oct. 1925: « Take, for instance, such passages as these from Cranmer's treatise "*On the Oblation and sacrifice of Christ*." As for the Catholic priesthood he says: " Christ never gave this honour to any creature that he should make a sacrifice of Him, and did not ordain the sacrament of his Holy Supper to the intent that either priest or people should sacrifice Christ again, or that the priests should make a sacrifice of Him for the people; but His Holy Supper was ordained for this purpose, that every man, eating and drinking thereof, should remember that Christ died for him, and so should exercise his faith and conforts himself by the remembrance of Christ benefits, and so give unto Christ most hearty thanks, and give himself also clearly unto Him". Could there be a plainer rejection of the Catholic priesthood and the Mass and a more thoroughly Protestant declaration that the new Lord's Supper was to take its place and imply no sacrificing priesthood? As for the deliberate break with the catholic past, we have Cranmer's further words in the same treatise: " As for saying or singing of the Mass by the priest, as it was in time past used, it is neither a sacrifice propitiatory, nor yet a sacrifice of laud and praise, nor in any wise allowed before God, but abominable and detestable; and therefore may well be verified the saying of Christ", that thing which seemed a high thing before men is an abomination before God. In the light of words like these, what are we to think of the suggestion made by the " Church Times " that there could be any contemporary misunderstanding as to the action of Cranmer and his colleagues of the English Reformation? " ».

Russica dictabat Aksakov (acatholicus): « Ecclesia quæ pars est Status, regni hujus mundi, renuntiavit suam missionem, et eamdem destinationem habet sicut regna mundi. Ipsa amplius non habet rationem essendi, sed seipsam damnat ad debilitatem et mortem » (*Œuvres Complètes*, tom. IV).

Objectio. — Anglicani veram successionem Apostolorum habent per episcopos. Nam, statim cum Reformatione ipsi ceperunt habere proprios episcopos...

Resp.: Habent successionem materialem, *concedo;* propriam et formalem, *nego*. Formalis successio est quæ secumfert legitimam missionem, qua deficiente, potestas jurisdictionis nulla est, etiamsi valide haberentur ordinationes sacræ. Quæ revera apud protestantes sacræ et validæ non sunt. Cfr. Schultes, p. 258.

Instantia I: Atqui habent legitimam missionem *extraordinariam*, ratione reformationis Ecclesiæ, sicut Savonarola habebat.

Resp.: *Nego* subsumptum. Nam, ipsi non veram sed pseudam reformationem operati sunt. Non mores pravos censurabant, nec Ecclesiam veram defendebant; sed ipsam Ecclesiam Christi, ut talem impugnabant. Ita Lutherus apud Marx, *H. E.* p. 451: « *Io non combatto il Papa o il Concilio per l'indegnità della vita e delle opere, ma per la falsità della dottrina* ». — Savonarola, e contra, veram Christi doctrinam prædicabat. Nullum dogma unquam negavit; neque theoriam Conciliarem admittebat, quidquid dicunt adversarii; sed revera suam doctrinam Ecclesiæ infallibili judicio subjiciebat. Cfr. *Documenta certissima* apud Luotto: « *Il vero Savonarola* ».

Instantia II: Atqui Protestantismus veram reformationem effecit. Ergo...

Prob. antec.: Vera reformatio illa est quæ Ecclesiam, quantum ad doctrinam regimen et cultum, ad simplicitatem apostolicam reducit. Atqui reformatores hoc proprie fecerunt. Ergo...

Resp.: *Dist. maj.:* Vera reformatio est quæ etc... inclusa vi evolutiva Ecclesiæ cum ejus effectibus propriis, *concedo;* exclusa tali vi vel ejus effectibus propriis, *nego.* — *Nego min.:* Reformatores enim non solum excluserunt vim intrinsecam Ecclesiæ evolutionis sui ipsius, in dogmate et in morali; sed dogmata et doctrinam ipsorum apostolorum negaverunt; e. g. doctrinam negaverunt de justificatione ex fide et operibus; negaverunt existentiam purgatorii, sacrificium Altaris, libertatem hominum, existentiam meritorum, confessionem auricularem, etc. — Cetera dogmata Ecclesiæ Christi, quæ expresse in Scripturis sacris non nominantur, habentur tamen ex traditione apostolica, et omnia apud Patres inveniuntur et explicantur. — Ergo Reformatores sæc. XVI, non veri sed falsi reformatores erant.

IV. **Utrum Ecclesiis Græcis competat nota apostolicitatis.**

Negative. — **Probatur:** 1. Societas quæ est schismatica non est apostolica. Atqui Ecclesia Græca est schismatica, prout ex historia Ecclesiastica probatur. Ergo... Unde, si aliqua habetur auctoritas in Ecclesia Græca, hæc non potest esse apostolica. Ecclesia enim Græca formalem successionem habere nequit. — 2. Item, Ecclesia Græca est etiam hæretica, quia negat dogmata fidei quæ a conciliis œcumenicis declarata fuere, sicut supra vidimus. — 3. Ecclesia apostolica non est, quæ stabilitatem non habet. Ecclesia Græca autem, cum sit nationalis et dependeat a rege vel a Statu, stabilitatem divinam non potest habere.

Dices: Ecclesia Græca est apostolica, quia nihil habet contra doctrinam primorum conciliorum.

Resp.: Nihil habet contra doctrinam *expressam* primorum conciliorum, *transeat;* contra doctrinam *implicitam, nego.* — Dico *transeat,* quia quædam sunt in actis conciliorum primitivæ Ecclesiæ quæ hodie a Græcis negantur. Ita v. g. jurisdictio suprema Romani Pontificis in Concilio Chalcedonensi satis clare apparet. Concilium Toletanum (an. 447) jam usus est vocabulo Filioque; dicitur enim Spiritus Sanctus « *ex Patre Filioque procedens* ». — Denique priora concilia minime *totam* doctrinam Ecclesiæ expresse declarare intendebant, verumtamen illa dogmata quæ tunc necesse fuit solemniter exponere. Multa sunt enim dogmata præter illa conciliorum, quæ in Sacra Scriptura inveniuntur.

V. **Utrum apostolicitatis nota reperiatur in Ecclesia Romana.**

Affirmative. — **Probatur.** I. « A priori ». Ecclesia Romana et ipsa sola habet notas unitatis, sanctitatis et catholicitatis. Ergo necesse est ipsam habere etiam aliam quartam notam, sc. apostolicitatis; secus enim Ecclesia Christi amplius non existeret, quod, admissa divinitate Christi et ejus promissione remanendi cum Ecclesia, possibile non est.

II. Ecclesia Romana est apostolica quia habet: *a*) *legitimam, publicam et nunquam interruptam pastorum ab apostolis successionem; b*) *in identitate doctrinæ, sacramentorum et regiminis.*

a) Quoad successionem pastorum publicam et nunquam interruptam a S. Petro usque ad Pium XI, in præsenti feliciter regnantem, documenta historiæ authentica declarant. Fere a nemine adversariorum factum hoc negatur. — Hæc vera et perpetua successio ab apostolis pastorum et sacerdotum in Ecclesia Romana, argumentum præstabat S. Augustino de veritate Ecclesiæ divina. Ait enim S. Doctor: « Tenet me in Ecclesia, ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præ-

sentem episcopatum, successio sacerdotum » (*Contra Epist. Fundamentalium*, cap. IV). Item, famosa sunt dicta ipsius S. Aug. circa auctoritatem Ecclesiæ Romanæ: « Inde (a Sede Apostolica) etiam rescripta venerunt: *causa finita est* » (*Sermo* 131, X; P. Lat. c. XXXVIII, col. 734). — « Ego evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas » (*Contra epist. Fundamentalium*, cap. V).

b) Probatur *generaliter* ex eo quod hæreses et schismata originem habuerunt quia contra Ecclesiam Romanam senserunt et pugnaverunt. Ipsa vero Ecclesia nunquam divisa est, et semper doctrinam apostolorum custodivit et docuit. Unde S. Aug. « Hæreses omnes, inquit, de illa exierunt » (*Serm.* I, *De Symb. ad catec.* VI, n. 15). — Schismatici vero, « altare contra altare » erexerunt (S. Optatus *de Schismate Donat.*, l. VII).

In particulari. — 1. Quoad *doctrinam*, nunquam assignari potest tempus quo ab Ecclesia Romana a tempore apostolorum mutata sit doctrina fidei et morum. Ex Sacra Scriptura enim et ex patristica traditionali quam maxime constat, doctrinam Ecclesiæ perantiquam esse immo in primordiis ipsius Ecclesiæ Christi inveniri. Ita de doctrina sacramentaria, trinitaria, de christologia, doxologia, de hierarchia, de ipsa Ecclesia, de liturgia præsertim de sacrificio altaris, de moribus christianorum etc. omnia habentur in Ecclesia primitiva, apostolica.

2. Quoad *identitatem sacramentorum.* — Ecclesia semper septem sacramenta retinuit et retinet. Patres de istis sacramentis tractant, et septem enumerant non quidem arithmetice, sed *formaliter*. Item, Nestoriani et Jacobiti, qui sæculo V et VI ab Ecclesia secesserunt, septem sacramenta retinuerunt (cfr. Marx, *H. E.* trad. Ital., p. 141). — Præterea, si singillatim et breviter (quia de sacramentis in gen. et in partic. sermo erit in aliis tractatibus) examinaverimus sacramenta: quoad *Baptismum* nullum haberetur dubium; dicit enim Christus et ordinat: « *Baptizate omnes gentes: in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti* » (Mt. XXVIII, 19). Similiter de *Confirmatione* dicitur in *Act. Apost.*: « *Cum enim audissent apostoli qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro eis, ut acciperent Sp. Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.* TUNC IMPONEBANT MANUS SUPER ILLOS, ET ACCIPIEBANT SPIRITUM SANCTUM » (cap. VIII). — Similiter, Nov. Test. nominat sacramenta *Eucharistiæ*, *Pœnitentiæ Ordinis*. — De *Extrema Unctione* scripsit S. Jacobus Apostolus: « *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei* ». — *De Matrimonio* ait ipse Dominus: « *Quod Deus conjunxit,*

homo non separet». Et S. Paulus loquens de unione viri cum uxore sua, et eam unionem comparans cum unione Christi et Ecclesiæ, dicit: « *Sacramentum* (mysterium) *hoc magnum est: ego autem dico in Christo et Ecclesia* » (*Ephes.* v). — Ex his ergo patet Ecclesiam Romanam habere eadem sacramenta sicut Ecclesia apostolorum.

3. Similiter, Eccl. Romana idem omnino habet regimen sicut illa apostolorum. Tempore apostolorum regimen consistebat in capite apostolorum, sc. S. Petro, in ipsis apostolis, qui alios vices eorum gesturos creabant, in presbyteris et ministris. Hæc autem hierarchia habetur in Romana Ecclesia, et quidem per legitimam, publicam et nunquam interruptam successionem, ab ipsis apostolis, ut historiæ documenta testantur.

Ecclesia Romana, igitur, est vera Christi Ecclesia et super Apostolos fundata.

OBJECTIONES

Objectio I. — Adest discrepantia inter Ecclesiam Apostolicam et Ecclesiam Romanam. Etenim, illa valde simplex erat et a multitudine dogmatum abhorrebat.

Resp.: Hæc discrepantia est substantialis, *nego;* accidentalis, *concedo.*

S. Thomas: « Eadem est numero Ecclesia quæ tunc erat et nunc est; quia eadem est fides et fidei sacramenta, eadem auctoritas, eadem professio: unde dicit Apostolus I *Cor.* I, 13: Divisus est Christus? Absit.... Est alius status Ecclesiæ nunc et tunc, non tamen est alia Ecclesia » (*Quodlib.* XIII, art. 19).

Instantia: Atqui discrepantia est substantialis. Ergo stat difficultas. *Probatur antec.:* Regimen Romanorum Pontificum et cultus sanctorum pertinent ad essentiam regiminis et liturgiæ respective. Atqui Ecclesia apostolorum immunis erat ab istis rebus. Ergo...

Resp.: *Transeat major.* — *Dist. min.:* Ecclesia apostolorum erat immunis a regimine seu dominatu Ecclesiæ Romanæ, quantum ad usum juris, *concedo;* quantum ad ipsum jus, *nego*. Similiter, quoad aliam partem: Ecclesia primitiva cultum sanctorum ignorabat, *nego;* nonnullos colendi modos, *concedo.* — « Hoc enim veritatis catholicæ proprium est (recte ait De Groot), quod apto tempore, cœlestis instar viridarii novos piarum exercitationum fructus efferat. Adversarii legem evolutionis ignorant ».

II. — Fieri potuit, ut insensibilibus mutationibus dogmata nova formarentur. Ergo Ecclesiæ Romanæ apostolicitatis nota incerta videtur.

Resp.: *Dist. antec.:* Id fieri potuit in abstracto, *transeat;* in hoc casu concreto, *nego.* — Primum Ecclesia Romana sensibilibus factis probat se apostolorum esse legitimam hæredem; jam

vero *factum publicum* et *certum* possibilibus ac insensibilibus non destruitur. Deinde nunquam ab Ecclesia non evigilatum est, ut omnes traditis starent; quam quidem in veritate constantiam adversarii Romanensem « immobilitatem » appellare consueverunt. Postremo ex monumentis jamdudum notis aliisque denuo repertis, puta in Catacumbis, priorum sæculorum exsurgit imago, quæ hodiernam Ecclesiam tam vere repræsentat, ut protestantes non pauci, præsertim in Anglia, ad fidem Romanam redire impulsi sint studio antiquitatis, certam salutis viam quærentes, ubi continuationem ab apostolis dogmatumque integritatem conspexerant.

DOCTRINÆ HUCUSQUE EXPOSITÆ GENERALIS CONCLUSIO

CHRISTUS JESUS, verus Deus et Homo, Salvator mundi, Ecclesiam suam fundavit et instituit per novam formam essentialem sed externam, sc. sacramentorum, cultus et regiminis, atque perfectæ adimpletionis legis. — FINIS Ecclesiæ proximus est sanctificatio hominum, i. e. munditia a peccatis et firmitas in bono supernaturali. — In sua CONSTITUTIONE Ecclesia Christi est essentialiter VISIBILIS, i. e. natura sua Ecclesia postulat visibilitatem; et constituitur nedum ex justis et prædestinatis, vero etiam ex peccatoribus et reprobis, usque ad finem mundi. — Ecclesia est HIERARCHICA et dividitur inter laicos et clerum. Hierarchia autem in clero, divinitus et immediate instituta, constat ex capite, ex episcopis, presbyteris et ministris. Episcopi sunt presbyteris superiores, non ex consuetudine Ecclesiæ, sed institutione divina. — Hæc societas PERFECTA est, sibi sufficiens et ab aliis, in ordine proprio spirituali et supernaturali, independens. — Est UBIQUE LEGALIS, et ita NECESSARIA ut extra ipsam, qui ignorantia vincibili vel malitia manet, salutem æternam consequi non poterit. — Ecclesia, igitur, manifestatur certe et ab omnibus cognosci potest in concreto sine ullo dubio per suas NOTAS, sc. UNITATIS in professione fidei, regimine et cultu, — SANCTITATIS qua ad bonum divinum ordinatur, — CATHOLICITATIS formalis et simultaneæ, — et APOSTOLICITATIS in quantum suam originem manifestat apostolicam, per successionem ab apostolis pastorum formalem, et per identitatem doctrinæ, cultus et regiminis. Necessarium est Ecclesiam Christi veram has quatuor notas habere, quæ ab ipsa profluunt, ut proprietates obviæ et positivæ, interno-extrinsecæ. Inter omnes Ecclesias existentes sola ECCLESIA ROMANA has veras quatuor notas habet, ac proinde Ecclesia Romana, et ipsa sola, est VERA CHRISTI ECCLESIA.

II.

DE QUALITATIBUS ECCLESIÆ EXTRINSECIS SEU DE DOTIBUS

Secundum propositam a nobis divisionem (p. 7), postquam tractatum est de existentia, constitutione et perfectione Ecclesiæ Christi, nunc agendum est de veræ Christi Ecclesiæ (i. e. Romanæ) *qualitatibus extrinsecis* et de ejus relationibus ad Statum necnon de Romano Pontifice. — A præsenti quæstione, igitur, usque ad finem, sermo semper est de Ecclesia Romana. Quæ amplius dicturi sumus magis magisque *confirmabunt veritatem* quam supra exposuimus, et divinitatem Ecclesiæ magis manifestabunt.

QUÆSTIO VII.

De dotibus seu de indefectibilitate et infallibilitate Ecclesiæ.

Explicatio Prœliminaris. — Dos, proprie loquendo, est donum quoddam datum sponsæ ad sustentandam propriam vitam. Ecclesia sponsa Christi est, de qua legitur: « *Sponsabo te mihi in sempiternum... et sponsabo te mihi in fide* » (Osee, II, 19, 20); et Christus dotes dedit Ecclesiæ suæ ut nunquam deficeret. Aliquid vero deficere potest, ut sæpe docet S. Thomas, aut *per se* aut *per accidens*. *Per se* aliquid deficit, si ex propriis principiis corrumpitur, sicut accidit in illis rebus quæ ex contrariis componuntur. *Per accidens* autem aliquid deficit quando hoc accidit ratione deficientiæ illius a quo dependet. Consequenter indeficiens potest sumi dupliciter: sc. *per se*, quando aliquid non componitur ex contrariis, et *per accidens*, si ab aliquo ita dependet ut, ipso deficiente, etiam illud deficeret. — Ecclesia neque per se *proprie*, neque *per accidens* est indeficiens. Non *per accidens*, quia, cum sit societas perfecta, a nulla alia dependet, in ordine suo; nec per se *proprie* quia indeficientia Ecclesiæ non provenit ex principiis intrinsecis ipsius, sc. neque ex forma interna, quæ est fides, quia hæc in subjectis corrumpi potest; neque ex forma externa, i. e. ex regimine hierarchico, ex cultu et sacramentis, ut patet. Sed indeficientia Ecclesiæ provenit a principio exteriori, cui absolute et perfectissime competit indeficientia, sc. a Deo, per assistentiam Spiritus Sancti specialemque providentiam. Hæc assistentia divina et specialis Dei providentia, ut recte notat P. Gatti (*Instit. Apol.-Polemicæ*, v. III), non promanat, igitur, ex essentia Ecclesiæ, neque eam essentialiter afficit,

sicut notæ; sed essentiæ supervenit. Ecclesia enim se habet ad Dotes non ut principium activum, sicut se habet ad notas, sed ut principium passivum [1].

Talis autem specialis Spiritus Sancti assistentia ad duo Ecclesiæ datur: I. Ut Ecclesia semper perduret usque ad finem mundi, atque semper perseveret in identitate essentiæ status et formæ (sive interna sive externa), qualis a Christo instituta est; — II. Ut Ecclesia immunis sit ab omni errore circa ea quæ ad suum finem pertinent essentialiter sc. quæ sunt fidei et morum. Secundum hæc duo Ecclesia dicitur et est *indefectibilis* et *infallibilis*. Indeficientia super perpetuitatem addit immutabilitatem in essentialibus.

DE RELATIONE INTER INDEFECTIBILITATEM ET INFALLIBILITATEM

1. Secundum *rationem formalem*, indefectibilitas semper distinguitur ab infallibilitate. Nam, infallibilitas formaliter importat *inerrantiam* in fide et moribus. Indefectibilitas vero importat permanentiam et identitatem seu immutabilitatem Ecclesiæ, quoad fidem, sacramenta, regimen et alia hujusmodi, quæ ad Ecclesiam essentialiter pertinent.

2. *In concreto*, indefectibilitas, quæ, hic et nunc et continue est in Ecclesia, secumfert necessario infallibilitatem passivam, et ut arbitror, infallibilitatem activam magisterii ordinarii universalis Ecclesiæ, quæ pertinet (salvo meliori judicio) ad infallibilitatem negativam, qua Ecclesia tuta tuetur ab errore (cfr. De Groot, p. 284). — Sed indefectibilitas non importat infallibilitatem activo-positivam, sc. illam assistentiam quæ non continue est in Ecclesia, sed tantum semper quando opus est. Hæc est infallibilitas Summi Pontificis ex Cathedra loquentis, et Conciliorum Œcumenicorum legitimorum.


3. Attamen infallibilitas activo-positiva præsupponit assistentiam (evigilantiam quamdam divinam) in Ecclesiam, per quam, *quando opus est*, Ecclesia pronuntiat suam infallibilem sententiam. Hæc divina evigilantia videtur pertinere ad dotem indefectibilitatis *extensive*. Ratio est quia talis evigilantia semper et continue habetur in Ecclesia, et non est verisimile quod ipsa sit *nova* assistentia.

4. Assistentia indefectibilitatis et assistentia infallibilitatis ac-

---

[1] Cum Ecclesia sit indeficiens ratione suæ dependentiæ a Deo, qui deficere non potest, possumus recte dicere, sub hoc respectu, Ecclesiam esse indeficientem *per accidens*. Sub hoc respectu, tamen, omnia sunt indeficientia *per acc.*, etiam illa quæ talia sunt *per se;* omnia, enim, a Deo dependent.

tivo-positivæ includuntur, sub aliqua ratione, in indeficientia Ecclesiæ. Propterea, omnia sequenti schemate poni possunt:



Dubium. — *Utrum infall. activo-positiva pertineat ad indefectibilitatem potentialiter.*

Resp.: Puto quod non; quia aliquid potentialiter in aliqua re est secundum naturam ipsius rei. Natura autem assistentiæ indefectibilitatis est quid negativum (assistentia negativa), propterea est continua et perennis in Ecclesia. — Infallibilitas activo-positiva est auxilium divinum *novum* et *transiens,* quo Ecclesia docens hic et nunc illuminatur et dirigitur. Unde, hæc est *alia* assistentia.

In hac quæstione (*De Dotibus*) quatuor consideranda sunt, quorum duo pertinent ad indefectibilitatem, alia duo ad infallibilitatem. De indefectibilitate quærimus: 1) an Ecclesia sit indefectibilis; et, quia quidam somniaverunt et somniant Ecclesiam translatum iri in statum meliorem, quærendum est 2) utrum Ecclesia in statum meliorem mutanda sit.

Articulus I.

UTRUM ECCLESIA SIT INDEFECTIBILIS

Status et sensus quæstionis. — Agitur de Ecclesia Romana, ut supra diximus, quæ est Christi vera Ecclesia. Quæritur utrum Ecclesia Romana assistentiam specialem immediate a Christo habeat, qua, in eadem essentia, statu et forma, quam Christus ei contulit, in perpetuo perseveret. Propria quæstio est, igitur, de immutabilitate Ecclesiæ in perpetuitatem. Adversarii enim magis hanc immutabilitatem negant, quam Ecclesiæ perpetuitatem. Item, agitur de immutabilitate essentialium Ecclesiæ non vero de accidentalibus.

Momentum. — Per dotes veritatem Ecclesiæ Romanæ, ejusque legitimitatem et authenticitatem quam maxime confirmamus, atque motivum præbemus adversariis credibilitatis ipsius: *testimonium irrefragabile* (Denz. 1794).

Adversariorum sententiæ. — I. *Valdenses* et *Albigenses* Ecclesiam, dicebant, jam a tempore Constantini Magni, per donationem quamdam dominii temporalis, defecisse. — II. *Wicleffitæ* et *Hussitæ* declararunt Ecclesiam Romanam esse synagogam Satanæ, atque Ecclesiam veram esse *invisibilem*, solis electis constantem. — III. *Protestantes Priores* contendunt, Ecclesiam esse defectibilem et reapse ante Lutherum defecisse, quantum ad Ecclesiam visibilem. Calvinus asserit, Deum sua providentia effecisse ut quædam fundamentalia semper exstarent in Ecclesia, uti baptismum (*Ins.* lib. IV, c. II, n. 11). — IV. Omnes *hodierni Protestantes* et *Schismatici* contendunt Ecclesiam quosdam fidei errores admittere, præsertim in doctrina de Primatu Romani Pontificis. — V. *Naturalismus* et *rationalismus* prædicant futurum et proximum Ecclesiæ finem. Ita Voltaire, Hartmann et alii.

Prænotamina: 1) Indefectibilitas Ecclesiæ definitur: « perpetua ejus permanentia in eadem essentia, statu et forma, quæ Christus ipse ei contulit » (Cfr. Gatti, *l. c.*) vel, « Ecclesiæ dos seu proprietas a Christo donata, qua usque in mundi finem talis immutata permanebit, qualis a Christo instituta est » (De Groot, p. 270). — 2) Per has definitiones asserimus: *a*) « Ecclesiæ existentiam nunquam interruptam »; *b*) « hujusmodi indefectibilitatem adeo esse essentialem, ut ipsa secum afferret necessario permanentiam in eadem doctrina, in eadem fide, in iisdem sacramentis, ac in omnibus aliis, quæ ab Ecclesiæ essentia et ab hoc præsenti statu inseparabilia sunt; *c*) perennem Ecclesiæ visibilitatem. — « Sed, ut ait De Groot, non excluditur: α) hominum progressus in credenda, explenda, scientifice declaranda Christi lege; β) modificationes earum rerum, quas Servator in particulari determinandas Ecclesiæ suæ reliquit, veluti jejunii certa tempora, etc. ».

Ad Articulum. — Doctrina est de fide. Denz. 1821: (*Conc. Vaticanum*): « Pastor æternus et Episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam ædificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes *unius* fidei et charitatis vinculo continentur ». — Leo XIII: « Est igitur Ecclesia Christi unica et perpetua... » (Denz. 1955).

Nota: Quoniam Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia, sententia ipsius nunc incipit valorem apologeticum habere.

Probatur Articulus. — Arg. I. Ex Sacra Scriptura: *a*) Ex Vaticiniis V. T.; *b*) ex promissis Christi; *c*) ex parabolis, doctrina et institutis Christi. Sequimur De Groot, pp. 271 et seqq.

a) *Vaticinia V. T.* — Vaticinia V. T. quæ ad regnum Christi referuntur perpetuitatem indicant simul cum immutabilitate. Dan. VII, 14: « Potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur; et regnum ejus quod *non corrumpetur* ». — Item, Daniel, cap. II, 44: « In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur... et ipsum *stabit in æternum* ». Cfr. etiam Is. LXI, Ps. LXXXVIII, Ps. XLVII.

Quod in istis textibus agitur de Ecclesia Christi clare apparet: 1. Ex eo quod Messiæ regnum, in synagogæ locum subrogatum, nullum indicatur nisi religio christiana, quam Christus in Ecclesiæ formam constituit. — 2. Ecclesia in N. T. *regnum* vocatur. — 3. Vaticiniorum sensus in N. T. dilucide explicatur. Angelus enim ad Mariam missus, de Emmanuel: *Dabit illi*, inquit, *Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis* (Luc. I, 32).

b) *Promissa Christi.* — Ædificatur Ecclesia *super petram; portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (Mt. XVI, 18); et ipse Christus cum Ecclesia est quotidie *usque ad consummationem sæculi* (Mt. XXVIII, 20). Ideo Ecclesia sicut domus bene ædificata, quia supra firmam petram est, quando flaverunt venti, et venerunt flumina, *non cecidit* (Mt. VII, 24-26). Spiritus enim *in æternum* manet cum ea (Joan. XIV, 16).

c) *Christi parabolæ et institutiones.* — Fideles, ministri et sacramenta perduratura sunt usque ad finem mundi. Ergo et Ecclesia. 1. *Fideles;* jam vidimus quod Ecclesia constituitur non solum ex justis, sed etiam ex peccatoribus qui remanebunt etiam in fine, prout ex parabolis supra demonstravimus (p. 19). — 2. *Ministri;* S. Paulus ministros Ecclesiæ nominat « *ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei... in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* » (Eph. IV, 11-13). Item, ministri perdurabunt cum sacramentis. — 3. *Sacramenta;* sacramentum Eucharistiæ perduraturum est usque ad adventum Domini... S. Paulus: « *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis, donec veniat* » (I Cor. XI, 26). Notanda sunt hic verba S. Thomæ: « Donec veniat id est usque ad ultimum ejus adventum: in quo datur intelligi quod hic ritus Ecclesiæ non cessabit usque ad finem mundi ». *Exp. in Epist., l. c.*

NOTA: Cum sac. Eucharistiæ sit finis aliorum sacramentorum, sequitur quod si illud remanebit, et cetera sacramenta remanebunt, usque ad finem mundi.

Arg. II. EX TRADITIONE. — Patres apologetici et antihæretici, data occasione, hanc Ecclesiæ firmitatem et propriam indefectibilitatem, in diversis eorum scriptis, exposuerunt. Famosum est dictum *Tertulliani*, quod in impetu suo contra persecutores Ec-

clesiæ tam pulchre exprimit: « Cruciate, torquete, attrite nos... plures efficimur, quoties metimur a vobis: *Semen est sanguis christianorum* » (*Apol.* c. 50). Hæc verba coincidere videntur cum illis S. Justini: « Quemadmodum vitis, si quis partes illas amputet, quæ fructum ferunt, ita proficit, ut alios florentes et fructiferos palmites rursus proferat, idem quoque nobis evenit. Plantata enim a Deo et a Salvatore Christo vitis, populus ejus est » (*Dial. cum Tryphone*, c. cx). — Fortia etiam sunt verba *S. Joannis Chrysostomi:* « Ecclesia est cœlo validior.. Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Quæ verba? Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam » (*Hom. ant. exil.* 1). — Item, « Non senescit, non contrahitur, et multis oppugnationibus non opprimitur... Putas eam te posse lædere, sed non poteris, Christus enim propter eam passus est, portæ inferi non prævalebunt adversus eam » (*Serm. de Pentec.*). — *S. Ambrosius* (*lib. de Salomone*, c. 4): « Etsi (Ecclesia) undarum fluctibus aut procellis sæpe vexabatur, nunquam potest sustinere naufragium ». — Similiter, *S. Hier. in Is.* c. 4: « Super petram fundata Ecclesia, nulla tempestate concutitur, nullo turbine ventisque subvertitur ». — Et *S. Aug.* in *de Symb. ad Catechumenos:* « Ipsa est Ecclesia sancta... pugnari potest, expugnari tamen non potest: hæreses omnes de illa exierunt tamquam sarmenta inutilia de vite præcisa, ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua, portæ inferorum non vincent eam ». Item, « Quamdiu ero in hoc sæculo? Annuntia mihi propter illos qui dicunt: Fuit et jam non est... Et annuntiavit, nec vacua fuit vox ista. Quis annuntiavit mihi, nisi ipsa via? Quomodo annuntiavit? *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* » (*In ps.* ci, serm. 2).

Cfr. etiam *Origenem, Exhortatio ad Martyrium; S. Hippolytum, De Ch. et Antich.; S. Hieronymum, In Is.* v; *S. Ambrosium, In Ps.* xl, 30; *S. Leonem M.*, Ep. 102 etc.

Arg. III. Ex origine, fine, historia Ecclesiæ et testimoniis acatholicorum.

1. *Ex origine.* Nemo est, qui non videt, quam inconveniens sit, eam perire Ecclesiam, quam dedit nobis Deus in Filio, *quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula.* Hebr. i, 2. — 2. *Ex fine.* Christus Ecclesiam instituit, ut homines per eam salutis media percipiant. At homines nunquam istis mediis non indigent. Ex quo intelligitur, ordinem salutis a Deo constitutum postulare, ut Ecclesia semper maneat. — 3. *Ex historia.* Historiæ fide comprobatum est, Ecclesiam per medias persecutiones vixisse. Tot autem reportatæ victoriæ dexteram manifestant Divinam, et spondent de futuro. — 4. *Ex Testimoniis Acatholicorum.* Macaulay (*Essays, Ranke's History of the Popes*): « Cum tremendas oppugna-

tiones cognoscimus quas ipsa (Ecclesia Romana) potuit ferre, difficile est nobis concipere quomodo possit ipsa unquam perire ». (Vide *Unità Cattolica*, Firenze, 10 Apr. 1924, Art. « *L'Indefettibilità della Chiesa in faccia a due intelligenze Protestantiche.*) — Guizot: « *L'Eglise Catholique ne périra pas* » (*Rev. de quest. hist.* 1885, p. 257). Lorenz (*Die Geschichtswissenschaft in Hauptrichtungen*): « Jam validior est Ecclesia quam unquam fuit ». — Comte (*Cours de philosophie positive*): « Le système catholique au moyen-âge forme jusqu'ici le chef d'œuvre politique de la sagesse humaine... ». (NB. Comte erat incredulus.) — Doumergue contra sepulturos Ecclesiam sicut Hartmann, qui Ecclesiam vocat mummiam, « Le mort est plus vivant qu'il y a des siècles ». — F. Delaborde: « A toutes les attaques, la papauté n'a qu'une réponse: elle dure. Elle dure, non pas inerte ni défaillante, mais fortifiée de son passé, vivante de son activité présente, jeune de la conscience de son avenir » (*Rev. des Deux Mondes*, 1896, 1 Jun., p. 60). — Dr. Rosseland (*Rev. Norvegiana* « *Varden* », Jan. 1925): « Amidst the smoking wreckage of the world wide war, one edifice only has remained standing more firmly than ever—the Catholic Church. While other ecclesiastical organizations are suffering from their lack of unity and cohesion, and exhausting their energies in sterile doctrinal controversies, or are paralyzed by a baneful materialistic policy, the Catholic Church has gained in its internal strenght and its external influence... » Cfr. *Catholic Times*, 10, 1, 25. — Ad alia testimonia cfr. Blyton's Pamphlet « *The witness from outside* ».

NOTA: Hoc ultimum arg. magis sensibiliter tangit adversariorum mentem, quam alia argumenta. Non mirum est igitur quod ipsi adversarii de vita Ecclesiæ gloriosa et perenni admirentur. Attamen vere mysterium et terribile est factum cæcitatis et cordis obdurationis illorum qui ante tantam lucem, divinitatem Ecclesiæ non cernunt. Verumtamen, mysterium hoc absconditum est in mente Dei, sicut ipsa Veritas testatur: « *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum* » (Joan. VI, 44). Animadvertit ergo S. Augustinus dicens: « Magna gratiæ commendatio! nemo venit nisi tractus. Quem trahat et quem non trahat; quare illum trahat et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare. Semel accipe, et intellige: si non traheris, ora ut traharis » (Cfr. *Catena Aurea* S. Thomæ in *l. c.*). Propterea mirandum est potius mysterium hoc quam scrutandum, circa quod exclamabat S. Paulus: « *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* » (Rom. XI, 33).

OBJECTIONES

Objectio I. — Ante Christum natum Ecclesia Judaica defecit, v. g. tempore captivitatis. Ergo, promissis non obstantibus, perire potest Ecclesia.

Resp.: *Dist. antec.:* Ecclesia Judaica ante Christum natum defecit in multis membris, *concedo;* in omnibus, *nego.* — Nullo unquam tempore non fuerunt Judæi, in quibus vera colendi Dei

ratio perseveraret. Ecclesia autem Judaica multo magis quam Ecclesia Christiana obumbrari potuit; *a*) quia particularis, non universalis, erat; *b*) quia gratiarum ubertate, Ecclesiæ donata, carebat; *c*) quia ipse Deus prædixerat: *Si autem aversione aversi fueritis vos et filii vestri... auferam Israel de superficie terræ, quam dedi eis.* III Reg. IX, 7. Quare Deus Ecclesiam Judaicam interdum ita percussit, ut prope deleta esse videtur.

II. — Ecclesia defecit. Etenim, exorta hæresi Arii, defecisse Ecclesiam, Hieronymus testis est. « Ingemuit — inquit — totus orbis, et Arianum se esse miratus est » (*Dial. adv. Luciferianos*, n. 19).

Resp.: Orbis totus miratus est se esse Arianum hæresi *imputata*, conc.; *hæresi*, nego. — Patres congregati in Concilio Ariminensi, de quo hic agitur, formulam subscripserunt in qua vox « *omousios* » non legebatur. Quod autem non subscripserunt, minime negabant. Cum ergo Ariani fraudem suorum manifestarent, Patres statim hæresim damnarunt (Cfr. S. Hier., *l. c.*).

III. — Possibile est Ecclesiam persecutionibus tam vehementer minui, ut nulla specie emineat.

Resp.: Ecclesia minui potest specie accidentali, *concedo;* essentiali, *nego*.

Quantum ad persecutiones audiatur S. Augustinus: « Oportebat autem — inquit — ut eadem vitis, sicut a Domino identidem prædictum erat, putaretur, et ex ea præciderentur infructuosa sarmenta, quibus hæreses et schismata per loca facta sunt, sub Christi nomine, non ipsius gloriam, sed suam quærentium, per quorum adversitates magis magisque exerceretur Ecclesia, et probaretur atque illustraretur et doctrina ejus et patientia » (*De catech. rud.*, c. XXIV).

IV. — Atqui etiam in essentialibus. Dicitur enim apud Lc. XVIII, 8: « Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra? ».

Resp.: Secundum S. Aug. agitur hic de fide heroica, seu sanctorum; vel id dicitur propter multitudinem malorum, et paucitatem bonorum.

Articulus II.

UTRUM ECCLESIA IN STATUM MELIOREM MUTANDA SIT

Status et sensus quæstionis. — Hic articulus respondet aliquo modo ad dubium: utrum sc. Ecclesia mutari possit in melius. Quod enim, in statum pejorem Ecclesia non transit neque transiet, jam probatum est. — Sensus articuli non est de evolutione seu expansione illa quæ a vitalitate Ecclesiæ profluit, quantum ad dogma, veritates scientificas religiosas, cultum, cœremonias et alia hujusmodi, quæ pertinent ad evolutionem quamdam externam Ecclesiæ quantum

ad statum; — sed quæstio est de mutatione substantiali, ac si diceretur: utrum specie sit Ecclesia transmutanda in aliam ipsi superiorem: quemadmodum homo in angelum.

Momentum quæst. et Adversariorum sententiæ. — Momentum hujus quæstionis haud ita leve est sicut primo aspectu apparet. Est enim vera quæstio hodierna. In Anglia præsertim, quamvis indirecte, valde agitata est. 1) Materialismus sæculi præteriti ad *Spiritismum* duxit hodiernum, in quo multi, etiam illi qui christiano nomine gloriantur, novissimam religionem vident. Ita, v. g., ille famosus Angliæ physicus, Sir Oliver Lodge, « spiritismus, ait, futurorum est temporum religio ». — *Modernistæ* veram Christianismi notionem amiserunt; dogmata catholica admittunt quoad nomen tantum, re, autem, aliud intelligunt quam Ecclesia. Secundum eos religio Christi substantialiter mutatur per evolutionem quamdam (*Evolutionismus Biblicus*), qua Ecclesia fit magis magisque spiritualis. Cultus externus, hierarchia et alia hujusmodi, quæ ad formam exteriorem Ecclesiæ pertinent, sunt materialia quædam et abolenda in Ecclesia vere spirituali... « Ubi spiritus, aiunt, ibi libertas », et « qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei ». — Isti autem idem sentiunt sicut Joachimitæ, sæc. XIII, qui de ætate puri spiritus (Spiritus Sancti) somniabant (cfr. Marx, *H. E.*, trad. Ital., p. 341). — Quidam protestantes, uti *Irvingiani*, et *Chialistæ* seu millenaristæ, novum Domini regnum expectant, in quo Ecclesia perfecta pace gaudebit, quod erit omnino spirituale. Hi in Anglia vocantur « *The Order of the White Star* »; et his nostris diebus pontem quemdam in insula Australiæ fabricant ad orientem, ut Christus veniens per ipsum transibit in terram! (Cfr. *Catholic Times*, die 31 Jan. 1925). — Ad Millenarismum quod attinet, cfr. Billuart, *De ult. fine*, Diss. II, art. 3.

Ad Articulum respondetur *negative*, et hæc responsio est nedum theologice certa, sed videtur esse etiam de fide. Nam doctrina adversariorum per quam ad nostram thesim procedunt, damnata est omnino ab Ecclesia. Millenarismum Patres confutavere. Et de fide est animam post separationem a corpore statim transire in paradisum, purgatorium vel in infernum (Cfr. Denz. *index* XIV). Sententiæ Modernistarum damnatæ, multæ sunt quoad hanc nostram quæstionem. Cfr. Denz. 2053, 2054, 2059, 2060. « Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiæ sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; A. S. ». Conc. Vatic., Constit. *Dei Filius*, cap. IV, 3.

Probatur Articulus. — Mutatio Ecclesiæ potest esse: *a*) per evolutionem objectivam ipsius Ecclesiæ; *b*) per novam Christi doctrinam; *c*) per novam Spiritus Sancti missionem; *d*) ex hominum arbitrio.

—Atqui ex nullis his capitibus haberi potest mutatio. Ergo Ecclesia non mutabitur.

Probatur minor. — *a*) Non per evolutionem, quia Ecclesia perfecta est, et missionem Christi continuat, qui perfectissimum exemplar sanctitatis erat; *b*) non per novam Christi doctrinam, quia hæc Christi doctrina remanebit usque ad finem mundi; Christus enim suam doctrinam non coarctavit ad tempus vel locum. Et ipse venturus est non novam doctrinam tradendo, sed ad vivos et mortuos judicandum; *c*) non per novam missionem Spiritus Sancti, quia Spiritus Sanctus jam Ecclesiam docuit omnem veritatem; *d*) et ultimo non ex libero hominum arbitrio, quia Ecclesia est supernaturalis. Item, considerandum est Christum Ecclesiam instituisse ad naturam hominum adaptissimam; consequenter mutatio essentialis in Ecclesia supponeret mutationem in specie hominum. Deinde recolendum est S. Thomæ sententiam, quod scilicet nulla alia lex potest esse perfectior lege N. T. « Nihil enim potest esse propinquius fini ultimo quam quod immediate in finem ultimum introducit; hoc autem facit nova lex: unde Apostolus dicit (Ad Hebr. x, 19): " Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, accedamus ,, » (I-II, q. 106, a. 4).

Confirmatur testimoniis Patrum qui, ut supra vidimus, nihil innovandum esse in Ecclesiæ doctrina declaraverunt.

DE INFALLIBILITATE ECCLESIÆ

Circa infallibilitatem Ecclesiæ tria quærimus, sc. 1) De infallibilitate in se spectata, seu de ejus existentia in Ecclesia; 2) De subjecto ipsius principali, quod ab adversariis magis impugnatur, i. e.: Utrum hoc subjectum sit Ecclesia docens; 3) De objecto infallibilitatis. Hæc ultima pars tractabitur in quæstione sequenti.

Articulus III.

UTRUM ECCLESIA SIT INFALLIBILIS

(Bibliographia: De Groot, *l. c.;* Schultes, *l. c.;* Billuart, *De Regulis Fidei;* Garrigou-Lagrange, *De Rev.*, vol. II: Gatti, *Institutiones Apologetico-Polemicæ,* vol. III; Melch. Canus, *Loci Theol.*, lib. VI; Finlay, S. J., *Ecclesia The Church of Christ-Infallibility;* Tanquerey, *De Ecclesia*).

Status et sensus quæstionis. — Jam distinximus inter indefectibilitatem et infallibilitatem. Indefectibilitas respicit principaliter

permanentiam formalem; infallibilitas vero inerrantiam. Diximus quod duplex est infall., sc. *passiva*, seu Ecclesiæ addiscentis in credendo; alia, autem, *activa*, i. e. Ecclesiæ docentis. Et statuimus quod indefectibilitas secumfert *necessario* infallibilitatem passivam. Sic, ergo, indirecte jam probavimus infallibilitatem Ecclesiæ addiscentis. Nunc autem hoc etiam positive demonstratur. Agitur tamen, de Ecclesia generaliter considerata, cujus infallibilitatem definimus: « *Assistentia Divina qua Ecclesia errare nequit in rebus fidei et morum* ». — Quæstio ergo non est tantum circa *factum* infallibilitatis, sed etiam circa *jus*. Nedum Ecclesia de facto non errat, sed neque unquam errare potest, in credendis et agendis in ordine ad vitam æternam. En quæstio. — Ecclesia aliquo modo participat inerrantiam Dei; qui tamen ex se ipso, cum sit primum ens, immobile et perfectissimum, neque fallit, neque fallere potest; Ecclesia vero, non ex se ipsa, non ex virtute propria, sed virtute Dei, ipsi communicata, gaudet infallibilitate.

Nota: De infallibilitatis **natura et indole.**

Recolenda est doctrina de corpore Christi mystico, quod est Ecclesia. Membra hujus corporis unita sunt inter se, et cum capite, i. e. cum Christo, per fidem et charitatem, seu per fidem formatam; fides enim *informis* facit membrum sed mortificatum, seu paralyticum; et sola minime sufficit ad ipsum vivum reddendum; fides enim sine bonis operibus, i. e. sine observantia legis et præceptorum Dei et Ecclesiæ, mortua est (Conc. Trid. Sess. VI; *Summa Theol.* II-II, q. 4, art. 7). Spiritus Sanctus, per quem charitas Dei (quæ est participatio ipsiusmet charitatis divinæ qua Deus amat seipsum) diffusa est in cordibus nostris, Ipse est principium efficiens, vivificans corporis Christi mystici. Et « hoc agit Spiritus Sanctus in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis » (S. Aug., *Sermo de Die Pent.*). — Ecclesiæ autem, finis proximus est sanctificatio membrorum; finis ultimus est adeptio vitæ æternæ. Talis finis, qui est absolute supernaturalis, excedit vires et exigentias omnium creaturarum (Conc. Vat. Sess. III; Garrigou-Lagrange, *De Rev.*, pars I). — Propterea attingendum est virtute divina et supernaturali; per operationem, scilicet, Spiritus Sancti in membris, per quem « occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi » (Ad Ephes. IV, 11-13). « Per fidem enim ambulamus et non per speciem »; « accedentem, autem, ad Deum oportet credere », quia « sine fide non est possibile placere Deo ». — Unde, error in fidei rebus destrueret hanc ad Deum viam et unionem, atque totum Christi corpus mysticum corrumperet. Et sic opus Dei per Incarnationem Verbi et Sanguinem Christi acquisitum, frustraretur. — Propterea, Spiritus Sanctus, qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate (Ad Philipp. II, 13), hanc fidem quam

in Ecclesia infusit, nunquam cessat custodire. Qua evigilantia, qua assistentia Ecclesia infallibilis efficitur *de facto* et *de jure*, in rebus fidei et morum, in quibus error amoveret a fine.

Sed, undenam provenit originative hæc infallibilis, absoluteque indefectibilis assistentia? Et quomodo cum libero hominum arbitrio conciliatur? *Respondetur:* ex æterno divinæ providentiæ decreto, quod Pater in Filio et Spiritu Sancto decrevit (I, q. 37, art. 2 ad 3), in quo omnia sunt quasi effectus in causa prima. Scientia, enim, Dei est causa rerum (I, q. 14, art. 8); scientia scilicet *visionis* (cfr. Gredt, *Phil.*, nn. 734 et seqq.); non vero, *simplicis intelligentiæ*, quæ est sola possibilium; sed scientia illa rerum, quæ ex infallibili et efficacissimo, libero Dei æterno decreto sunt, sive necessaria, sive libera et contingentia, cui nemo, testante Sacra Scriptura, resistere potest. Et tamen, mirabili thomistarum doctrina explicante, hoc decretum omnipotens et efficax, ab æterno ordinatum, non solum non destruit libertatem, non solum eam salvat; sed, quod mirum est, ipsam efficit et causat. Nam, « *decretum non est solum ad substantiam rei, sed etiam ad ejus modum*, scilicet libertatem: unde ex hoc quod sit efficax et infallibile nihilque divinæ voluntati resistat, sequitur quod non solum fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter vel necessario, *quia sic Deus vult fieri* » (I, q. 19, art. 8 ad 2). — Billuart: « Similiter S. Anselmus, cujus auctoritate hac in parte abutuntur Molinistæ in *Concordia prædest.*, cap. I, ait: " Quoniam quod Deus vult non potest non esse, si Deus vult voluntatem humanam nulla cogi vel prohiberi necessitate ad volendum, tunc necesse est voluntatem esse liberam et esse quod vult „ » (*De Deo*, Diss. VI, art. 4, par. 2, resp. ad 2am objectionem). — Si Deus, igitur, vult Ecclesiam suam esse infallibilem, oportet ipsam esse talem. Totum, ergo, hujus quæstionis opus in hoc est: demonstrare Christum, qui Deus est, Ecclesiæ suæ assistentiam, qua de facto et de jure infallibilis efficitur, promisisse.

Momentum quæstionis magnum est, ut omnibus patet. Ecclesia Christi, i. e. Romana, ex eo quod infallibilis, sequenda est omnino, sine ulla hæsitatione, sed firmissime, in iis quæ sunt fidei et morum. Sequitur etiam, Ecclesiam esse certissimam arbitram in religionis controversiis, ipsamque unicam Salvationis Arcam.

Adversarii. — I. *Priores Protestantes* duplicem Ecclesiam distinguebant: quarum una invisibilis est et promissionum, quæ propterea est infallibilis; alia vero visibilis et fallibilis, quæ de facto pluries erravit. — Isti protestantes, primis schismatis temporibus, auctoritatem infallibilem agnoscebant in Scripturis Sacris. Paulatim, tamen, hanc sententiam reliquerunt, et infallibilitatem admiserunt in interpretatione Scripturæ privata. — II. *Multi protestantes hodierni*, nullam infallibilem auctoritatem agnoscunt. Ita, v. g.,

recenter certus Dr. Underwood Baptista, scribebat: « Jam dies præteriit quando fides in christianitate ponenda erat in auctoritate, — sive talis auctoritas sit Papa infallibilis, sive infallibilis Scriptura, sive infallibilis Ecclesia » (*Catholic Times*, die 4 Oct. an. 1924, p. 11). — III. *Ecclesia Latior* (*Broad Church*), semirationalistica, in naturalismum, seu modernismum rationalisticum incidit. Ita e. g. Dr. Inge, decanus S. Pauli Londiniensis. — IV. *Conservatores*, seu *Ecclesia Excelsior* (*High Church*), infallibilitatem Ecclesiæ admittunt; sed per Ecclesiam intelligunt Ecclesiam tripartitam: Anglo-Græco-Romanam. — V. *Ecclesia Græca* infallibilitatem conciliorum œcumenicorum admittit, ex Græcis et Latinis conflatorum. Græci, generaliter, Ecclesiam Anglicanam ut hæreticam considerant et tenent. — Omnes negant infallibilitatem Summi Pontificis; de quo postea.

Prænotamen: Infallibilitas distinguenda est a Revelatione, et ab Inspiratione.

Revelatio importat manifestationem veritatis, antea ignotæ; *Inspiratio* est motio Spiritus Sancti ad infallibiliter scribendum vel dictandum; *Infallibilitas* autem est assistentia divina, seu auxilium Dei speciale, quo revelata et infallibiliter conscripta seu dictata, immunia ab errore conservantur, et, ubi opus sit, declarantur.

Ad Articulum responsio est affirmativa et de fide certa. — Cfr. Denz. *Index Systematicus*, p. 4. — *Concilium Vat.:* « Ut autem officio veram fidem amplectendi in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum Unigenitum Ecclesiam instituit, suæque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam *custos et magistra* verbi revelati ab omnibus posset agnosci » (Denz. 1793). Hæc supponunt Ecclesiam a Christo institutam infallibilem esse atque indefectibilem. — Item, Conc. Vat. in Const. *Dei Filius*, cap. IV: « Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi sponsæ tradita, *fideliter custodienda et infallibiliter declaranda* ». Cfr. etiam Denz. nn. 326, 332, 333. Melchior Canus, *ll. theol.*, lib. VI.

Probatur Articulus. — Infallibilitas est assistentia Dei specialis qua Ecclesia in rebus fidei et morum errare nequit. Atqui talis assistentia habetur in Ecclesia. Ergo Ecclesia est infallibilis.

Major est definitio infallibilitatis. — *Minor* probatur multiplici ex capite. *Primo* quidem ex Sacra Scriptura. *Secundo* ex Traditione. Et *ultimo* confirmabitur ex quibusdam dictis circa Christi Ecclesiam, et ex monumentis.

A) Ex Sacra Scriptura triplici ex capite.

I. *Ex Verbis Christi ad Petrum* (Mt. XVI, 18): « Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi

non prævalebunt adversus eam ». Hæc verba indicant inexpugnabilitatem Ecclesiæ. Firma est Ecclesia; sed, in quo nisi in fide? Si enim in fide firma non est, neque ullam firmitatem haberet Ecclesia. Et quia Christus Dominus hanc firmitatem præcipue intendebat, adjunxit « et portæ inferi etc. ». Unde S. Paulus Ecclesiam vocat: « Columna et firmamentum veritatis » (I Tim. III, 15).

II. *Ex promissa Christi assistentia.* — Mt. XXVIII, 18-20: « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis: *et ecce ego vobiscum sum* omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi ». — Hic Christus *tria* facit: declarat potestatem habere; hac potestate mittit discipulos suos etc.; et tertio promittit suam assistentiam continuam usque ad finem mundi. Si autem apostoli (et successores eorum usque ad finem mundi) assistentiam divinam docent, quam maxime firmiter, i. e. infallibiliter docent omnes gentes servare omnia quæcumque ipse mandavit ipsis apostolis. Et ideo S. Paulus adeo certus erat de hac sua infallibilitate, ratione divinæ assistentiæ, ut emphatice diceret: « Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædixi et nunc iterum dico... » (*Gal.* I, v. 8-9). — Et quidem hæc assistentia omnino necessaria erat, qua apostoli infallibiles redderentur. *Primo*, enim, apostoli valde rudes erant, nam piscatores erant, duri et « tardi corde ad credendum ». Sine specialissima Dei assistentia, quomodo tales homines Domini mandata docere poterant? Præsertim (*secundo*) quia hæc Domini jussa valde difficilia erant. Nam, *altissimas* debebant veritates docere; veritates sc. supernaturales. Immo et *omnia* docere debebant quæcumque Dominus mandaverat eis. Insuper (*tertio*), debebant maxima cum auctoritate hæc omnia docere omnes gentes, omnibus imponendo ea ad acceptandum sub maxima pœna damnationis æternæ. « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, *qui non crediderit condemnabitur* » (Mc. XVI, 16). Hæc autem necessitas credendi supponit infallibilitatem apostolorum in doctrinam Domini declarando. Secus enim accidere poterat Dominum imponere ad credendum falsum sub pœna, quidem, damnationis. Hæc esset magna blasphemia!

Unde quia Dominus et ruditatem ignorantiamque apostolorum, necnon difficultates omnes et quidem maximas præ oculis habebat, emphatice eis promisit suam assistentiam, dicens: « *ecce ego vobiscum sum* ». *Ego*, scilicet, qui sum unum cum Patre, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra: cujus verba validiora sunt cœlo et terra; *Ego*, qui sum veritas et vita et via; *Ego*, qui vici mundum, vobiscum sum, ut qui vos audiet me audiet, qui vos spernet, me spernet et quem me misit Patrem, cujus sum Verbum consubstantiale,

per Quem omnia facta sunt, et sine me factum est nihil et nihil potestis facere. Hæc Domini locutio, secundum morem Sacræ Scripturæ, indicat, ex una parte impotentiam illius cui Deus aliquid committit ad exequendum; ex alia parte, vero, indicat Dei specialem providentiam in ista commissione conficienda, ita ut, opus sit Dei magis quam hominis; propterea indicatur certissimus operis exitus. Ita, verbi gratia, in casu Moysis, cum Deus eum vocaret ad liberandum populum de Ægypto: « Dixitque Moyses ad Deum: Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem et educam filios Israel de Ægypto? Qui dixit ei: *Ego ero tecum...* » (*Ex.* III, 12). Similiter in vocatione Abrahæ: « *Eroque tecum* et benedicam tibi » (*Gen.* XXVI, 3). Per Isaiam loquitur Dominus confortans Israel: « Noli timere, quia redemi te et vocavi te nomine tuo; meus es tu. Cum transieris per aquas, *tecum ero*, et flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te; quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israel, salvator tuus etc. » (Is. XLIII, 1 et seqq.). Classicum exemplar habetur in vocatione Jeremiæ prophetæ (I, 4 et seqq.); cum vocatus fuit Jeremia ad ministerium Dei, suam propriam imperitiam et inertiam cognoscens dixit: « A a a Domine Deus! ecce nescio loqui, quia puer ego sum ». Sed hanc insufficientiam replet Dominus auxilio suo, et dicit ei: « Noli dicere: Puer sum; quoniam ad omnia quæ mittam te ibis et universa quæcumque mandavero tibi loqueris. Ne timeas a facie eorum, quia *tecum ego sum* ut eruam te, dicit Dominus ». Item, et in Novo Test. Archangelus Gabriel ingressus ad Mariam protectionem divinam specialem ei promittit dicens: « Ave gratia plena, *Dominus tecum* » (Lc. I, 28). Unde hanc firmissimam et infallibilem Dei protectionem Verba Christi in textu nostro citata indicant. Et revera ita intellexerunt apostoli, quod ex eorum modo agendi, post Ascensionem Domini in Cœlum, patet. Oportet, igitur, concludere in textu nostro assistentiam specialem apostolis Christum promittere ad infallibiliter veritatem Evangelicam declarandam, custodiendamque usque ad finem mundi. Consequenter ECCLESIA CHRISTI, i. e. ROMANA ECCLESIA, INFALLIBILIS EST.

III. *Ex promissa Spiritus Sancti assistentia.* — Scimus ex auctoritate Christi Spiritum Sanctum remanere in Ecclesia usque in æternum, « ut maneat vobiscum in æternum » (Joan. XIV, 16); ad quid? Ad docendum ea omnia et omnem veritatem (*Ille vos docebit omnia*, Joan. XIV, 26; *docebit vos omnem veritatem*, Joan. XVI, 13). — Si quidem Spiritus Sanctus docet Ecclesiam omnem veritatem, ut ipsa quid et quomodo doceat sciat, error Ecclesiæ in rebus fidei et morum redundaret in Spiritum Sanctum. Nam Spiritus Sanctus docet Ecclesiam, i. e. eam illuminat ut cum auctoritate et certitudine doceat omnem veritatem. Et sic Spiritus Sanctus testimonium perhibet de Christo (Joan. XV, 26); ille Christum clarificat (XVI, 14).

Unde Ecclesia, his promissionibus suasa, auctoritatem divinam in se agnoscit, et in nomine Dei, virtute Spiritus Sancti loquitur: « *Visum est enim Spiritui Sancto et nobis* » (Act. Ap. xv, 28).

His, igitur, promissis assistentiæ Christi et Spiritus Sancti vaticinium Isaiæ videtur perfecte verificari: « Spiritus meus, qui est in te, et verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui amodo, et usque in sempiternum » (cap. LIX, 21).

NOTA: Argumenta ex Luca XXII, 31-32, et Joan. XXI, 15-17, quæ inferius exponenda sunt, in tract. *de Primatu Summi Pontificis* quam maxime hanc nostram thesim corroborabunt.

B) EX TRADITIONE: I. *Negative;* II. *Ex Patribus Apostolicis;* III. *Ex aliis Patribus.*

I. *Negative.* — Usque ad tempus schismatum nullus unquam de Ecclesiæ inerrantia dubitaverat, dum, e contra, jam valde nota erat doctrina de necessitate adhærendi Ecclesiæ ad salutem consequendam.

II. *Patres Apostolici.* — *Nota:* In textibus citandis apostolicorum Patrum, præ oculis oportet nos habere: *Primo,* paucitatem operum ipsorum, præsertim tempore persecutionum; *Secundo,* circumstantias in quibus ipsi scribebant et motiva. Nam, quod de infallibilitate dicunt *per transennam* vel implicite nominant. Attamen, etiam in his primis temporibus jam clare patet firmitas et immobilitas in Ecclesiæ doctrina, apud Patres, quibus infallibilitas Ecclesiæ saltem indirecte seu implicite declaratur. Et revera, ut Schultes optime notat (p. 289), Ss. Patres infallibilitatem Ecclesiæ sequentibus principiis enuntiant: 1. Fides Ecclesiæ est simpliciter vera adeoque necessitate salutis tenenda. 2. Ecclesiæ fides est regula fidei ac remedium contra omnes errores. 3. Qui ab Ecclesiæ fide deficiunt, eo ipso a via veritatis aberrant. 4. Ecclesia habet Spiritum Sanctum et Christum tamquam caput: ex quo in fide illuminatur et confirmatur. 5. Ecclesia est indefectibilis. 6. Omnes PP. doctrinam Ecclesiæ tamquam veritatem divinitus revelatam credunt. — In his omnibus infallibilitas in fide manifeste docetur.

In particulari: *S. Clem. Romanus* in Epist. *ad Corinth.* sæpe a nobis citata, pacem et obedientiam inculcat sub pœna peccati: quod certo certius facere non poterat si dubium haberet errandi. *S. Ignatius:* « Ubi fuerit Christus Jesus, ibi Catholica est Ecclesia » (*Ad Ephes.* V). Revera ubi Christus est, ibi error non est, nec esse potest. Item, unionem cum episcopo quam maxime inculcat. Dicit enim: « Quotquot Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo » (*Ad Philad.* III). Sed qui sunt Christi in errore non sunt; ergo etiam illi qui cum episcopo sunt. Item, addit: « Ob id Dominus in capite suo accepit unguentum, ut Ecclesiæ spiret incorruptionem » (*Ad Ephes.* XVI-XVII). *Hermas* in *Pastore,* dicit Ecclesiam « turrim *mo-*

nolitham factam esse cum petra », i. e. Ecclesia firmitatem et veritatem a Christo accipit, ut sit una cum ipso.

III. *Alii Patres: S. Irenæus* beati Polycarpi discipulus, apostolica successione exposita ita prosequitur: « Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum *apostoli* quasi *in depositorium dives, plenissime in eam contulerint* omnia, *quæ sint veritatis, ut* omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt et latrones » (*Adv. hær.* III, 4). Ab eodem, fides in Ecclesia esse dicitur, « semper a Spiritu Dei, quasi in vase bono eximium quoddam depositum juvenescens, et juvenescere faciens ipsum vas, in quo est » (III, 24). Item, *l. c.* « Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei, et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia; Spiritus autem veritas ». Libro V, cap. 20, hæc addit: « Ecclesiæ quidem prædicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur. Huic enim creditum est lumen Dei ». — *Clemens Alexandrinus:* « Homo Dei esse, et Domino fidelis esse desiit, qui adversus ecclesiasticam recalcitravit *traditionem*, et in humanarum hæreseon desiluit opiniones » (*Strom.* VII, 16). — *Origenes:* « Non debemus attendere eis, qui dicunt: ecce Christus, non autem ostendunt eum in Ecclesia; ..... quæ plena est lumine vero, quæ est columna et firmamentum veritatis » (*In Matth.* tract. XX). — *S. Athanasius:* « Sufficit his, dumtaxat verbis ad illa (hæreticorum paradoxa) respondere: Hæc catholicæ Ecclesiæ non sunt » (*Epist. ad Epict.*). — *Tertullianus* Ecclesiæ infallibilitatem non nisi absurde negari docet: « Age nunc - inquit - omnes erraverint... nullam respexerit Spiritus Sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis; neglexerit officium Dei villicus (administrator), Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse (Sp. Sanctus) per apostolos prædicabat » (*De præscr.* cap. XXVII). — *S. Hieronymus* ait: « Poteram omnes propositionum (falsarum) rivulos uno Ecclesiæ sole siccare ». (*C. Lucifer.*, cap. XXVIII). — *S. Augustinus:* « Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra omnes hæreses pugnans; pugnari potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tamquam sarmenta inutilia de vite præcisa; ipsa autem manet in radice sua, in charitate sua » (*De symb. ad Catech.*, Serm. I, 6). — Cfr. De Groot, *l. c.*, p. 292.

Confirmatur ex jam dictis, sc. quod Ecclesia est regnum Christi duraturum usque ad finem mundi; quod finis Ecclesiæ est salus animarum, i. e. missionem Christi certissime continuare; quod Ecclesia est una, sancta, catholica et apostolica; error autem in fide et moribus hæc excluderet. — Insuper, confirmatur ex praxi Ecclesiæ,

quod sc. « quicumque cum Ecclesia Catholica dissentirent, hæretici haberentur ». — Ultimo, confirmatur ex monumentis perantiquæ archæologiæ recenter in lucem latis. Cfr. De Groot, pp. 293, 294.

Hæc omnia quæ hic supra exposuimus, ad memoriam revocandam sequenti schemate proponuntur:

Minor Probatur

Ex Sac. Scriptura
1. Tu es Petrus..., Columna et Firmamentum Veritatis. — Unde Ecclesia est immutabilis et inexpugnabilis in fide.
2. Ex promissa Christi assistentia. — Mt. XXVIII, 18-19: « Ecce *Ego*... (emphaticum). Indicatur: *a*) infallibilitas in fide, *b*) infallibilitas Ecclesiæ, *c*) usque ad finem mundi.
3. Ex promissa Spiritus Sancti assistentia: « Maneat vobiscum in æternum. — Ille vos docebit omnia. — Docebit vos omnem veritatem ».

Ex Traditione
1. *Negative.* — Nunquam Patres dubitaverunt de hac veritate.
2. *Ex Patribus Apostolicis.* — S. Clem., S. Ignatius, Hermas in *Past.* etc.
3. *Alii Patres.*

Confirmatur — Ex jam probatis quod Ecclesia est Regnum Dei, una, sancta, apostolica etc. — Ex praxi Ecclesiæ relate ad hæreticos. — Ex monumentis archæologiæ.

OBJECTIONES

Objectio I. — Quod importat inertiam non est in Ecclesia Christi. Atqui infallibilitas importaret inertiam. Ergo...

Resp.: *Dist. maj.:* Quod importat inertiam *per se*, non est in Ecclesia, *concedo;* quod importat etc. *per abusum*, non est in Ecclesia Christi, *nego.* — Assistentia infallibilitatis ex sese activitatem importat.

Instantia: Atqui infallibilitas *per se* importat inertiam. Ergo stat difficultas. — *Prob. antec.* Quod dat finem dat quietem et inertiam. Atqui infallibilitas dat finem veritatis. Ergo dat pacem et quietem et inertiam.

Resp.: *Dist. majorem:* Quod dat finem dat quietem et inertiam, quantum ad finem, *concedo;* quantum ad omnia quæ ad talem finem ordinantur, *nego. Contradistinguo minorem:* Infallibilitas dat finem veritatis, per modum fidei, *concedo;* cum sacræ doctrinæ scientia, *nego.* — Infallibilitas nobis præstat certitudinem Ecclesiæ non errandi in fide et moribus, non vero excludit studium veritatum, sed ipsum promovet, ut rationabile sit obsequium fidei nostræ.

II. — Ecclesia est libera: Ergo errare potest.

Resp.: Ecclesia est libera et confirmata in veritate, *concedo;* et non confirmata in veritate, *nego.* Seu, Ecclesia est libera potentia antecedente, *concedo;* potentia consequente, *nego.*

Sicut datur confirmatio in bono, ita etiam datur, in casu nostro, confirmatio in veritate. Et hoc scimus ex jam supra dictis in probatione. Ecclesia est libera *potentia antecedente*, i. e. sensu diviso. « Potentia antecedens, ait Billuart, seu possibilitatis respicit objectum præcise secundum se: similiter sensus divisus. *Potentia consequens*, positionis seu futuritionis, respicit objectum ut in re cum suis omnibus circumstantiis: ita et sensus compositus » (*De Incar.*, Diss. XVIII, art. 4). *Potentia consequente* Ecclesia errare nequit. Hæc autem necessitas non errandi, dicitur necessitas consequens. Ista supponit exercitium libertatis nostræ vel formaliter vel æquivalenter, i. e., in aliquo continente illam eminenter, ut est voluntas seu decretum efficax Dei, in quo ceu in primo libero ac radice totius libertatis creatæ et participatæ continetur eminenter libertas humana. Unde necessitas orta ex tali voluntate, sicut orta ex ipsa libertate, non ipsi nocet, diciturque consequens quoad effectum conservandi illæsam libertatem.

Item, distinguimus *conclusionem*, seu *consequens*. Ecclesia errare potest physice, *concedo;* moraliter, *nego.* — I. e., membra Ecclesiæ seorsum considerata, errare possunt, et de facto quædam errant. Collective tamen errare non possunt. Christus enim non individuis assistentiam suam infallibilitatis promisit, sed Ecclesiæ ut sic.

III. — Si Ecclesia est infallibilis, inutilis est Sacra Scriptura. (Ita Dr. Salmon, Anglius).

Resp.: *Nego consequentiam.* Nam infallibilitas non est nova revelatio, ut jam diximus in prænotamine, sed assistentia ad ea certissime tenenda quæ sunt fidei. Scriptura autem et Traditio sunt fontes, seu regulæ fidei *inanimatæ* et *remotæ* (Cfr. De Groot, p. 353). Hæ vero requirunt interpretationem auctoritativam quæ per Ecclesiam habetur. Cfr. *Ecclesia or The Church of Christ*, Burns et Oates, 1906, p. 140 et seqq.

Dubium. — *Utrum Ecclesia urbis Romæ sit infallibilis.*

Certum est quod Ecclesia urbis Romæ centrum totius Ecclesiæ Catholicæ est tamquam tuta regula fidei nostræ. Sed hoc habetur non virtute propria, in quantum Ecclesia urbis Romæ est, sed in quantum est Ecclesia Romani Pontificis, Successoris S. Petri, qui, ut infra dicendum est, est infallibilis. Unde dicere Ecclesiam Romanam, seu urbis Romæ infallibilem non esse, includendo Romanum Pontificem, certo certius esset hæresis.

Articulus IV.

UTRUM ECCLESIA DOCENS SIT INFALLIBILITATIS ACTIVÆ SUBJECTUM

Status et sensus quæstionis. — Statuimus quod Ecclesia, generatim sumpta, est infallibilis. Nunc autem quæritur an Ecclesia docens, sc. Summus Pontifex, ex cathedra loquens, Concilia Œcumenica et Collegium Episcoporum universale, sit proprium subjectum infallibilitatis. Attamen, quæstio adhuc generalis est, et proprie hic quærimus: utrum episcopatus, Summo Pontifici unitus et subjectus, per totum orbem dispersus sit infallibilis in docendo ea quæ ad credendum et ad faciendum necessaria sunt ad vitam æternam consequendam. Agitur de infallibilitate *magisterii ordinarii Ecclesiæ.*

Momentum quæstionis colligitur ex *Sententia Adversariorum*, qui « *theoriæ conciliatrici* » faventes, totam Ecclesiæ auctoritatem ponebant in Ecclesia passiva; a qua Ecclesia activa, secundum ipsos, habebat jus et officium *ministerialiter* tantum. Ita Ludovicus Bavarus, Card. Zabarella, Ockam et alii multi. Ockam etiam negavit infallibilitatem Summi Pontificis, sed postea resipuit. Hodierni autem qui hierarchiam negant divinitus esse institutam et immediate, infallibilitatem activam, si aliquam admittunt, nonnisi secundario et mediate ponunt in Ecclesia docente.

Ad Articulum responsio est *affirmativa* et de fide. Concilium Vaticanum Sess. III, cap. 3: « Fide divina et Catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive Solemni Judicio sive *Ordinario et Universali magisterio* tamquam divinitus credenda proponuntur ».

Probatur Art. sic, breviter:

1º Ecclesia discens audire debet Ecclesiam docentem. Ergo infallibilitas primo est in Ecclesia activa. *Antecedens* probatur: *a*) Ex verbis Christi: Qui vos *audit, me audit; b*) Ex constitutione hierarchica Ecclesiæ; *c*) Ex magisterio Ecclesiæ, de quo postea.

2º Ex eo quod promissiones Christi factæ sunt apostolis, successoribusque ipsorum.

3º Ex eo quod Ecclesia activa magis appropinquat principio infallibilitatis. Ergo « magis participat effectum illius principii » ut ait S. Thomas (P. III, q. 27, art. 5).

OBJECTIONES

Objectio I. — Ecclesia docens infallibilis non erit, si omnes apostoli erraverint. At erraverunt omnes; nam Christus mox ad Patrem rediturus *undecim apparuit: et exprobravit incredulitatem eorum et*

duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Mc. XVI, 14.

Resp.: *Dist. maj.:* Si apostoli in docendo erraverint post adventum Sp. Sancti, *conc.;* ante adventum, *nego.* Et hoc responso omnes id genus objectiones solvuntur. Audiatur S. Thomas: (discipuli) « quamvis prius Spiritum Sanctum habuissent in munere gratiæ, quo perficiebantur ad ea quæ ad singulas personas eorum pertinebant, tamen in die etiam Pentecostes susceperunt Spiritum Sanctum, sed in munere gratiæ quo *perficiebantur ad promulgationem fidei in salutem aliorum* ». In IV Sent. dist. 7, q. 1, art. 2, 2.

II. — Infallibilitas moram nullam laboremve in definiendo requirit. Atqui maxima sæpe mora et Ecclesiæ labor in docendo conspicitur, velut in definienda Immaculata Conceptione et infallibilitate Pontificis. Ergo in Ecclesia docente non adest infallibilitas.

Resp.: *Dist. maj.:* Nullam moram etc. requirit infallibilitas revelationis, *conc.;* infallibilitas assistentiæ, *subdistinguo:* si hæc sit ad modum divinum, *conc.;* si vero ad modum humanum, *nego.*


III. — Si labor in investigandam veritatem requiritur, in quæstionem vocari potest, utrum Ecclesia docens ea, qua opus est, diligentia in definiendo usa sit. Ex hac igitur parte incerta erit Ecclesiæ auctoritas.

Resp.: *Dist. antec.:* id in dubium vocari potest ratione habita infirmitatis humanæ, *conc.;* divinæ Providentiæ, *nego.*

QUÆSTIO VIII.

De objecto infallibilitatis.

Agitur nunc de extensione infallibilitatis, i. e. respondetur ad quæstionem: hæc assistentia divina infallibilitatis ad quod proprie se extendit? quinam sunt limites Ecclesiæ infallibilitatis? — Objectum infallibilitatis sequenti schemate proponitur:



Articulus I.

UTRUM INFALLIBILITATIS OBJECTUM SINT OMNIA IMMEDIATE REVELATA

Status et sensus quæstionis. — Posito Ecclesiam infallibilem esse, quæritur utrum assistentia divina Spiritus Sancti qua Ecclesia expers est erroris, se extendat ad hoc ut ipsa possit infallibiliter declarare quænam sint veritates a Deo nobis revelatæ, quænam non. Item, quæritur utrum Ecclesia, sive activa sive passiva, possit errare, vel deficere in retinendo, seu credendo, docendo, ea quæ revelata sunt immediate atque in Scripturis Sacris et in Traditione servata. Immediate revelata constituunt *objectum* infallibilitatis *primarium*.

Momentum quæstionis non est negligendum. Nam, ex hac quæstione sequeretur quod per Ecclesiam certissimi sumus de veritatibus credendis. Quapropter Ecclesia Romana in unitate firmatur, et ab illa confusione aliarum Ecclesiarum falsarum tuetur.

Adversarii. — Quidam contendunt Ecclesiam esse infallibilem fidei regulam non quoad *omnia* immediate revelata, sed quoad *aliqua tantum* quæ, ut aiunt, sunt fundamentalia religionis Christi. Ita quidam Anglicani. Alii, uti *Gunther*, docuerunt, ut De Groot refert, Ecclesiam infallibilem esse *in proponendo* aliquam fidei veritatem, e. g. quod Summus Pontifex sit infallibilis, non vero in docendo hanc veritatem. Mysteria enim, dicit Gunther, possunt *positive* demonstrari; quamvis remaneant mysteria quantum *ad modum productionis suæ*. Cfr. Marx, *H. E.*, ed. Ital. p. 655. — Garrigou-Lagrange, *De Rev.*, I p., cap. VII, part. III: « Semirationalismus differt a rationalismo absoluto, prout admittit factum Revelationis divinæ proprie dictæ, sed cum eo convenit, prout sustinet omnia mysteria revelata *posse demonstrari* ex principiis rationis naturalis, ac proinde nullum esse necessarium credendum propter auctoritatem Dei revelantis. Sic servaretur autonomia rationis ». — Hæc doctrina semirationalistica damnata est in Concilio Vaticano. Denz. 1816. Sententia modernistarum damnatur. Denz. 2001.

Prænotamina: 1. Aliqua veritas fidei dicitur *immediate* seu *formaliter* revelata, quando directe et immediate a Deo revelatur; seu, ut recte ait De Groot, quando est *in se revelata*, i. e. quæ non deducitur ex aliis revelatis, sed est ipsamet a Deo revelata, ut est mysterium Trinitatis, Incarnationis et alia hujusmodi. — *Mediate* seu *virtualiter* revelatæ sunt illæ quæ continentur in aliqua veritate formaliter et immediate, uti effectus in causa, vel ut proprietas in essentia, vel aliter, atque certissime ab eo deducuntur. —

Ita, v. g., risibilitas Christi non est immediate et formaliter revelata, quia nullibi habetur in verbo Dei scripto vel tradito et immediate revelato; est tamen virtualiter et mediate revelata; quia per discursum naturalem deducitur ex hoc immediate revelato: « Christus est homo », tamquam proprietas ex essentia. Cfr. Bill., *Diss. procæm.*, a. V.

2. Conclusio (seu veritas fidei) potest virtualiter contineri in præmissis dupliciter: *a*) ratione *connexionis naturalis*, hoc est, ut proprietas in essentia, vel ut effectus in causa, sicut in exemplo citato. Hæc conclusio quæ per *discursum proprium* deducitur, dicitur « *quoad se* » seu « *illativa* »; *b*) vel ut implicitum in explicito, terminis æquivalentibus expressum, v. g. si dicas: « Christus pro omnibus mortuus est » — « ergo mortuus est etiam pro me ». Hæc conclusio, quæ per discursum improprium deducitur, vocatur conclusio « *quoad nos* » vel « *explicativa* ». « Hujusmodi conclusio, ait Billuart, non est proprie et stricte conclusio, quæ a notioribus ad minus nota debet procedere; sed est potius *explicatio* significationis præmissarum, estque *immediate revelata*, et ideo certa certitudine fidei et ad fidem pertinet » (*l. c.*, art. VII).

3. Sub nomine « *omnia immediate revelata* » intelligimus: *a*) Objectum *proprium* fidei, et objectum *commune*. Objectum proprium fidei sunt veritates supernaturales. Objectum commune sunt veritates, quæ naturali etiam lumine rationis, etsi præterea revelatæ sunt, ab homine cognoscuntur. « Necessarium est homini, ait S. Thomas, accipere per modum fidei non solum ea quæ sunt supra rationem, sed etiam ea quæ per rationem cognosci possunt... » (II-II, q. 2, art. IV). — *b*) *Principaliter intentum*, ut Divinitas Christi; et *ad principaliorum manifestationem ordinatum*, ut sunt miracula Christi (II-II, q. 1, art. 6. ad 1). — *c*) *Per se*, i. e. per quod homo beatus efficitur, et *per acc.*, cetera quæ in Sacra Scriptura narrantur, sicut quod Abraham habuit duos filios (II-II, q. 2, a. 5). — *d*) *Directe* et *indirecte:* « ad fidem - Angelicus ait - pertinet aliquid dupliciter: uno modo directe, sicut ea quæ nobis sunt principaliter divinitus tradita, ut Deum esse trinum et unum... Indirecte vero ad fidem pertinent ea ex *quibus negatis* consequitur aliquid contrarium fidei » (I, q. 32, art. 4).

Ad Articulum responsio est *affirmativa* et quidem de fide. Conc. Vat. apud Denz. 1788, 1792.

Probatur Articulus. — Arg. I. Ecclesia infallibilis est circa objectum fidei. Atqui *omnia* immediate revelata sunt objectum fidei. Ergo Ecclesia est infallibilis circa omnia immediate revelata.

Major patet ex quæstione præcedenti. *Minor* etiam patet ex hoc quod omnia immediate revelata sunt credenda propter auctoritatem Dei revelantis. — Unde *omnia* immediate revelata sunt objectum infallibilitatis.

Arg. II. Ecclesia Apostolica infallibiliter conservare et declarare oportet, quando opus est, ea omnia quæ apostoli ipsi tradiderant. Atqui apostoli Ecclesiæ tradiderunt omnia immediate eis revelata. Ergo...

Major constat ex hoc quod Ecclesia Apostolica retinere et docere oportet apostolorum doctrinam, secus enim apostolica non esset. *Minor* ex verbis Christi confirmatur: « Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare *omnia quæcumque* mandavi vobis » (Mt. XXVIII, 20). Item: « Spiritus Sanctus vos docebit *omnia* quæcumque dixero vobis » (Joan. XIV, 26). Item, « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos *omnem veritatem* » (XVI, 13). S. Paulus certissimus erat quod errare non poterat in tradendo Ecclesiæ has veritates: « Licet nos, aut angelus de cœlo etc. » (Gal. I). Ergo Ecclesia infallibilis est quoad OMNIA revelata, et non quoad fundamentalia, ut adversarii dicunt, dumtaxat.

Arg. III. Infallibilitas in revelatis aut tota est aut nulla. Atqui non est nulla, quia Ecclesia est infallibilis. Ergo est tota.

Major patet ex hoc quod si infallibilitas se extenderet non ad omnes veritates revelatas, sed ad quasdam tantum; tunc maxima incertitudo haberetur circa objectum fidei. Atqui infallibilitas incerta non est infallibilitas, est enim contradictio in terminis. Ergo non potest dari infallibilitas circa aliquas fidei veritates tantum. Ergo infallibilitas est tota.

Confirmatur *ex Traditione.* Nam *a*) Patres *unam fidem* simpliciter tenendam, cum S. Paulo docent. Unitas fidei postulat infallibilitatem circa *omnia* revelata; *b*) Patres nullo modo coarctant objectum infallibilitatis. Ad rem apte et apposite scripsit *Irenæus:* « Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum apostoli, quasi *in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia,* quæ sint veritates, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt et latrones » (cfr. *Adv. Hæreses,* III, 4); *c*) Ecclesia semper et cum certitudine omnes hæreses damnaverat. Hoc autem facere minime poterat quin maximam certitudinem habuisset circa objectum fidei, præsertim primarium.

OBJECTIONES

Objectio I. — Vocabulum « *omnia* » sensu latiori quandoque usurpatur. Ergo non repugnat, Christum vocem sensu latiori adhibuisse locis prolatis Mt. XXVIII, Joan. XIV et XVI.

Resp.: *Transeat antec. — nego consequens.* — Etenim Sacræ Scripturæ locis, qui huc spectant, sensus latior ex nullis adjunctis assignari potest. Præterea, truncata infallibilitas tam ridicula quam

inanis est; *ridicula*, quoniam nihil est, quod Spiritus Dei in una aut altera veritate se subducat; *inanis*, quia fallibilis infallibilitas absurda est. Ita De Groot, et optime quidem.

II. — Quædam a posterioribus tamquam revelata creduntur, quæ prius non credebantur. Ergo quædam revelata ab Ecclesia aut ignorata aut conficta sunt.

Resp.: *Dist. antec.:* quæ prius non credebantur ab aliquibus Ecclesiæ membris, *conc.;* ab Ecclesia simpliciter, *subdistinguo:* non tam explicite, *conc.;* non implicite, *nego.*

III. — Infallibilitas se extendit ad ea quæ necesse est credere ad vitam æternam consequendam. Atqui hæc paucissima sunt. Dicit enim Christus: « Hæc est autem vita æterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum » (Joan. XVII, 3). Ergo infallibilitas se extendit ad paucissimas veritates.

Resp.: *Dist. majorem:* Infallibilitas se extendit ad ea quæ necesse est credere ab Ecclesia *moraliter* seu *collective sumpta, conc.; physice* seu quoad individuos sumpta, *nego.* Contradistinguo *minorem:* hæc sunt pauca absolute considerata, i. e. pro individuis quibusdam, *conc.;* hypothetice, i. e. si multa cognoscere possunt, *nego.*

Explico: Absolute loquendo, ad vitam æternam consequendam, sufficit explicite credere in Deum et in Jesum Christum, cetera vero credere implicite. « Discrimen tamen est inter fideles aliquos et inter Ecclesiam; namque fideles singuli sibi provident, Ecclesiæ vero omnibus omnium temporum providendi grande munus demandatum est ». Item, verba et promissiones Christi non sunt ad explicationem arbitrariam adversariorum coarctanda; assistentia autem Christi et Spiritus Sancti ad OMNEM VERITATEM recte docendam ordinatur.

ARTICULUS II.

UTRUM CONCLUSIONES THEOLOGICÆ SINT INFALLIBILITATIS OBJECTUM

Status et sensus quæstionis. — Incipimus hic tractare de his quæ connexionem habent cum veritatibus immediate seu formaliter revelatis. Conclusio theologica illa est (generaliter considerata) *quæ per proprium discursum infertur ex una aut duabus præmissis formaliter et immediate revelatis.* Quid intelligimus per discursum proprium jam supra diximus. Sensus quæstionis non est utrum Ecclesia sit infallibilis in judicando argumentationem syllogisticam, qua conclusio deducitur; sed quæritur an infallibilitas se extendat ad *veritatem* quæ est in conclusione theologica. Conclusiones enim theolo-

gicæ sunt objectum infallibilitatis non ratione argumentationis, seu discursus illativi, sed « *propter novam manifestationem revelationis antea factæ* ». Cfr. Joan. a S. Thoma, *Cursus Theol.*, q. I, disp. I, art. 4; Billuart, *l. c.*; De Groot, p. 311. — Unde dicimus: Conclusio theologica non formaliter et reduplicative ut talis est de fide, sed specificative et materialiter sumpta potest esse de fide, si nempe aliunde sit immediate revelata. Cfr. Billuart, *Diss. procem.*, art. VII.

Momentum quæstionis. — In hoc et in sequentibus articulis hujus quæstionis, momentum grave est. Indicatur enim quomodo Ecclesia jus habet decernendi infallibiliter ea quæ connexionem habent cum immediate revelatis. De quo jure si dubitamus, maxima inconvenientia haberetur.

Prænotanda: Distinguendum est inter conclusionem theologicam et veritatem ipsius conclusionis. Si præmissæ sunt duæ veritates immediate revelatæ, *conclusio* dicitur *formaliter* theologica; *veritas conclusionis* autem, ut talis, dicitur revelata sed non formaliter et immediate; tamen dicitur specificative vel etiam formaliter-implicite revelata [1]. Si vero ex præmissis una tantum est revelata, alia autem naturalis et certissima, conclusio dicitur theologica *simpliciter;* dum veritas conclusionis dicitur virtualiter revelata. Item, conclusio illata ex duabus præmissis *mediate tantum revelatis*, dicitur pariter theologica, et veritas conclusionis virtualiter revelata. Unde,

Conclusio theologica potest esse	1. Ex duabus præmissis immediate revelatis	tunc conclusio dicitur formaliter theologica, veritas conclusionis dicitur specifice seu formaliter implicite revelata.
	2. Ex una præmissa immediate revelata et alia naturali	conclusio dicitur simpliciter theologica, veritas conclusionis dicitur virtualiter revelata.
	3. Ex præmissis mediate tantum revelatis.	

Ad Articulum respondetur *affirmative*, et secundum prædicta, *videtur* esse de fide. Theologi tamen non conveniunt in hac re: quidam dicunt sententiam contrariam esse hæreticam, alii erroneam, alii hæresi proximam; omnes tamen fatentur gravem errorem esse contrarium dicere. Propterea, qui contrariam sententiam tenent immunes non sunt a *temeritatis* nota.

---

[1] Alii uti P. Garrigou-Lagrange (*De Rev.*, ed. I, p. 18) et Schultes (p. 300), formaliter implicite revelatam vocant conclusionem illatam per discursum explicativum. « Hujusmodi autem conclusio, ait Billuart (*l. c.*), non est proprie et stricte conclusio, quæ a notioribus ad minus nota debet procedere, sed est potius explicatio significationis præmissarum, estque *immediate revelata*, et ideo certa certitudine fidei et ad fidem pertinet ».

Probatur Articulus. — Infallibilitas Ecclesiæ sufficienter se extendit ad omnia formaliter revelata cognoscenda, custodienda, explicanda. Atqui conclusiones theologicæ sunt explicationes veritatum immediate revelatarum. Ergo infallibilitas Ecclesiæ debet se extendere ad conclusiones theologicas. — Secus enim Ecclesia non sufficienter cognosceret, judicaret, custodiret, explicaret ubi et quando oportet, veritates immediate revelatas. Et sic, in casu, infallibilitatis, auctoritas Ecclesiæ coarctaretur, adeo ut, circa multa necessaria ad salutem Ecclesia nequiret cum certitudine et sine timore errandi, docere fideles circa mysteria revelata, nec posset falsas doctrinas omnes damnare.

Aliud Argumentum. — Coarctatio extensionis infallibilitatis quoad conclusiones theologicas conciliari nequit cum missione apostolorum docendi *omnes gentes* OMNEM *veritatem.* Atqui eadem est missio Ecclesiæ. Ergo coarctatio etc. conciliari nequit cum missione Ecclesiæ. — Frustra enim diceret S. Paulus Timotheo: « depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ... » I Tim. VI, 20 [1].

Dices: Ergo Timotheus erat etiam infallibilis?

Resp.: His verbis ad Tim., S. Paulus indicat *munus* episcoporum; quod « a fortiori » est munus Ecclesiæ. Infallibilitas vero non est promissa singulis episcopis, sed Petro et Ecclesiæ.

Dices: Apostoli poterant alios infallibiliter docere quia habebant lumen revelationis. Atqui post apostolos terminata fuit revelatio. Ergo falsum arg.

Resp.: Dist. maj.: Apostoli habebant lumen revelationis, ad novum revelandum, *conc.;* ad jam antea revelatum infallibiliter explicandum, *subdistinguo:* concomitanter, *concedo* seu transeat; necessario, *nego.*

Jam supra distinximus inter Revelationem et Infallibilitatem. Ecclesia declarat aliquid esse de fide, non per novam revelationem; sed « per novam manifestationem revelationis antea factæ ». In declaratione dogmatis, igitur, Ecclesia talem veritatem esse revelatam declarat. Secundum hunc sensum ergo interpretanda sunt verba

---

[1] Hæc nostra argumenta confirmantur tum ex doctrina Ecclesiæ communi, tum ex praxi Ecclesiæ. Etenim, Conc. Vat., in Const. Dogmatica *Dei Filius*, cap. IV ait: « Ecclesia, quæ una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus habet etiam et officium falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam. Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quæ fidei doctrinæ contrariæ esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatæ fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiæ conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem præ se ferant, habere tenentur omnino ». — Similia verba habentur in Encycl. *Sapientiæ Christianæ*, Leonis XIII. Accedit etiam consensus omnium theologorum et praxis Ecclesiæ, quæ sc. pluries conclusiones theologicas adversariorum falsas damnavit. Ita v. g. Conc. Constantiense contra Wicleff, Pius V contra Baium, Clemens XI contra Quesnell, Pius VI contra errores Pistoriensium et Jansenistarum.

S. Thomæ: « Explicatio credendorum fit per revelationem divinam. Credibilia enim naturalem rationem excedunt » (II-II, q. 2, art. 6).

Dices: Veritates conclusionum theologicarum (nisi sint aliunde revelatæ æquivalenter in Sac. Scriptura vel in traditione) non definiuntur ab Ecclesia. Ergo Ecclesia non est infallibilis circa conclusiones theologicas.

Resp.: Ratio hujus est quia tales conclusiones *per se* pertinent ad theologiam et non ad fidem. Attamen Ecclesia infallibiliter declarare potest an hæ veritates sint *conformes*, vel *repugnent* revelatis. Et in hoc est necessitas infallibilitatis Ecclesiæ circa conclusiones theologicas. — Ecclesia vero nunquam definit et nequit definire conclusiones theologicas, in se spectatas, et formaliter ut tales; quia istæ conclusiones habentur vi luminis revelationis virtualis (lumine theologico), et non vi luminis revelationis formalis (cfr. Garrigou-Lagrange, *De Rev.* Vol. I, p. 18, 19 ed. 1ª).

Dices: Si Ecclesia potest declarare tales conclusiones esse contrarias vel conformes fidei, quare non potest declarare eas esse de fide?

Resp.: Quia Ecclesia declarat conclusiones esse contrarias fidei, vi luminis revelationis formalis; non quidem positive, sicut cognoscit veritates fidei, sed *negative*, sive indirecte: contrariorum enim eadem est ratio. Et sicut Ecclesia cognoscit quod est sibi contrarium, ita etiam cognoscit quod est sibi conforme.

Dubium : *Utrum conclusiones theologicæ metaphysice certæ ex præmissis revelatis deductæ, sint definibiles, in quantum conclusiones.*

Affirmat P. F. Marin-Sola O. P. (*L'Evolution homogène du Dogme Catholique*). Negat P. Schultes (*Historia Dogmatum*, et *De Ecclesia*, p. 632 et seqq.). Ratio P. Marin-Sola principalis est, quia conclusiones metaphysice certæ implicite-formaliter includuntur in præmissis revelatis. Secus enim, dicit, metaphysice certum posset esse etiam falsum, quod esset negatio principii contradictionis.

Sed nobis videtur, cum P. Schultes, et P. Billuart (*l. c.*), tales conclusiones, quarum prædicatum includitur in notione propria subjecti (in præmissis), quamvis sint veræ conclusiones, tamen sunt *explicativæ*, et non illativæ proprie et stricte loquendo, « quæ a notioribus ad minus nota debent procedere ». Istæ sunt potius explicationes significationis præmissarum, suntque *immediate revelatæ*, et ideo definibiles. — Sensus, igitur, distinctionis, ait Schultes (p. 309, *nota* 1), non est quod in syllogismo improprio vel explicativo minus vere syllogismo logico utamur, sed quod in syllogismo improprio tantummodo doctrina in se revelata exponitur, aliis conceptibus exprimitur et cognoscitur; in syllogismo vero proprio sequela doctrinæ revelatæ deducitur. — Unde Salmanticenses optime

notant: (Discursus improprius) « quasi in eodem puncto persistens, tantum explicat in consequenti quod in præmissis non ita perspicue significatum, habeatur. Ob idque illius consequentia non dicitur illativa et probativa sed tantum explicativa » (*De Fide*, disp. I, dub. IV, n. 122).

ARTICULUS III.

UTRUM FACTA DOGMATICA SINT INFALLIBILITATIS OBJECTUM [1]

Status et sensus quæstionis. — Statuimus Ecclesiam infallibilem esse in discernendo, custodiendo, declarando et docendo revelatas veritates, et in reprobando illas quæ cum veritatibus revelatis pugnant. Quæstio nunc est: « utrum infallibilitas Ecclesiæ se extendat non tantum ad discernendum, declarandum etc. an aliqua propositio vera sit vel falsa, sed etiam in declarando librum vel verba *in quibus* ista propositio invenitur. Sensus quæstionis tamen non est utrum Ecclesia sit infallibilis quoad discernendum auctorem libri, vel ejus sensum subjectivum, privatum et mere internum; sed quæstio est utrum Ecclesia infallibiliter cognoscere possit sensum libri, an sit verum vel falsum, quoad ea quæ pertinent ad salutem æternam. Hoc est factum dogmaticum de quo est sermo, et definitur: « *Factum in quo exprimitur doctrina; seu factum connexum cum jure doctrinæ* ». Factum dogmaticum duo comprehendit: 1) jus Ecclesiæ infallibiliter declarandi an aliqua sententia sit vera vel falsa (*quæstio juris*); 2) jus Ecclesiæ infallibiliter declarandi, utrum talis verborum formula, seu talis liber hujusmodi sententiam contineat (*quæstio facti*).

NOTA: Præter hoc factum dogmaticum alia facta sunt: 1) particularia seu personalia, uti de possessionibus, de criminibus alicujus personæ. Et circa ista Ecclesia non est infallibilis; 2) facta dogmatica generalia quæ totam Ecclesiam respiciunt, e. g. canonizatio sanctorum; de qua postea.

Momentum quæstionis non est negligendum. Si enim Ecclesia de factis dogmaticis non est infallibilis, infallibilitas Ecclesiæ esset tantum quid theoreticum, et non practicum. Infallibilitas Ecclesiæ esset inanis et vana; immo et ridicula; quia ridiculum esset Ecclesiam posse declarare aliquam sententiam esse falsam, quin posset discernere cum certitudine *ubi* talis sententia contineri.

Adversarii: *Jansenius* (1585-1638) et jansenistæ, uti Antonius Arnauld, Pascal, Quesnell et alii, conati sunt dicere Ecclesiam esse infallibilem in declarando aliquam sententiam esse veram vel fal-

---

[1] De his multa habentur apud Billuart, *De Reg. Fidei*, D. III, art. VII.

sam, non vero in discernendo *ubi* hujusmodi sententia contineri. — « (Isti) interposuerunt discrimen *sensus quis* et *sensus qualis*. Sensus *quis* seu *grammaticalis* est naturalis alicujus propositionis significatio; sensus *qualis* est propositionis qualitas, v. g. veritas, falsitas. Jam, vero, Ecclesia in primo genere, non in altero (dicunt) errare potest ». — Sed vana est hæc distinctio, quia si Ecclesia sensum naturalem verborum nequit infallibiliter intelligere et discernere, nec potest dijudicare de veritate vel falsitate sententiæ. Nam assistentia Spiritus Sancti recipitur in Ecclesia ad modum ipsius Ecclesiæ; propterea antequam aliquid definit omnia rigorose examinat.

Ad historiam quod attinet, cfr. Marx, *H. E.* pp. 553 et seqq. edit. Ital.

Ad Articulum respondetur *affirmative*. — Thesis est theologice certa. Qui eam negaverit sine dubio temerarius erit. Quidam theologi tenent sententiam contrariam hæreticam esse, ita Bannez. — Per Constitutionem Clementis XI « *Vineam Domini Sabaoth* », omnes fideles tenentur sincere credere, et cum Ecclesia damnare librum Jansenii, quia vere et certissime continet illas quinque famosas proscriptas propositiones. — Item, recte notat Billuart: « Nec quidquam obstat, ait, quominus Deus concedat Ecclesiæ infallibilitatem circa non revelata, quando sunt necessaria communi fidelium saluti » (*De Reg. Fidei* Diss. III, art. 5, in resp. ad 2am objectionem).

Probatur Articulus. — I. Infallibilitas circa facta dogmatica est infallibile judicium circa *signa* quibus mens exprimitur. Atqui necesse est Ecclesiam habere hoc infallibile judicium circa signa. Ergo Ecclesia est infallibilis circa facta dogmatica. —*Minor* probatur: *a*) *ex natura docendi*. Veritas enim proponitur aliis non verbo mentis sed oris; — *b*) *ex impossibilitate doctrinam orthodoxam infallibiliter proponendi*. Posset enim Ecclesia fidelibus propositionem hæreticam tamquam orthodoxam ad credendum imponere; — *c*) *ex impossibilitate propositiones heterodoxas infallibiliter rejiciendi*.

II. — Ecclesia est infallibilis *in munere docendi*. Atqui in hoc munere includuntur facta dogmatica. Ergo... — *Minor* probatur *ex Sacra Scriptura*. Ita S. Paulus ad Timotheum: « O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates » (I Tim. VI, 20). Item: « Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide... bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis » (II Tim. I, 13, 14). — Cfr. etiam II Tim. II, 16, 17. Item, S. Paulus ad superiores Ecclesiæ Ephesinæ dixit: « Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quid vigilate » (Act. Ap. XX, 30, 31). Et ad Ephesios V, 6: « Nemo vos seducat inanibus verbis ».

III. — *Ex Traditione Ecclesiæ.* Ecclesia semper tenuit facta dogmatica subjecta esse suo judicio. Ideo per Concilium Nicænum librum Arii (*Thalia*) damnavit. Ephesinum autem Nestorii scripta, et Const. II tria famosa capitula damnaverunt. Et ita semper fecit Ecclesia et facit. Immo Concilium Tridentinum de hac auctoritate circa facta dogmatica ita infallibiliter certum erat quod non dubitavit asserere: « Si quis dixerit canonem Missæ *continere* errores, ideoque abrogandum esse, A. S. » (Sess. XXII, can. 6). Et Conc. Lat. IV, declaravit hæreticum esse qui approbaverit aut defenderit doctrinam Abbatis Joachim in suo libello *de Trinitate* expositam. Item Conc. Nicænum verbum *omousios* adhibuit.

OBJECTIONES

Objectio I. — Judicium de sensu alicujus libri pertinet ad grammaticos.

Resp.: Principaliter, *concedo;* exclusive, *nego.* Ecclesia infallibiliter judicat de veritate vel falsitate alicujus libri seu ejus verborum, non in quantum est liber, vel sunt verba, sed in quantum connexionem habent cum fide et moribus, i. e. cum revelatis.

II. — Ecclesia erravit circa *tria capitula* famosa; quia alia erat sententia Conc. Chalcedonensis, alia vero Concilii Constantinopolitani II. (Ad historiam cfr. Marx, *H. E.*, ed. Ital. p. 143.)

Resp.: Conc. Chalced. tria capitula prudenter omisit, quæ Conc. Const. II damnavit.

Instantia: Quidam episcopi ipsum Ibam orthodoxum declaraverunt lecta ipsius epistola ad Marin.

Resp.: Declaraverunt Ibam orthodoxum, quia resipuit, *concedo;* item, Patres epistolam Ibæ acceperunt postquam ipse seipsum correxit quoad judicium contra Cyrillum Alexandrinum.

Instantia: Vigilius Papa sibi contradixit quantum ad tria capitula. Tria capitula enim damnavit, et tamen fere in eodem tempore, anno 553 die 14 Maji, decrevit: « intemeratum Patrum in Chalcedone residentium manere judicium », sc. de epistola Ibæ.

Resp.: Erravit, vel sibi contradixit, quantum ad doctrinam, *nego;* quantum ad modum agendi, *transeat.* — De Conc. Chalcedonensi nihil addendum esse Vigilius duxit. Hoc autem fecit ne Concilii auctoritas læsa esse videretur.

Ad amplam explicationem cfr. De Groot, p. 327, vel *H. Ecclesiasticam.*

Articulus IV.

UTRUM INFALLIBILITATIS OBJECTUM SINT RES DISCIPLINARES

Status et sensus quæstionis. — Agitur nunc de certitudine Ecclesiæ in disciplina sua exercenda, præsertim quoad cultum et vitam fidelium. Res disciplinares autem sunt illæ *quæ lege Ecclesiæ positiva ad cultum vitamque christianam dirigendam præscribuntur aut prohibentur.* — Agitur de rebus disciplinaribus generalibus, i. e. quæ pro *tota Ecclesia* præscribuntur. Et quæstio est utrum in disciplinaribus Ecclesia possit aliquid contra fidem vel mores præcipere vel admittere. Non quæritur, vero, an aliqua præscriptio sit *optima* ratione convenientiæ et circumstantiarum. Neque est quæstio quoad factum alicujus festi, e. g. translationis Sacræ Domus Lauretanæ.

Momentum quæstionis haud leve est. Hoc articulo autem videtur quam immerito adversarii insurgunt contra cultum Ecclesiæ externum, eamque vocant « idololatriæ et superstitionis studiosam ».

Adversarii hujus articuli sunt *Iconoclastæ*, pseudo-reformatores, præsertim Calvinistæ, Modernistæ et Rationalistæ et omnes qui cultum Ecclesiæ et leges ecclesiasticas impugnant.

Ad Articulum respondetur affirmative, et secundum explicationem datam, est etiam saltem theologice certa, immo sententia contraria est hæresi proxima. Concilium Romanum enim, anno 862 cel., decrevit: « Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholica fide, pro *ecclesiastica disciplina*, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum vel interdictione imminentium vel futurorum malorum a Sedis Apostolicæ præside salubriter promulgata contempserit, A. S. » (Denz. 326). — Item, Conc. Trid. Sess. XXII, can. 7: « Si quis dixerit cæremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis quam officia pietatis: A. S. » (Denz. 954). Præterea,

Probatur Articulus. — **Arg. I.** Ecclesia in determinando suæ infallibilitatis objecto errare nequit. Nam, nemo hoc objectum determinare potest, præter Ecclesiam, cui objectum soli competit. Si autem Ecclesia fallibilis esset in determinando hoc objecto, inanis esset infallibilitas Ecclesiæ. Atqui Ecclesia in determinando suæ infallibilitatis objecto, res disciplinares inclusit. Ergo...

Minor ex supracitatis auctoritatibus, sc. Concilii Romani et Conc. Tridentini, jam probatur. Sed insuper confirmatur tum aliis Ecclesiæ documentis, uti Bulla « *Auctorem Fidei* », Pii VI, ubi sententia adversariorum damnata est ut: *falsa*, *temeraria*, *scandalosa*,

perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiæ ac Spiritui Dei, quo ipsa regitur, injuriosa, ad minus erronea. Cfr. Denz. 1578, et nn. 1569 et seqq. — tum auctoritate Patrum et Doctorum Ecclesiæ, uti S. Augustini, qui ait: « Ecclesia Dei... quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit » (Epist. 169, *ad Januar.*); et S. Thomæ Aquinatis dicentis « ... Ecclesiæ consuetudo, quæ errare non potest, utpote Spiritu Sancto ducta » (III, q. 83, art. 5).

De ceteris jam de re disciplinæ tractabat Concilium apostolorum, sc. de prohibitione suffocati, sanguinis et idololatrorum, quando apposuerunt verba: « Visum est enim Spiritui Sancto et nobis... » (Act. Ap. xv, 28).

Arg. II. Error in rebus disciplinaribus, quæ sc. ad cultum pertinent et ad vitam christianam, redundaret contra fidem et mores; item Ecclesia contra juberet ac Christus instituit. Quod est impossibile cum Ecclesia sit infallibilis et indefectibilis. Ergo necesse est quod Ecclesiæ infallibilitas se extendat ad res disciplinares, i. e. ad cultum, ad vitam laicorum et præcipue clericorum dirigendam, ad regimen Ecclesiæ et ad instructionem religiosam et studia philosophico-theologica (cfr. Schultes, p. 320, 321).

Nota: Ex his patet Ecclesiam infallibilem non esse in legibus ferendis *mere disciplinaribus.* Hæ sunt illæ leges quæ substantiam, i. e. fidem et mores non tangunt, vel non sunt universales.

Dubium: *Utrum sit hæreticum asserere, Ecclesiam errare posse in aliqua lege, totam Ecclesiam stricte obligante,* v. g. *quoad legem jejunii.*

Resp.: Affirmat Joan. a S. Thoma: « in eo quod pertinet ad substantiam, et moralitatem legis, inquit, quam Pontifex communiter proponit, quasi regulam morum sequendam, hæresis esset asserere Ecclesiam errare posse... » (Tract. *de Auct. Summi Pont.* diss. III, ad 3). Distinguit vero Mel. Canus inter mores quosdam a Christo et apostolis Ecclesiæ traditos et alios mores, qui sunt post apostolos inducti. Si de illis tantum, non autem de istis, est sermo, hæreticum esset asserere Ecclesiam errare posse; error enim redundaret in Christum et apostolos. — Certum est tamen Ecclesiam in istis legibus ferendis nihil posse contra fidem vel mores obligare, sive directe sive indirecte. Nunc, autem, quando Ecclesia stricte obligat, sub peccato obligat. Unde, evidens est, Ecclesia nequit sub peccato obligare aliquid mali, sive positive sive negative. Consequenter videtur nobis asserere Ecclesiam errare posse i. e., non ratione prudentiæ seu circumstantiarum et temporum, sed ratione morum, esset hæresis indirecta. Si vero judicium fertur circa circumstantias, seu prudentiam Ecclesiæ, esset quidem gravis error et temeritas, sed non hæresis. Tamen in casu, lex jejunii non est proprie moralis.

Articulus V.

UTRUM INFALLIBILITATIS OBJECTUM SIT CANONIZATIO SANCTORUM

Sensus quæstionis. — Quæritur utrum ultimum et definitivum Ecclesiæ judicium de sanctitate alicujus personæ, et de ejus gloria in cœlo, quam propterea fidelibus proponit ad imitandum et colendum, sit infallibile. Canonizatio enim optime definitur a P. De Groot, p. 334: « *Sententia ultima et definitiva, qua Ecclesia aliquem vitam sanctam duxisse et inter cœlites receptum esse declarat, atque omnibus fidelibus colendum et invocandum proponit* ». Judicium Ecclesiæ autem in processu Beatificationis non est ultimum, i. e. definitivum, sed tantum indulgens et permittens.

Momentum quæstionis omnibus evidens apparet, præsertim, ratione habita de critica severissima adversariorum Ecclesiæ.

Adversarii. — Multi enim irrident Ecclesiam, et tamquam phanaticam eam proclamant, quia ipsa sanctos colet. Non raro igitur accidit, quod adversarii contra auctoritatem Ecclesiæ insurgant, reliquias sanctorum profanent, atque cremationem cadaverum instituant.

Prænotamen. — Distinguimus cum Billuart (*l. c.*, Diss. III, art. VIII), duplicem infallibilitatem Ecclesiæ, unam *divinam*, aliam *ecclesiasticam*. Prima est illa quæ versatur circa objectum primarium infallibilitatis, et importat assensum quo a Deo revelata, vera esse credimus *propter auctoritatem Dei revelantis;* alia autem est quæ versatur circa objectum infallibilitatis secundarium, et importat assensum quo judicia infallibilia Ecclesiæ circa connexa cum revelatis credimus, propter auctoritatem infallibilitatis Ecclesiæ. — Unde nos cum majori theologorum parte distinguimus realiter fidem divinam a fide ecclesiastica; differunt enim ratione objecti formalis *quod* et *quo*, et fides ecclesiastica nonnisi reductive et mediate pertinet ad fidem divinam. Alii vero uti Marin-Sola, Gardeil, Schiffini, contrariam sententiam tenent.

Ad Articulum responsio est *affirmativa* sed, utrum sit de fide? Theologi non conveniunt. Quidam, uti Valentia, docent quod veritas hæc sine hæresi negari nequit. Alii, uti Cajetanus, Billuart, Melchior Canus, Benedictus XIV et alii, sententiam contrariam temerariam, scandalosam, impiam, hæresim sapere dicunt, tamen non eam vocant hæreticam. Ita Billuart expresse dicit: « probabilius est non esse de fide quod canonizatus sit sanctus » (*l. c.*). — Et ratio est quia talis veritas non est revelata, scilicet quod ipse homo sit sanctus; et ideo non fide divina credimus, in hoc casu particulari, neque fide

pure humana et fallibili, sed fide ecclesiastica fundata in assistentia Spiritus Sancti. Sic P. Billuart sententiam S. Thomæ interpretat, quæ habetur in *Quodlibeto* 9, art. 16: « Canonizatio sanctorum vero medium est inter hæc duo (sc. inter revelata, circa quæ Ecclesia infallibilis est infallibilitate divina, et inter particularia facta personalia, circa quæ Ecclesia errare potest). Quia tamen honor quem sanctis exhibemus quædam professio fidei est, *qua sanctorum gloriam* credimus, pie credendum est quod nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit ». — Ad objectionem quod fides, qua credimus gloriam sanctorum, est divina, P. Bill. respondit quod res ita se habet quia gloria sanctorum in communi est veritas revelata; non sequitur tamen quod fides de isto particulari canonizato sit divina; quia hoc non est revelatum quod *iste* sit sanctus — P. De Groot non citat Billuart; immo ejus sententiam negat: et videtur inclinari ad sententiam Valentiæ. Dicit enim: « Canonizatio specialis quædam *professio* fidei est » (p. 337). Propterea, error in canonizatione esset saltem indirecte contra fidem. Attamen bene notandum est S. Thomam non dicere *simpliciter* canonizationem esse fidei professionem, sed immediate adjungit: « qua (fide) *sanctorum gloriam credimus* ». Unde non loquitur de professione fidei simpliciter; sed de professione fidei in dogma illud de gloria sanctorum, scilicet *in communi*.

His omnibus perpensis, nostra opinio est, quod Ecclesiæ judicium ultimum in canonizatione alicujus, quantum ad approbationem ejus doctrinæ, morum et vitæ, *omnibus objective spectatis*, est divina infallibilitate certum; quantum vero ad *personam* ipsius sancti, videtur esse certum quoque, sed infallibilitate ecclesiastica tantum. Unde hanc nostram thesim negative potius probamus, sive ex consequentiis, quam positive, ex lumine revelationis.

Probatur Articulus. — Arg. I. Ecclesia infallibilis est in proponendo aliquam morum regulam. Atqui in canonizatione, Ecclesia aliquo modo regulam morum proponit. Ergo... *Minor* patet ex hoc quod per canonizationem Ecclesia sanctum fidelibus proponit ad colendum et imitandum tamquam exemplar vitæ christianæ.

Arg. II. In Ecclesia, optime S. Thomas ait, non potest esse error damnabilis. Ecclesia enim opus Dei est, et a Spiritu Dei regitur. « Sed hic esset error damnabilis, si veneraretur tamquam sanctus qui fuit peccator, quia aliqui scientes peccata ejus, crederent hoc esse falsum; et si ita contingeret, possent ad errorem perduci. Ergo Ecclesia in talibus errare non potest » (S. Th., *l. c.*).

Arg. III. Si Ecclesia in sanctis canonizandis posset errare, totus sanctorum cultus periclitaretur. Quod est maximum inconveniens. Ita De Groot. Immo tota auctoritas Ecclesiæ, quæ cum certitudine judicii in ista materia sese declarat, et quidem magna cum pompa, ad ridiculum reduceretur.

Arg. IV. — « Si fieri posset, ut Ecclesia in sanctorum canonizatione erraret, evenire posset, ut Ecclesia definiente coleretur damnatus, et ut fideles opem ab eo peterent, qui æternis cruciatibus afficeretur. Quod quam Ecclesiæ Dei indignum sit, nemo est qui non videat ». Ita optime De Groot.

OBJECTIONES

Objectio I. — Nemo potest infallibiliter judicare de sanctitate interna alicujus personæ sine revelatione. Atqui in canonizatione sanctorum Ecclesia non habet novam revelationem. Ergo Ecclesia infallibiliter judicare nequit de sanctitate interna alicujus personæ.

Resp.: *Dist. maj.:* Si non adsunt signa et auctoritas divina quæ sunt in Ecclesia, *concedo;* si vero hæc adsunt, *nego.* — *Contradistinguo minorem:* Ecclesia non habet novam revelationem, sed habet signa sufficientia, sc. miracula et testimonia, atque auctoritatem divinam. Nego consequens et consequentia.

Instantia: Atqui hæc signa et testimonia non sunt absolute certa. Ergo... Antecedens est evidens: Nam sunt signa et testimonia ab hominibus per sensus et ratiocinium judicata.

Resp. *Dist. antec.:* Non sunt absolute certa si sine auxilio divino speciali judicantur, *concedo;* si cum hoc auxilio, *nego.* — Hæc autem judicia Ecclesiæ sunt absolute certa propter assistentiam specialem Spiritus Sancti, qui Ecclesiam dirigit, sicut supra diximus.

II. — Sed quæ supra dicta sunt factis negantur. Nam, multi in Ecclesia habentur ut sancti, qui revera non sunt sancti. Ita, v. g., Severus Sulpitius, in vita sancti Martini, narrat latronem pro sancto honorari (Cfr. Bill., *l. c.*, Art. VIII).

Resp.: Coluntur ut sancti in aliqua Ecclesia particulari, *transeat;* in Ecclesia *universali*, nego.

Instantia: Atqui in Ecclesia universali hoc accidit. Ergo...

Martyrologia pro tota Ecclesia promulgantur. Atqui circa sanctos qui ibi nominantur, certitudo absoluta non habetur. Unde aliquando Ecclesia corrigit Martyrologia. Ergo...

Resp.: *Dist. maj.:* Martyrologia proponuntur toti Ecclesiæ, ut noscantur qui in *certis locis* colantur, *concedo;* ut omnes quos referunt colantur ut sancti in tota Ecclesia, *nego.* Et propter hanc historicitatem Ecclesia mutat et corrigit Martyrologia. Tamen, quando error historicus in fidem vel mores nullo modo redundaret, Ecclesiam infallibilem esse in istis rebus, minime affirmamus.

Instantia: Atqui coluntur ut sancti. Ergo stat difficultas.

Probo antec.: Quorum reliquiæ tamquam sanctorum coluntur, coluntur ut sancti. Atqui sunt falsorum sanctorum reliquiæ quæ revera coluntur. Ergo...

Resp.: *Dist. maj.:* Quorum reliquiæ coluntur in aliqua Ecclesia particulari coluntur ut sancti ab ipsa Ecclesia particulari, *concedo;* ab universa Ecclesia, *nego. Contradistinguo min.:* Sunt falsorum sanctorum reliquiæ quæ revera coluntur, in aliqua Ecclesia particulari, *transeat;* in tota Ecclesia, *nego.* Item possumus resp. ad *minorem:* sunt falsorum sanctorum reliquiæ quæ revera coluntur, ut falsorum sanctorum, *nego;* propter errorem, *concedo.*

Disparitas est, ait Billuart, inter cultum reliquiarum et sanctorum ipsorum. Nam, sanctus est objectum directum cultus; dum e contra reliquiarum cultus directe fertur in sanctum qui sit revera sanctus. Ecclesia enim nonnisi in ordine ad sanctos reliquias permittit coli.

Dubium: *Utrum Ecclesia sit infallibilis in* BEATIFICATIONE *servorum Dei.*

Neg., quia in casu hoc Ecclesiæ judicium non est ultimum et definitivum, patet hoc ex decr. Canonizationis. Tamen, considerata Ecclesiæ prudentia, et Dei in istis rebus assistentia, judicium Ecclesiæ est sufficienter certum, adeo ut, negari nequit sine temeritate.

Dices: Non videtur hoc judicium certum esse cum in canonizationis causa omnia de novo examinantur.

Resp.: Hoc facit Ecclesia non quia dubitat de veritate Beatificati; sed, quia in canonizatione ad altiora procedit, majorem prudentiam et cautelam, sicut oportet, adhibet.

NOTA: Ad limitationes cultus Beatorum quod attinet sequentia notanda sunt: — 1. « Ecclesiæ dedicari Beatis nequeunt sine Sedis Apostolicæ indulto » (can. 1168, § 3). — 2. « Altaria Beatis etiam in ecclesiis et oratoriis quibus eorum Officium et Missa concessa sunt, dedicari nequeunt sine Sedis Apostolicæ indulto » (can. 1201, § 4). — 3. « In album Sanctorum canonice relatis cultus duliæ debetur; Sancti coli possunt ubique et quovis actu ejus generis cultus; *Beati* vero non possunt, nisi loco et modo quo Rom. Pont. concesserit » (c. 1277, § 2). — 4. « Beati non constituuntur Patroni, sine peculiari Sedis Apostolicæ indulto » (can. 1278). — 5. « Beatorum reliquiæ, sine peculiari indulto, in processionibus ne circumferantur, neve in ecclesiis exponantur, nisi ubi eorum Officium et Missa celebretur ex Sedis Apostolicæ concessione » (can. 1287, § 3).

ARTICULUS VI.

UTRUM INFALLIBILITATIS OBJECTUM SIT APPROBATIO ORDINUM RELIGIOSORUM

Sensus quæstionis. — Agitur de extensione infallibilitatis Ecclesiæ quoad approbationem ordinum religiosorum. *Ordo religiosus est religio in qua, ex instituto, saltem ab aliquibus sodalibus, emittuntur vota solemnia,* c. 488. Cfr. Fanfani, *De jure Religiosorum,* ed. I, p. 8. — Quæritur utrum judicium Ecclesiæ doctrinale, i. e.

quod aliquis ordo sit secundum perfectionem evangelicam, possit esse falsum. Non quæritur, igitur, de judicio Ecclesiæ prudentiali, quod fertur circa utilitatem ipsius ordinis secundum temporum circumstantias. Item, non quæritur hic de approbatione Congregationum, sed de approbatione ordinum dumtaxat.

Momentum quæstionis est præsertim pro illis qui ordines religiosos amplectuntur. Nam, ex hoc sciunt veram et certissimam sanctitatem acquirere per observantiam regulæ et constitutionum. Valor vero apologeticus ex sententia adversariorum eruitur.

Adversarii sunt Valdenses ceterique præcursores pseudo-reformatorum, necnon ipsi pseudo-reformatores et sequaces eorum, dicentium vota religiosa inventionem diabolicam esse.

Prænotamina: 1. Status religiosus definitur: « Stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, præter communia præcepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiæ, castitatis et paupertatis suscipiunt » (can. 487). — Religio vero est « Societas a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt ». — Si vota sunt solemnia religio dicitur *ordo;* si vero temporaria tantum, religio dicitur *congregatio.*

2. Approbatio ordinum, secundum jus vigens, remanet causa totaliter reservata Summo Pontifici. « Quare nulla est in jure determinata praxis in hujusmodi novis ordinibus, si qui condantur, approbandis ». Cfr. Fanfani, *l. c.*

Ad Articulum responsio est *affirmativa*, et, quoad *judicium doctrinale* Ecclesiæ videtur esse de fide. Nam, 1) Ecclesia damnavit sententiam Wicleff: « Sancti instituentes religiones privatas, sic instituendo, peccaverunt », et alias hujusmodi. Cfr. Denz. nn. 602 et seqq.; 2) Omnes theologi sunt unanimes in hac quæstione.

Probatur Articulus. — Ecclesia infallibilis est in communi doctrina morum, eam approbando, proponendo, explicando etc. Atqui approbatio ordinum pertinet ad communem morum doctrinam. Ergo...

Minor ex hoc patet quod Ecclesia, per approbationem ordinum, eos omnibus proponit ut bonam, immo perfectiorem viam ad evangelicam perfectionem attingendam.

Objectio. — Nonnulli ordines religiosi, ab Ecclesia approbati, deinceps ita prolapsi sunt ut tamquam Ecclesiæ vel noxii vel inutiles abolerentur. Ergo Ecclesia in his approbandis erravit.

Resp.: *Dist. antec.:* Ordines tales prolapsi sunt ob defectum in membris (subjective), *concedo;* ob defectum ordinis (objective), *nego.*

Dubium I. — *Utrum hæc Ecclesiæ infallibilitas se extendat etiam ad approbationem Congregationum.*

Resp.: Si habeatur approbatio apostolica et definitiva, sc. per ultimum decretum, in quo dicitur: « SS. Dominus Noster etc., attentis etc. Institutum approbat atque confirmat », — affirmative respondeo, propter eamdem rationem supra expositam.

II. — *Utrum hæc infallibilitas sit divina, vel Ecclesiastica.*

Resp.: Probabilius est divina: quia judicium doctrinale Ecclesiæ, de quo est quæstio, immediate et directe fertur in objectum primarium infallibilitatis, sc. in doctrinam morum. Propter eamdem rationem Ecclesiæ approbatio definitiva de aliquo Doctore infallibilis est (cfr. Schultes, p. 330).

QUÆSTIO IX.

De Magisterio Ecclesiæ.

Ex eo quod Ecclesia est infallibilis, sequitur quod jus habet *docendi et dirigendi* homines in ordine ad vitam æternam. Aliæ duæ quæstiones, igitur, quæ sequuntur complent tractatum de infallibilitate et indefectibilitate Ecclesiæ, sc. *de Magisterio* et *de Potestate Ecclesiæ.*

Quantum ad Magisterium quærendum est 1. De origine seu existentia ipsius; 2. De ipso magisterio; 3. Respondetur ad principaliores difficultates. Circa primum quærimus: An Christus magisterium instituerit. Quoad alterum duo investiganda sunt: 1. An Ecclesiæ doctrina sit regula fidei; 2. An Ecclesia sit judex controversiarum. Quantum ad ultimum respondendum est ad quæstiones: 1. Utrum numerus credendorum augeatur per magisterium; 2. quanam fide veritates ab Ecclesia propositæ credendæ sunt.

Articulus I.

UTRUM CHRISTUS MAGISTERIUM INSTITUERIT

Sensus quæstionis sic breviter exponitur: « Christus deditne Ecclesiæ jus et officium docendi veritates quæ ad salutem æternam pertinent, et quidem cum potestate? ». In hoc enim differt magisterium mere humanum a magisterio Ecclesiæ, de quo est sermo: quod in magisterio humano magister proponit intellectui studentium veritatem, eamque ministrat, adeo ut, intellectus audientium exeat de potentia in actum et veritatem intelligat. Cfr. S. Th., *De Ve-*

ritate, q. 11, a. 8. — Garrigou-Lagrange, *De Rev.*, vol. I, p. 154, ed. 1. — Dum vero in magisterio Ecclesiæ, quod est magisterium humano-divinum, Ecclesia *infallibiliter* proponit veritatem (fidei et morum), eamque subditis suis præscribit *credendam*, propter supremam suam auctoritatem quam a Christo accepit. Propterea magisterium Ecclesiæ definiri potest: « *Jus et officium, veritatem christianam docendi ea suprema auctoritate, cui omnes corde et ore parere tenentur* ». — Hæc definitio fundata est in diversis S. Sedis documentis. Cfr. præsertim Conc. Vat., Sess. III, cap. 3, Denz. 1792. Cfr. Denz. *Index II, f.*

In quæstione quatuor munera includuntur magisterii, sc. *testis*, *custodis*, *interpretis* et *judicis* veritatis (cfr. De Groot, p. 345, Schultes, p. 360). Hæc munera Ecclesiæ magisterii, sequentibus verbis a Conc. Vat. traduntur (Sess. III, cap. 4. Denz. 1800): « Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsæ tradita, *fideliter custodienda* et *infallibiliter declaranda* ». — Agitur etiam de utroque Ecclesiæ magisterio, sc. *solemni*, et *ordinario universali*.

Momentum hujus quæstionis haud leve apparet quando consideramus quod ex hac doctrina non solum christifidelium docilitas confirmatur erga Ecclesiæ magisterium, sed etiam adversariorum diabolicum dictum: Ecclesiam tyrannidem esse, — refellitur.

Adversarii: 1. *Præcursores Protestantismi*, uti Valdenses, Wicleffitæ, Hussitæ qui Ecclesiam erravisse dixerunt jam a tempore Constantini I, cum donationem temporalium habuisset; propterea jus Ecclesiæ infallibiliter docendi rejecerunt; et unicam fidei regulam Sacram Scripturam tenuerunt. — 2. *Priores Protestantes*, de quibus pluries locuti sumus. — 3. *Modernistæ* et *Rationalistæ*, qui ad spiritum internum testificantem recurrunt, seu ad experientiam religiosam. Deus, inquiunt, in nobis est et ipse nos docet omnem veritatem. Aliis similibus textibus scripturalibus abutuntur, uti: « Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei » (Rom. VIII, 16); « Spiritus enim scrutatur omnia etiam profunda Dei » (I Cor. II, 10); « In ipso enim vivimus et movemur et sumus... » (Act. Ap. XVIII, 28); « Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus » (I Joan. II, 27). His et aliis textibus conantur magisterium Ecclesiæ infallibile, ac ordinem supernaturalem negare; dum, per sic dictum sensum religiosum, in pantheismum vagum pergunt. — 4. *Neolutherani*, ait P. De Groot, admittunt auctoritatem magisterii divinitus quoque institutam esse, tamen *Ubi* ipsa auctoritas resideat non decernunt. — Omnes tamen, qui ad privatum judicium recurrunt, magisterium proprie dictum Ecclesiæ, sive directe sive indirecte, rejiciunt.

Prænotamen: Doctrina Catholica nedum magisterium internum *Spiritus Sancti* non excludit, sed ipsum etiam postulat, et principaliter quidem. Ecclesiæ vero magisterium *ministeriale* est, tamen infallibile, et auctoritativum. Cfr. De Groot, p. 347. — Immo, S. Thomas clare docet quod veritatum vel naturalium, quæ ad magisterium humanum pertinent, principalis magister Deus est, qui « solus interius et principaliter docet » (*De Veritate*, q. XI, art. 1).

Ad Articulum responsio est *affirmativa* et de fide certa. Conc. Vat. *l. c.* Item, Denz. 1798: « Porro Ecclesia, quæ una cum apostolico munere docendi mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi... ».

Probatur Articulus. — Arg. I. *Ex Sacra Scriptura.*

Christus Ecclesiæ imposuit officium vice ipsius docendi. Atqui hoc importat Ecclesiæ magisterium, quod est jus et officium docendi cum potestate ea quæ sunt fidei, sive cum iis connexa. Ergo Christus instituit magisterium Ecclesiæ.

Major ex Sac. Script. probatur: 1) ex verbis ipsius Christi; v. g. Joan. xx, 21: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos »; Luc. x, 16: « Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit ». Item, Mt. xxviii, 19-20: « Euntes ergo docete omnes gentes..., docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi ». Item, Mc. xiii, 11: « Nolite præcogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini: non enim vos estis loquentes, sed Spiritus Sanctus ». 2) Ex aliis textibus, v. g. Act. Apost. v, 29: « Obedire oportet Deo magis quam hominibus »; II Cor. v, 20: « Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos »; Rom. i, 5: « Per quem (Christum) accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus »; II Cor. x, 4-5: « Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi ». Similiter, S. Paulus ad praxim magisterii Timotheum inculcat: « Prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina... » (II Tim. iv). Ex his et similibus textibus meridiana luce apparet Ecclesiam habere jus et officium docendi semper et ubique, cum auctoritate et assistentia Spiritus Sancti, etiam invitis hominibus.

Confirmatur hoc jus et officium Ecclesiæ docendi primo ex hoc quod sontes habentur, qui prædicationem Ecclesiæ repudiant. Et hoc etiam probatur cum ex verbis Christi, tum apostolorum. Nota sunt enim verba Christi: « Qui vero non crediderit condemnabitur »

(Mc. xvi, 16). « Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus » (Mt. xviii, 17). S. Paulus anathemate condemnat illos qui contra doctrinam apostolicam aliquid docuerint (Gal. i, 8).

Arg. II. *Ex necessitate Magisterii.*

Primo quidem ratione firmitatis singulorum. Etenim sine auctoritate magisterii, unusquisque sibi magister constitueretur. Ideoque nulla esset certitudo firma sicut decet, in rebus fidei et moruṁ. Quod valde inconveniens, immo et imperfectum esset in opere Christi. Hoc argumentum adeo manifestum est, ut ipsum convincat non raro etiam acatholicos de falsitate ipsorum et de veritate nostræ Ecclesiæ [1].

Secundo ratione omnium unitatis. Ubi firmitas non est in auctoritate, ibi neque unitas in societate. Et hæc firmitas in religione habenda est in doctrina, et non vi armorum, cum religio perficiat spiritus libertatem. Consequenter impossibile est Christum magisterium non instituisse, si per magisterium hoc modo firmitas Ecclesiæ unitatis tuetur atque corroboratur.

Arg. III. *Ex Traditione.*

Jam a tempore apostolorum usque nunc, a Concilio Hierosolymitano usque ad Vaticanum, Ecclesia jus cum auctoritate docendi in nomine Christi semper vindicavit sibi. Et tale jus et officium nedum theoretice sed etiam practice ab omnibus agnitum semper fuit, tamquam divinitus Ecclesiæ collatum. Concilia, et discordantes in materia religionis, ad *tribunos* Ecclesiæ semper appellarunt. Ideoque sane justa est sententia S. Augustini: « Vera religio... omnino sine quodam gravi auctoritatis imperio iniri recte nullo pacto potest » (*De utilit. credendi*, cap. ix). Nota sunt etiam alia S. Augustini verba: « Inde (a Sede Apost.) etiam rescripta venerunt: *causa finita est* » (Sermo 131, P. L. XXXVIII, 734). Item: « Ego evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas » (*Epist. contra Epistolam Fundamentalium*, c. 5). — Argumenta quibus probabimus infallibilitatem Romani Pontificis hanc nostram thesim valde corroborabunt.

---

[1] *Catholic Times* 2-4-26. — " You ask me for my reason in becoming a Catholic; it was the ever incresing, consciousness of the powerlessness of the English Church to *teach*. Our Lord's command was ", Go and teach them to observe all things whatsoever I have comanded you', she allowed me to believe what I liked. The only time I came into collision with authority was for *teaching* Catholic truth; the only time the bishops are ever aroused is when the clergy teach or practice what the rest of christendom does. The bishops listen unmoved to a demial of Our Lord's divinity, to a denial of one thing after anothr; but devotion to the Blessed Sacrament, or the Blessed Virgin, or, till lately, the practice of confession, arouses their fear and opposition. — (*An Unpublished letter of Father Maturin's*, in « *Pax* »)

OBJECTIONES

Objectio I. — Salvator ait: *Unus est magister vester* (Mt. xxiii, *v.* 8). Ergo soli Deo magisterium competit.

Resp.: *Dist. antec.:* Unus est magister primarius, *concedo;* secundarius, *nego;* i. e. quod magisterium primarium excludit alium secundarium, *nego.*

Instantia: Atqui Ecclesia non habet magisterium secundarium; ergo... Nam, etiam magister secundarius debet habere visionem veritatis. Atqui Ecclesia caret hac visione. Ergo...

Resp.: *Dist. maj.:* Magister secundarius si ex propriis docet, debet habere visionem veritatis, *concedo;* si vero docet instrumentaliter, *subdistinguo:* in magisterio naturali, *transeat*; in magisterio fidei, *nego.*

Instantia: Atqui magisterium auctoritatis non est proprie magisterium. Ergo stat difficultas. Nam, ubi est verum et proprium magisterium, ibi veritas complectitur propter conscientiam veri. Atqui per magisterium auctoritatis veritas amplectitur non propter conscientiam veri, sed propter auctoritatem. Ergo...

Resp.: *Transeat maj. Distinguo min.:* Per magisterium fidei (seu auctoritatis) veritas amplectitur propter auctoritatem, exclusive, *nego;* inclusive et principaliter, *concedo.*

Optime ait De Groot conscientiam veri et auctoritatem sancte in anima sociari fidelium, quæ sub auctoritate, divinitus constituta, fide vivit. « Amant verum (inquit), qui audiunt Ecclesiam, quam ex intima conscientia reverentur et diligunt utpote veram. Nec dogmatum visio intrinseca requiritur, ut habeantur vera, sed heroes fidei vixerunt et mortui sunt pro veritate, quam cum evidentia extrinseca legitimi magisterii medullitus propter Deum acceperant ».

II. — S. Paulus libertatem christianam proclamans ait: *Omnia autem probate, quod bonum est tenete.* I Thess. v, 21. — Ergo vanum est magisterium.

Resp.: *Dist. antec.:* Probandæ sunt doctrinæ dubiæ, *concedo;* doctrina certa Ecclesiæ, *nego.* — Sensus S. Pauli verborum patet ex contextu. Insuper nota sunt ejus emphatica verba: *Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis* etc. (Gal. i, 8-10).

Instantia: S. Joan. ad fideles: *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium* (I Joan. ii, 27). Ergo...

Resp.: A S. Joanne excluduntur magistri mendacii, *concedo;* excluditur magisterium Ecclesiæ, *nego.* — Unctio Spiritus Sancti magisterium Ecclesiæ minime excludit, sed ipsum perficit. Nam, ad unctionem divinam recipiendam observare mandata Christi necesse est. Mandatum Christi autem est: audire Ecclesiam.

Articulus II.

UTRUM ECCLESIÆ DOCTRINA SIT PROXIMA REGULA FIDEI

Status et sensus quæstionis. — Incipimus hic tractare de his quæ ad magisterium Ecclesiæ pertinent. — Sensus articuli sumendus est ex notione regulæ. Per regulam autem intelligimus *mensuram externam*, non quantitativam, sed *qualificativam*. Sermo est, igitur, de illa *norma* quæ determinare potest ea quæ ad fidem et mores spectant, secundum quam homines debent tenere ea quæ sunt fidei et quæ ad doctrinam de moribus pertinent. — Hæc norma *remotissime* et originative habetur in ipso Deo nobis revelante. Norma *remota* est Sacra Script. et Traditio, ubi est totum et completum fidei depositum. Sed hæc regula est *inanimata*. Regula autem *proxima et animata* est Ecclesia, i. e. Ecclesia universaliter sumpta, Concilia legitima et Romanus Pontifex. Revelatio divina, ergo, quantum ad ipsam fidem objective consideratam, est *per se* regula fidei; *per accidens* tamen, sc. quantum ad nos, proxima regula fidei est Ecclesia. (Cfr. Cajetanum, II-II, q. I, art. 1, dub. III, par. X; Salmanticenses, *De Fide*, Disp. I, n. 159; Disp. II, n. 104; Joan. a S. Thoma, *De Fide*, disp. I, art. 2, n 17.) — Hæc regula fidei debet esse infallibilis et omnibus obvia. Propterea definiri potest: « *Mensura infallibilis et extrinseca credendorum quantum ad homines* ». Hinc probandum est Ecclesiam, auctoritate divina, esse talem mensuram.

Momentum quæstionis apologeticum maximum est, præsertim nostris diebus cum futilitas Protestantismi universaliter agnoscitur. Sed art. jam supponit infallibilitatem Ecclesiæ.

Adversarii: 1) *Priores Protestantes* contendunt solam Sacram Scripturam esse fidei regulam proximam; — 2) Postea dixerunt Sacram Scripturam non esse verbum Dei, sed *continere* verbum Dei; — 3) Deinde *Protestantes* dixerunt Scripturam Sacram errores continere, ideoque regulam fidei principalem tenuerunt *Christianismum Primitivum*, secundariam autem Sacram Scripturam. Cfr. Tanquerey ed. XV, n. 589; — 4) *Modernistæ:* « Fidei regula est cujusque conscientia a Spiritu Dei illuminata ». *Ibid.* n. 574.

Ad Articulum respondetur *affirmative*, de fide. Hoc patet ex dictis in art. præcedenti.

Probatur Articulus. — I. *A priori*, i. e. ex jam probatis. Scimus enim Ecclesiam infallibilem esse et ejus objectum infallibilitatis. Scimus etiam Ecclesiam habere magisterium sibi divinitus collatum. Ex his recte sequitur Ecclesiam esse veram regulam fidei vivam et proximam, atque judicem in controversiis, quæ ad religionem spectant. Sed ad majorem claritatem adhuc probatur:

II. *A Posteriori:* A) *Ex S. Script.* — S. Scriptura enim docet, fidem proxime et immediate proponi oportere ab Ecclesia. Ergo...

Probatur antec. ex verbis Christi: « Euntes *docete* » (Mt. XXIV, 35); « *Prædicate* Evangelium » (Mc. XVI, 15); « Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus » (Mt. XVIII, 17); — ex sententia S. Pauli, quæ docet, Ecclesiam esse *columnam et firmamentum veritatis* (I Tim. III, 15); et fidem esse *ex auditu* (Rom. X, 17). Item, sententia Apostoli est ad ædificationem corporis Christi; Deum Ecclesiæ dedisse apostolos, evangelistas, pastores etc. quibus obedire oportet; dum, e contra, nunquam firmitas habetur per spiritum privatum (Ad Ephes. IV, 14). Hinc de hæreticis: *semper discedentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes* (II Tim. III, 7). Et S. Judas hæreticorum characteres describens, ait: *Hi sunt, qui segregant semetipsos*, v. 19.

B) *Ex Traditione.* — Patres unanimiter sentiunt 1) ab Ecclesia dissentire nefas esse; 2) spiritum privatum fidem corrumpere; 3) tutam credendi normam necessarium haberi. Hæc autem evidenter demonstrant Ecclesiam veram fidei regulam proximam esse.

Primum probatur ex testimoniis citatis in quæstione de necessitate Ecclesiæ.

Alterum jam de se patet, et ex sequentibus magis confirmatur: *S. Ignatius Antiochenus* contra hæreticos scribens ait: « *Sibimetipsis* Jesum Christum admiscent » (*Trall.* VI, 2). Similiter *S. Irenæus:* « Unusquisque enim eorum, omnimodo perversus, *semetipsum*, regulam veritatis depravans, prædicare non confunditur » (*Adv. Hær.*, lib. III, 3). Et *Hegesippus* hæreticos describens, ait: « Qui *seorsum singuli proprias* opiniones induxerunt » (Eus., *H. E.* l. IV, 22).

Tertium vero directis Patrum præceptis de norma credendi clarum apparet: *S. Irenæus* hæc: « Ecclesiæ prædicatio firma et vera regula est, qua una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur » (*Adv. Hær.* l. V, 20). *Origenes:* « Servetur ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab apostolis tradita, et usque ad præsens in Ecclesiis permanens ». *Tertullianus:* « Quid autem prædicaverint (apostoli), i. e. quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt » (*De præscr.* c. XXI). *S. Ambrosius:* « Sta in Ecclesia, ibi firmissima statio tuæ mentis est » (Ep. LXXII *ad Vercell. Eccl.* n. 41). *S. Aug.:* « Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas ». — Deinde universa Ecclesia semper, quando opus erat, ad auctoritatem Romanorum Pontificum appellabat, tamquam ad tutam regulam sequendam.

III. *Ex necessitate et proprietatibus regulæ fidei.*

Homo in omnibus per quamdam regulam operatur. Hoc autem videtur consequi necessario ex ipsa conditione hominis in hac vita.

Quare ergo in fidei rebus, tam necessariis et obscuris, homo firmam regulam habere non debet? Tam evidens, igitur, est hæc veritas, ut ipsimet adversarii eam minime negant, sed pro regula sumunt Sacr. Scripturam seu christianismum primitivum. Attamen, regula fidei *vera* debet esse 1) quoad *omnia* credenda, 2) *pro omnibus* hominibus, 3) pro omni tempore. Hæ autem conditiones inveniri nequeunt in Sacr. Scriptura et in primitivo christianismo; sed tuto inveniuntur in Ecclesia.

OBJECTIONES

Objectio I. — Fides est a solo Deo. Ergo regula fidei non est Ecclesia.

Resp.: *Dist. antec.:* Fides est a solo Deo, quantum ad assensum credentis, *concedo;* quantum ad propositionem crediti, *subdist.:* est a Deo principaliter, *conc.;* proxime, *nego*. Fides enim ex auditu (Rom. x, 17).

Instantia: Atqui fides est ex auditu interiori. Ergo... Nam, Veritas Prima proponit et explicat se ipsam et alia credenda. Ergo...

Resp.: *Dist. antec.:* Veritas Prima proponit et explicat se ipsam, quantum ad infusionem gratiæ, *concedo;* quantum ad determinationem doctrinæ, *subdist.:* mediate per Ecclesiam, *concedo;* immediate, *nego*. — Etsi fides nostra non habet auctoritatem, nisi a revelatione Dei Patris per Filium et Spiritum Sanctum, ordinaria tamen providentia, quænam res credendæ sint et quonam sensu, cognoscitur audiendo Ecclesiam. Quare a Cajetano Ecclesia verissime vocatur *ministra objecti fidei*.

II. — Quod creditur non probatur. Sed creditur Ecclesiam esse regulam fidei. Ergo non probatur.

Resp.: *Dist. maj.:* Quod creditur non probatur, sub eodem respectu, *conc.;* sub diverso respectu, *nego*. *Contradistinguo min.* et nego *consequens* et *consequentia*. — Ecclesiam esse regulam fidei probatur argumentis ex Sac. Script. et ex Traditione depromptis, ut supra jam demonstravimus. Creditur vero lumine fidei.

III. — Christum Judæis dixisse legimus: « Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me ». — Ergo Sacr. Script. est proxima regula fidei.

Resp.: *Dist. maj.:* Hæc locutus est Christus, ut *ad hominem* incredulos convinceret, *conc.;* ut fidelibus fidei regulam statueret, *nego*. — Hæc patent ex contextu.

Instantia: Act. Ap. xvii, 11: Judæi Berœenses nobiliores laudantur, qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scru-

tantes scripturas, si hæc (quæ apostoli dicebant de Christo) ita se haberent. Ergo Sacr. Script. est proxima fidei regula.

Resp.: *Dist. antec.:* Hæc scrutatio facta est ante conversionem, *conc.;* post conversionem, *subdist.:* ut fidem dubitative examinarent, *nego;* ut magis magisque in fide confirmarentur, *conc.* Catholici etiamnum Scripturas scrutantur; quid ergo?

Articulus III.

utrum ecclesia sit judex controversiarum [1]

Status et sensus quæstionis. — In articulo præcedenti probavimus Ecclesiam esse regulam fidei proximam, i. e. Ecclesiam esse infallibilem fidei et morum mensuram pro omnibus fidelibus; nunc autem ultro quæritur an Ecclesia habeat jus *infallibiliter* dirimendi controversias *circa ea quæ pertinent ad fidem et mores*, per ultimum judicium definitivum.

Momentum quæstionis. — Articulus noster non est aliud nisi logicum *corollarium* præcedentium. Unde vix probatione indiget. Attamen, instructionis claritatisque causa, necnon apologetici valoris ratione, procedendum est more solito. Bene tamen notandum quantas vires adversarii exercent ad hanc Ecclesiæ auctoritatem derogandam, contra quos non licet nobis tacere.

Adversarii. — P. De Groot (p. 365) quatuor *protestantium* notat sententias, nempe: *Socinianorum*, qui fidei lites *ratione humana individua* componendas asserunt; *Lutheranorum* et *Calvinistarum*, qui controversias quascumque *sola S. Scriptura* dirimendas esse contendunt; *Anglicanorum*, qui, articulo 20 (in famosis 39 articulis), statuunt: *Habet Ecclesia... in fidei controversiis auctoritatem;* at singulis potestas *dubitative* explorandi, etiam facto ab Ecclesia judicio, relinquatur; *Puseystarum* controversias Ecclesiæ auctoritate finiendas esse, in abstracto non negant, nullam tamen Ecclesiam, quæ judicis infallibilis munere fungatur, in concreto designant.

Sententia *Modernistarum* ex Decreto « Lamentabili » faciliter depromitur. Isti, plerisque Sacræ Scripturæ textibus abutendo, supremum judicem concludunt esse, in controversias dirimendo religiosas, individuorum conscientiam spiritu Dei illuminatam. Proinde, si conflictus aliquando inter Ecclesiam et conscientiam oriatur, huic obediendum esset, non obstantibus ecclesiasticis excommunicationibus. Cfr. Tanquerey, *l. c.*, n. 574; Denz. nn. 2002 et seqq., 2023, 2063.

---

[1] Circa hanc quæst. Cfr. Bill., *De Reg. Fidei*, D. III, a. 6.

Ad Articulum responsio est *affirmativa*, et est de fide, saltem magisterio ordinario Ecclesiæ. Conc. Romanum an. 862: « Sedis Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellare voluerunt; *ab illa* autem nemo sit appellare permissus... ». Denz. n. 333. Similiter, in Epist. « *In terra Pax* », Leonis IX, ad Michaëlem Cærularium, eadem doctrina exprimitur. Denz. 352, 353. Cfr. etiam Denz. n. 1798.

Probatur Articulus. — Ecclesia est judex controversiarum circa verbum Dei, in hoc proponendo, docendo, defendendo etc. Atqui controversiæ circa Dei verbum sunt circa veritates fidei. Ergo...

Major declaratur: Judex de verbo Dei est ipse solus Deus, *principaliter; ministerialiter* tamen est etiam ipsa Ecclesia, quod ex Sacr. Scriptura probatur textibus jamjam allatis quibus demonstravimus Ecclesiam fidei magistram regulamque proximam esse.

Confirmatur: 1) *Ex Text. Vet. Testamenti*, v. g. Agg. II, 12: « *Interroga sacerdotes legem* ». Malach. II, 7: « *Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus* ». Item, Salvator ait: « *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, et facite* » Mt. XXIII, 2, 3. Si igitur tam necessarium fuit ut synagoga judex fuisset controversiarum, quanto magis necessarium est ut Ecclesia Novi Testamenti, quæ non unius nationis est, sed omnium nationum, hac prærogativa non careat?

2) *Ex Auctoritate Ss. Patrum.* — Jam ex historia Ecclesiæ habetur Ecclesiam in Conciliis Œcumenicis adunatam controversias diremisse. Sed insuper Ss. Patres et Ecclesiastici Scriptores emphatice nostram thesim affirmant. Præter testimonia a nobis in præcedentibus articulis adducta, placet alia recordare. Ita, *S. Irenæus:* « Juste (hæretici) cadent in sublatentem ignorantiæ foveam, *semper quærentes, et nunquam verum invenientes* » (*Adv. Hær.* V, 2). *Tertullianus* examen privatum his rejicit: « Ubi enim erit finis quærendi? Ubi statio credendi? Ubi expunctio inveniendi? Apud Marcionem? Sed et Valentinus proponit, quærite et invenietis » (*De Præscript.* cap. XXX). *S. Hier.:* « Poteram omnes propositionum rivulos uno Ecclesiæ sole siccare » (*Dial. contra Luciferianos*, cap. II). *S. Aug.:* « Causa finita est... » etc.

3) *Ex qualitatibus necessariis hujus judicis.* — Ut controversiæ *definitive* dirimantur, recte ait De Groot, opus est judice *certo, objectivo et obvio.* Hoc omnibus clare patet, præsertim ex experientia vitæ. Hic autem judex *a*) non est ratio humana individua, quia hæc non est omnino certa, neque objectiva; *b*) non est Status; *c*) non est S. Scriptura cum spiritu privato; *d*) neque S. Script. cum Spiritu

Sancto in spiritu privato; *e*) neque aliqua Ecclesia fallibilis. Sed hæ qualitates inveniuntur omnino in Ecclesia Catholica Romana quæ in materia fidei et morum infallibiliter, ergo certissime, suum judicium declarat; est regula objectiva et omnibus nota.

Non mirum igitur est quod A. Sabatier, qui usque ad mortem (die 12 Aprilis 1901) protestantismi moderni doctor celebratissimus fuit, in opere postumo systema catholicum circa auctoritatem infallibilem systemati reformatorum de sola scriptura *omnes in partes* præcellere declaravit [1].

Objectio. — Controversiæ dirimendæ sunt verbo Dei. Atqui Sacra Script. est verbum Dei. Ergo.

Resp.: *Dist. maj.:* controversiæ dirimendæ sunt verbo Dei, quod a judice vivo proponitur, *conc.;* quod libro tantum proponitur, *nego.* Et *dist. min.:* S. Script. est verbum Dei, excludens verbum traditum, *nego;* secus, *concedo.* Et nego conclusionem. « Tria enim — ait Angelicus — requiruntur in judicio. Primo, quod judex sumat judicandum. Secundo, quod consideret merita causæ. Tertio, quod proferat sententiam suam » *In Ps.* xxxiv, n. 16. — Hæc autem nullus unquam liber, cum sit judex mortuus, præstare potest.

Instantia: Atqui sola Script. sufficit. Nam, docet S. Paulus: « Omnis script. divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum etc. » Ergo...

Resp.: *Dist. antec.:* Script. utilis est, explicata ab Ecclesia, *conc.;* a spiritu privato, *nego.* Responsum patet ex dictis.

Instantia: Atqui etiam spiritu privato explicata Sacra Script. sufficit. Apostolus enim dicit: « Spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur » (I Cor. ii, 15). Ergo...

Resp.: *Dist. antec.:* Spiritualis a S. Paulo dicitur, qui Ecclesiam non audit, *nego;* qui ipsam audit, *subdist.:* et is judicat dogmata Ecclesiæ, *nego;* alia plura, *concedo.* — Hæc patent ex doctrina S. Pauli a nobis in toto tractatu passim exposita.

---

[1] En verba hujus adversarii Ecclesiæ: « Or à quelque point de vue que l'on examine les deux systèmes, l'avantage est sans contredit du côté du catholicisme. L'Église a cette première supériorité sur la Bible d'être un organisme social, vivant, contemporain, souple, en état de parer à toutes les questions nouvelles, d'évoluer enfin habilement sans jamais se démentir, grâce au principe d'inspiration qu'elle retient dans son sein. Elle peut se montrer tolérante à l'égard de ce qu'elle ne peut empêcher, fermer les yeux sur ce qu'il importe de ne pas voir, bref, conduire dans le gouvernement des esprits avec toute la liberté, la prudence et la patience des gouvernements qui sont assurés d'avoir le temps pour eux... En second lieu, le système catholique a bien plus de grandeur. Autre chose est de raisonner sur la valeur d'une livre, autre chose de créer à travers dix-huit siècles d'histoire, par une série ininterrompue d'efforts et de luttes, un empire religieux comme celui de Rome » (*Les religions d'autorité et la religion de l'esprit.* Ed. III, p. 306-307).

ARTICULUS IV.

UTRUM NUMERUS CREDENDORUM PER ECCLESIÆ MAGISTERIUM AUGERI POSSIT

Status et sensus quæstionis facilis est intellectu. Quæritur utrum Ecclesiæ explicationes vel definitiones veritatum revelatarum augeantne numerum veritatum credendarum. Aliis verbis: per Ecclesiæ magisterium fideles creduntne *novas* veritates revelatas? En quæstio.

Momentum quæstionis non est negligendum. Defendimus enim per hunc articulum catholicam veritatem, quam, præjudiciis imbuti, adversarii false intelligunt; proindeque Romanam Ecclesiam abhorrent, et tamquam antichristianam eam considerant.

Adversarii, ut notat De Groot, quidam exaggerant, alii per defectum peccant. Volunt, enim, quidam, dogma Ecclesiæ continue evolvi essentialiter cum scientia nostra. Ita *Modernistæ.* Ipsi dicunt, « nulla confici ratione posse, formulas, quibus fides exprimitur, veritatem absolute continere... ». « Objectum autem *sensus religiosi*, utpote quod absolute continetur, *infinitos habet aspectus*, quorum modo hic, modo alius apparere potest ». Hinc, « ad intimam evolutionem dogmatis expeditum est iter ». Et « evolvi ac mutari dogma non posse solum sed oportere ». — Hæc omnia procedunt, aiunt, ab immanentiæ vitalis principio. Cfr. Denz. 2079, 2080, 2022. — Alii, e contra, per defectum peccant. Contendunt, autem, paucissimas esse fidei formulas, ac, novis definitionibus, Ecclesiam Catholicam, fidem christianam corrumpere. Ita *Protestantes* et *Schismatici.*

Prænotamina. — 1) Distinguimus inter *explicationem* veritatis revelatæ, et ipsam veritatem revelatam. Veritates revelatæ reducuntur ad prima credibilia quæ *absolute*, necessitate medii, necessaria sunt ad salutem, videlicet: Deum esse, et providentiam habere circa hominum salutem. Ita S. Thomas in II-II, q. 1, art. 7. Propterea in iis præcipue consistit *fidei substantia.* Et hæc duo ab omnibus, et in omni tempore credenda fuerunt. Hinc, patet, magisterio Ecclesiæ, numerum credendorum, quantum ad substantiam fidei, minime crevisse. — Alia tamen multa revelata sunt; sed revelatio, de qua sermo est, cessavit cum apostolis. *Explicatio* autem revelatorum indefinita est.

2) Per definitiones Ecclesiæ non habentur novæ revelationes *in se* seu *quoad se*, sed *quoad nos* tantum. Quod *implicite* prius credebatur, nunc autem *explicite.* Determinatio et propositio fidei fit explicatior; et hoc tripliciter: *a*) per magisterium Ecclesiæ elementa

determinantur quæ antea *complexe* in toto credebantur. Ita, sub ratione *perfectissimæ* Christi *humanitatis*, multa complexe credebantur; *b*) distinctius determinatur quod prius obscurius, seu confusius credebatur; v. g. veritas de causalitate gratiæ sacramentorum; *c*) quod practice observabatur, nunc etiam per doctrinam declaratur; e. g. cultus sanctorum.

Ad Articulum respondetur *affirmative*, de fide. Adversariorum sententiæ damnatæ sunt in Conc. Vaticano ut hæreticæ. Cfr. Denz. nn. 1800, 1818; et Decr. *Lamentabili*, Denz. 2022, 2054, 2059, 2064, 2065.

Probatur Articulus. — Nota: art. ex aliis hujus quæstionis articulis logice sequitur tamquam corollarium. Ad majorem explicationem sequentia argumenta proponimus:

Arg. I. Ad Ecclesiæ magisterium pertinet, exortis controversiis aut quavis urgente necessitate, fidem determinare. Atqui hujusmodi determinatione credendorum numerus quantum ad nos augetur. Ergo... — *Major* patet. *Minor* vita practica Ecclesiæ manifestatur, et his verbis S. Thomæ confirmatur: « Aliqui doctores dissensisse videntur... in quibusdam ad fidem pertinentibus quæ *nondum erant per Ecclesiam determinata.* Postquam autem essent auctoritate universalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur ». II-II, q. 11, art. 2 ad 3um.

Arg. II. *Ex Traditione.* — « Credendorum numerus per Ecclesiæ magisterium augeri quantum *ad nos*, idem est atque unam alteramve doctrinam, absque ulla mutatione ex parte rei, transire ex parte hominum *a statu liberæ controversiæ in certitudinem indubiam.* Eam autem transitionem posse suo magisterio fieri, Ecclesia semper credidit, uti ex sequentibus manifestum est.

a) *Ex veterum sententiis.* — *Origenes* distinguit inter ea, quæ manifestissime in Ecclesia prædicantur, quæ definita sunt in ecclesiastica prædicatione, de quibus totius Ecclesiæ una est sententia; et inter alia, quæ sunt adhuc inquirenda de Sacra Script. et sagaci perquisitione investiganda, quæ non manifeste discernuntur, quæ non sunt evidentia in ecclesiastica prædicatione (*De princ.*). — *S. Augustinus* de S. Cypriano et rebaptizantibus agens, ita loquitur: « Nondum enim erat diligenter illa baptismi quæstio pertractata... Postea tamen, dum inter multos ex utraque parte tractatur et quæritur, non solum inventa est (veritas), sed etiam ad plenarii concilii auctoritatem roburque perducta » (*De bapt.* l. II, 12-14). — *S. Vincentius Lerinensis* (ob. an. 450) ait: « Christi Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit... sed omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa

antiquitus informata et inchoata, accuret et poliat; si qua jam confirmata et definita, custodiat » (*Commonit.*, c. XXI).

b) *Ex praxi Ecclesiæ.* — Concilia Œcumenica et constitutiones dogmaticæ Romanorum Pontificum id effecerunt, ut ea, quæ prius tam explicite non credebantur aut a nonnullis bona fide in dubium revocabantur et etiam negabantur, per Ecclesiæ magisterium diserte et solemniter sancirentur. Quo factum est, ut veritates antiquæ ulteriori Ecclesiæ determinatione *respectu nostri* certissimæ fierent, ut patet ex historia dogmatis de baptismate non iterando, Immaculatæ Conceptionis, Infallibilitatis Pontificiæ. Ita optime P. De Groot, p. 376.

OBJECTIONES

Objectio I. — Si credenda per magisterium Ecclesiæ augeantur quoad nos, aliquod doctrinæ caput esset verum, *quia* Ecclesia hoc proponit. Quod est falsum.

Resp.: Per propositionem Ecclesiæ aliquod doctrinæ caput *cognoscitur* ut verum, non autem *fit* verum.

II. — Christus venit *adimplere*, Mt. v, 27. Itaque nullus post Christum fidei progressus ratus habetur.

Resp.: Post Christum ratus nullus progressus ducitur materialis, *conc.*, i. e. quantum ad fidei materiam *in se;* — nullus progressus formalis, *nego.* — Progressus formalis habetur per ulteriorem Ecclesiæ definitionem.

III. — Fidei veritas in doctrina Christi et apostolorum sufficienter explicata est. Ergo...

Resp.: *Dist. antec.:* In doctrina Christi et apostolorum veritas fidei sufficienter explicata est per se, *conc.;* per accidens, *nego.* S. Thomas: « Quia perversi homines apostolicam doctrinam et ceteras scripturas *perverterunt ad sui ipsorum perditionem*, sicut dicitur II Petri, ult.; ideo necessaria fuit, temporibus procedentibus, explanatio fidei contra insurgentes errores » II-II, q. 1, art. 10 ad 1um. Norma Lerinensis hæc est: « *Quum dicas nove, non dicas nova* » (*Common.* cap. XXVII).

Scholion. — *Utrum apostoli mysteriorum fidei majorem habuerint intelligentiam quam nos.* — **Resp.:** Apostoli majorem intelligentiam mysteriorum fidei habuerunt quantum ad illa ad salutem necessaria vel ad vitam Ecclesiæ valde utilia. Ratio est, ait S. Thomas, quia erant Christo appropinquiores (II-II, q. 1, a. 7 ad 4um).

APPENDICES AD QUÆST. IX.

A) De Censuris, quibus propositiones Fidei adversæ ab Ecclesia damnantur.

I. Multis variisque censuris Ecclesia propositiones contra fidei veritates damnat. Censura tamen generatim considerata definitur: « qualificatio, qua propositioni nota inuritur ob aliquam cum fidei doctrina oppositionem ». Dicitur *judicialis* si ab Ecclesiæ magisterio proficiscitur; dicitur *doctrinalis* si eam ferunt theologi. Agimus hic tantum de censuris judicialibus.

II. *Propositiones erroneæ diversimode damnantur.* — 1) *Categorice*, quando unaquæque propositio, particulari censura, damnatur; 2) pluribus censuris simul; 3) *in globo*, quando plures propositiones ita notantur, ut singularum qualificatio ignominiosa non exprimatur; 4) propositiones damnantur aut *sicut jacent*, aut *in sensu ab assertoribus intento*, v. g. propositiones 79 Michaëlis Baii.

III. *Explicatur diversarum censurarum qualitas.*

1. Propositio *hæretica* est, quæ immediate adversatur veritati fidei catholicæ immediate revelatæ et ab Ecclesia ad credendum propositæ. Sicut ad finem aliquid pertinere potest dupliciter, sc. principaliter et directe, sicut sunt articuli fidei, et indirecte et secundario, sicut ea ex quibus negatis sequitur corruptio alicujus articuli, — ita et circa utraque potest esse hæresis, sc. *directa* vel *indirecta*. Ita S. Thomas, II-II, q. 11, a. 2. Codex autem Juris Canonici his verbis hæreticum describit: « Post receptum baptismum si quis, nomen retinens christianum, *pertinaciter* aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, hæreticus » (can. 1325, § 2).

2. *Hæresi proxima* illa est quæ communi propemodum omnium sententia de fide esse censetur, etsi ab Ecclesia non sit definita.

3. *Hæresim sapiens* est illa propositio quæ dat ansam timendi, ne lateat hæresis. V. g. dicere: Ridiculum est circumferre Sacramentum Eucharistiæ per vias publicas.

4. *Erronea* dicitur, quæ immediate opponitur veritati *mediate revelatæ*.

5. *Errori proxima* et 6. *errorem sapiens* propositio ob easdem causas, proportione servata, dicitur atque de hæresi retulimus.

7. *Male sonans* dicitur, quæ habet sensum congruentem fidei, verba autem non congrua.

8. *Captiosa* aut *simplicium mentium seductiva*, dicitur propositio, quæ verbis haud male sonantibus sensum fidei non congruentem importat.

9. *Temeraria* proprie illa est, quæ circa fidei doctrinam absque sufficienti fundamento aliquid affirmat aut negat.

10. *Piarum aurium offensiva* propositio verum quidem dicit, at id tali modo, ut sanctis contemnendis ansa præbeatur.

11. *Scandalosa* dicitur propositio, quæ in materia morum occasionem præbet ruinæ spiritualis.

12. *Blasphema* dicitur, quæ saltem in verbis et modo, injuriam aliquam Deo aut ejus sanctis irrogat.

13. *Schismatica* est, quæ Ecclesiæ membrorum unitati adversatur.

14. *Seditiosa* vocatur, quæ ad obedientiam principi detrahendam et ad tumultus in republica excitandos comparata est.

15. *Injuriosa* vocatur, quæ charitatem et justitiam proximo debitas lædit, præsertim illis qui conspicui sunt honore.

B) **Qua fide veritates ab Ecclesia propositæ credi debeant.**

Fides multiplex. — Jam alio loco distinximus inter fidem divinam et fidem ecclesiasticam. Triplex in casu nostro distinguitur fides; sc. divina, catholica et ecclesiastica. *Fides divina* illa est cujus assensus innititur revelatione divina immediate. *Catholica fides* dicitur illa cujus objectum ab Ecclesia proponitur. Quoad assensum tamen idem est ac fides divina. *Fides ecclesiastica* innititur assistentia Spiritus Sancti ad custodiendum et explicandum fidei depositum. — Hinc, fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive solemni judicio sive *ordinario et universali magisterio* tamquam divinitus revelata credenda proponuntur. Ita Conc. Vat. Sess. III, c. III; Denz. n. 1792. — Objectum vero fidei ecclesiasticæ sunt ea quæ pertinent ad objectum secundarium infallibilitatis. — Quantum ad alia judicia Ecclesiæ doctrinalia quæ infallibilitatis prærogativa innita non sunt, hæc *religioso assensu* tenenda sunt. Primo quidem propter auctoritatem magisterii, secundo propter assistentiam Spiritus Sancti, et tertio ob necessitatem vitæ christianæ et ecclesiasticæ.

Nota: Quæstiones de evolutione dogmatum ad proprium tractatum relinquimus, sc. ad *Historiam dogmatum*.

QUÆSTIO X.

De Potestate Ecclesiæ [1].

Ratione infallibilitatis, ut supra posuimus, Ecclesia jus habet docendi atque dirigendi fideles in vitam æternam. Ad jus docendi quod attinet jamjam tractavimus in quæstione de magisterio. Habetur igitur nunc alia quæstio, videlicet: de jure dirigendi fideles in hac vita respectu ad vitam æternam. Agitur enim de Potestate Ecclesiæ. Sermo, ergo, non est, ut patet, de potestate ordinis, sed de potestate jurisdictionis seu regiminis, non quidem fori interni seu conscientiæ, verumtamen *fori externi*, seu extra-sacramentalis (Cfr. *C. J. C.* can. 196). — Potestas jurisdictionis generatim considerata definiri potest: « Jus dicendi in alterum, etiam invitum ». Ita Billuart, *De ordine*, D. IV, art. 1, in princ. — Hoc, autem, jus ad tria extendimus, sc. ad leges ferendas, ad judicandos fideles, et ad eos coercendos, etiam pœnis temporalibus. Propterea sermo est: *Primo*, de potestate Ecclesiæ legislativa; *Secundo*, de potestate judiciaria; *Tertio*, de potestate coactiva.

Articulus I.

UTRUM CHRISTUS ECCLESIÆ DEDERIT POTESTATEM LEGISLATIVAM

Status et sensus quæstionis. — Potestas, ait S. Thomas, est potentia activa cum aliqua præeminentia (IV Sent., D. XXIV, q. I, a. I, quæstiuncula 2, ad 3um). Potentia activa cum præeminentia hic habetur ad leges ferendas. Agitur non solum de existentia hujus potestatis in Ecclesia, sed etiam de origine ipsius, sc. an sit a Christo et immediate quidem. Per legem intelligimus: « quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui præest communitati promulgata » (I-II, q. 90, a. 4). — Præceptum autem « importat applicationem legis ad ea quæ ex lege regulantur » (*l. c.*, a. 2, ad 1um). Propterea differt præceptum a lege, 1) quia natura sua transitorium est; 2) quia non fertur, ex sese, ad totam communitatem, quæ complexa est et per diversa munera finem attingit. Attamen, potestas legislativa, sine dubio, etiam ad præcepta ferenda extenditur. Etenim, qui potestatem habet legem condendi et promulgandi, habet etiam potestatem legem applicandi, ubi et quando opus est. Definitur igitur potestas legislativa: « *Potestas faciendi ordinationes ad bonum commune, quæ in conscientia obligant* ». Dicitur quod in

---

[1] Cfr. Tanquerey, *De Ecclesia*, ed. XV, p. 547 et seqq.

conscientia obligant, quia omnis lex justa secumfert in subditis officium eam observandi (II-II, q. 186, a. 9 ad 1um).

Adversarii. — 1) Jam sæc. IV *Arius* Ecclesiæ negavit potestatem quoad leges jejunii, quem *Valdenses* secuti sunt in medio ævo. 2) *Lutherus* decrevit: « Christianis nihil ullo jure posse imponi legum sive ab hominibus, sive ab angelis » (*De captiv. Babyl.*). 3) *Marsilius Patavinus* dicebat Ecclesiam pro rebus exterioribus nullam nisi principum concessu facultatem possidere. 4) *Acatholici* qui constitutionem Ecclesiæ hierarchicam negant, legislativam potestatem Ecclesiæ rejiciunt.

Ad Articulum respondetur *affirmative*, et est *de fide*. Consequitur: 1. Ex magisterio Ecclesiæ universali. Universa Ecclesia hanc potestatem ipsam habere tenet et docet atque negantes tamquam hæreticos considerat. — 2. Ex declarationibus Ecclesiæ. Nempe: *a*) ex Syllabo Pii IX, cfr. Denz. nn. 1719 et seqq.; *b*) ex damnatione articulorum Marsilii Patavini, quibus hanc nostram thesim negabat, uti Sacræ Scripturæ contrarii, et fidei catholicæ inimici, hæretici etc. Cfr. Denz. nn. 495 et seqq.; *c*) ex Bulla « *Auctorem Fidei* », ubi sententia contraria damnata est ut *hæretica; d*) denique ex declaratione Concilii Florentini, sc. quod Romanus Pontifex *plena* gaudet potestate jurisdictionis. Denz. n. 1831.

Probatur Articulus. — **Arg. I.** *Ex notione societatis perfectæ.* Patet enim quod societas nullo modo potest esse perfecta, si potestatem legislativam non habet.

Arg. II. *Ex verbis et institutionibus Christi.* — Potestatem enim Christus Ecclesiæ dedit ligandi atque solvendi, Mt. XVIII, 18. Hæc verba efficaciam Ecclesiæ designant, quæ ad ferendas leges certe extendi potest. Pronuntiantur enim hæc Christi verba immediate post hæc alia: « DIC ECCLESIÆ: *Si autem Ecclesiam non audierit...* ». Ecclesia autem etiam per legem audiatur. Et hæc supremum munus S. Petri confirmant cui datum est confirmare fratres et pascere agnos et oves. Quæ omnia, sine potestate leges condendi atque ferendi, effici nequeunt.

Arg. III. *Ex praxi Ecclesiæ a tempore apostolorum usque nunc.* — Hanc potestatem divinitus Ecclesiæ datam manifestaverunt apostoli in primo Concilio, sc. Hierosolymitano, ubi legem præscripserunt christianis, ut abstinerent ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocato. Act. Ap. XV, 29. — Plura alia mandata *S. Pauli* in ejus epistolis inveniuntur, uti de conditionibus episcoporum et presbyterorum ordinandorum, de viduis, de velamine capitis mulierum in Ecclesia. — *Didaché* autem codex quidam est primitivæ Ecclesiæ quoad vitam practicam ipsius. — *S. Clem. Rom.* auctoritative Corinthiorum Ecclesiam ad concordiam et obedien-

tiam Episcoporum exoptavit. — Et semper Ecclesia, conditionibus exortis, leges, ad fideles ducendos, tulit.

OBJECTIONES

Objectio I. — Quæ ad directionem hominum necessaria, omnia a Christo in evangelio statuta sunt. Ergo inutilis est potestas legislativa in Ecclesia.

Resp.: *Dist. antec.:* Omnia statuta sunt quantum ad principia, *conc.;* quantum ad applicationem principiorum secundum circumstantiarum necessitates, *nego.*

II. — Quæ ad exteriorem hominum disciplinam ordinantur, sub potestate civili cadunt. Ergo Ecclesia potestate legislativa, quoad externa, minime pollet.

Resp.: *Dist. antec.:* Quæ ad exteriorem hominum disciplinam *mere civilem* ordinantur, cadunt sub potestate civili, *conc.;* quæ vero externe ordinantur ad disciplinam religiosam, cadunt sub potestate civili, *nego.* — Circa hanc particularem quæstionem jam aliquid statuimus in quæstione IV, art. 1.

III. — Ad societatem spiritualem pertinet leges circa spiritualia tantum ferre. Ergo...

Resp.: *Dist. antec.:* Ad societatem pure et in omnibus spiritualem pertinet leges circa spiritualia tantum ferre, *conc.;* ad societatem quæ ratione finis et objecti formalis est spiritualis, non vero in omnibus ratione objecti materialis, pertinet leges circa spiritualia tantum ferre, *nego.* Quamvis enim Ecclesia de mundo non sit, tamen ipsa in mundo est, et fideles in *hoc* mundo habet ad finem supremum dirigere, divinitus quidem [1].

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS ECCLESIÆ DEDERIT POTESTATEM JUDICIARIAM

Status et sensus quæstionis. — Quæritur nunc utrum potestas Ecclesiæ jurisdictionis se extendat ad judicandos suos subditos de suis legibus. Evidens est quod potestas legislativa jus etiam importat judicandi de vero legum ecclesiasticarum sensu. Nemo, enim,

---

[1] Ad rem *Monsabré:* « Cette admirable intelligence et cette misericordieuse bonté de l'Eglise se révèlent encore dans la manière dont elle applique ses propres lois. Sans nuire à l'unité fondamentale des pratiques chrétiennes, elle sait tenir compte des temps, des lieux et des circonstances, diversifier les pompes de son culte et la rigueur de ses prescriptions selon le génie, le tempérament, les habitudes des peuples qu'elle gouverne; aller au-devant des prévarications, en adoucissant sa discipline; chercher avec une pieuse industrie, dans nos observances, un *minimum* dont Dieu se contente, et dont ne peuvent se plaindre ni les forces défaillantes de nos corps ni la générosité amoindrie de notre foi et de notre amour » (*Conf. de Notre-Dame;* Carême 1882, conf. LVII).

potest ita perfecte interpretare leges sicut conditor ipsarum. — Judiciaria potestas, igitur, definitur: « *Facultas judicandi cum auctoritate de vero legum sensu et de sociorum actionibus quoad ipsas leges* ». — Causæ efficiens et finalis in hac definitione non exprimuntur, sed subintelliguntur. Causa finalis proxima est determinare jus proprium; remota vero est salus animarum procuranda. Tota quæstio autem versatur circa causam efficientem. An sc. Christus Ecclesiæ dederit potestatem judiciariam. Agitur proprie de foro externo seu extra-sacramentali. De potestate judiciaria in foro interno sermo est in tractatu de Pœnitentia.

Adversariorum sententiæ. — Particulares adversarii contra hanc thesim sunt:

1) Pufendorf et alii qui Ecclesiam considerant non ut regnum, cui potestas judiciaria competat, sed tamquam *collegium* dumtaxat.

2) Alii, cum quibus etiam ipse Pufendorf, dicunt Christum non proprie legislatorem fuisse, sed *ad instar legislatoris.*

3) Van Espen tenet Ecclesiam potestatem accepisse a Statu.

Prænotamina. — I. Quod ad extensionem hujus potestatis objecti attinet, regula generalis est, ait De Groot, eas causas ad forum ecclesiasticum pertinere, quas necesse est judici ecclesiastico subjacere, ut Ecclesia finem sibi proprium, salutem, nempe, animarum, convenienter attingere possit. Pro regula particulari habentur Ecclesiæ definitiones, Codex Juris Canonici, Decreta Ss. Pontificum, et similia...

II. Ad rationem judicii quatuor requiruntur: actor, reus, causa et judex.

Ad Articulum responsio est *affirmativa*, et *saltem fidei proxima.* Nam, sententia hæretica est, quæ negat Ecclesiam potestate coactiva pollere. Unde, videtur *a fortiori* hoc verum esse quantum ad potestatem judiciariam. Cfr. Denz. nn. 1504, 1505, 1698. Nota sunt digna verba Leonis XIII: « Jesus Christus Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adjuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum genuina, quæ hinc consequitur, judicandi puniendique potestate » (Encycl. *Immortale Dei*).

Probatur Articulus. — **Arg. I.** *Ex ratione societatis perfectæ.* — Si enim societas judicandi facultatem non habet, neque est sibi sufficiens, neque ab alia societate independens.

Arg. II. *Ex Sacra Scriptura.* — *a*) *Ex verbis Christi:* « *Dic Ecclesiæ;* si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus » (Mt. XVIII, 17). Hæc verba certo certius supponunt judicium Ecclesiæ. Simili modo, verba Christi ad apostolos: « Quæcumque alligaveritis super terram etc. » (Mt. XVIII, 18) potestatem

judiciariam in Ecclesia supponunt. Quomodo enim apostoli alligare aut solvere possent, si potestatem judicandi non haberent?

b) *Ex verbis et praxi apostolorum.* — Verba S. Pauli *ad Tim.*: « Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus » (I Tim. v, 19), hæc verba evidenter potestatem judiciariam indicant. Similiter quando Apostolus vocat Ecclesiam *columnam et firmamentum veritatis*, hanc potestatem supponit. Item, eam in praxi exercuit Apostolus tum in Hymenæum et Alexandrum, tum in Corinthium incestuosum. Cfr. I Tim. I, 20; I Cor. v, 1-6.

Arg. III. *Ex Traditione.* — *S. Clemens Romanus, S. Ignatius Antiochenus* et *S. Polycarpus* obedientiam inculcant fidelibus erga episcopos. Immo S. Clem. inobedientiam *vanam seditionem* vocat (*Ad Cor.* LXIII, 1). Quibus principium saltem potestatis judiciariæ includitur. — *Tertullianus* affirmat in christianorum conventibus « magno cum pondere » judicari (*Apol.* c. XXXIX). — *S. Cyprianus* memoriæ prodidit Jovinum et Maximum « ob nefanda sacrificia et crimina, in se probata, sententia novem (episcoporum) condemnatos » fuisse etc. — Quantum ad praxim Conciliorum clara omnino est assertio ecclesiasticæ historiæ studentibus.

Articulus III.

UTRUM CHRISTUS ECCLESIÆ DEDERIT POTESTATEM COACTIVAM

Status et sensus quæstionis. — Quidam potestatem Ecclesiæ legislativam et judiciariam admittentes, potestatem coactivam negant. Dicunt enim hanc potestatem contradicere fini Ecclesiæ spirituali, immo supernaturali. Contra hos, ergo, specialem articulum instituere oportet, ac *primo* quærimus in genere utrum Ecclesia habeat potestatem coactivam, postea (*secundo*) in speciali, utrum talis potestas se extendat ad pœnas temporales. — Quoad sensum quæstionis, notandum est quod agitur hic *de potestate puniendi reos*. Quæritur: utrum in Ecclesia adsit talis potestas, seu jus et officium, divinitus ei latum, reos puniendi *ad eorum emendationem, et ad redintegrationem æqualitatis justitiæ*. Etenim, « pœna ecclesiastica, secundum jus vigens, est privatio alicujus boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem, a legitima auctoritate inflicta » (can. 2215). — Unde, quamvis in jure existant etiam pœnæ sic dictæ *vindicativæ*, tamen omnes pœnæ ecclesiasticæ ad unum finem reducuntur, videlicet: ad correctionem fidelium et salutem animarum. Quæstio est igitur: An Ecclesia a Christo potestatem obtinuerit fideles bonis privare (hoc est punire) ad emendationem eorum et salutem animarum; vel, e contra, debeatne Ecclesia fideles delin-

quentes corrigere et admonere tantum, et deinde relinquere eos in plena libertate?

NB. Ad naturam pœnæ quod attinet, cfr. S. Thomam, *S. Theol.*, I-II, q. 87, a. 1.

Momentum hujus quæstionis jam manifestum est: Defenditur enim jus Ecclesiæ infligendi pœnas, sine quo (jure) Ecclesia societas perfecta et regnum dici non potest. Defenditur etiam Ecclesia contra calumnias infinitas quoad exercitium hujus potestatis in medio ævo per *tribunal inquisitionis*. Sed de hoc specialiter agendum est in art. sequenti.

Prænotamina: 1) Quid sit potestas, jam diximus in art. 1 hujus quæstionis. — Jam dedimus etiam definitionem *pœnæ ecclesiasticæ*, et diximus eam esse privationem alicujus boni, etc. — Si privatio est boni spiritualis, pœna dicitur *spiritualis;* si vero fit privatio alicujus boni temporalis, tunc pœna dicitur *temporalis*. Quandoque tamen pœna est *mixta*.

2) *Pœna medicinalis* seu *censura* est qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis, privatur, donec, a contumacia recedens, absolvatur (can. 2241). — Censuræ sunt: excommunicatio, interdictum, suspensio. — *Pœnæ vindicativæ* illæ sunt, quæ directe ad delicti expiationem tendunt, ita ut, earum remissio e cessatione contumaciæ delinquentis non pendeat (can. 2286).

Ad Articulum responsio est *affirmativa*, et contraria sententia damnata est ut hæretica; ita Pius VI contra errores synodi Pistoriensis. Cfr. Denz. nn. 1504, 1505.

Probatur Articulus. — **Arg. I.** *Ex natura societatis perfectæ.* — Societas perfecta habet potestatem coactivam. Atqui Ecclesia est societas perfecta. Ergo...

Major probatur: Societas perfecta illa est quæ in ordine suo est sibi sufficiens, et a quacumque alia independens. Atqui societas ut sit sibi sufficiens etc., requirit potestatem *coactivam*. Ergo... — *Probatur minor:* Ratio: quia sine potestate coactiva societas non potest attingere suum finem viribus propriis et mediis; unde esset ab aliis societatibus dependens, et nullo modo sibi sufficiens.

Confirmatur auctoritate S. Thomæ, qui de lege dicit: « Lex de sui ratione (cum sit a ligando) duo habet: primo quidem, quod est regula humanorum actuum; secundo quod habet *vim coactivam* » (I-II, q. 96, a. 5).

Arg. II. *Ex Sacra Script.* — *a*) *Ex Evangelio*. Mt. XVIII,15-17: « ... Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus ». Ecclesia ergo habet divinum jus sodales puniendi eosque, ubi necesse est, excommunicandi.

b) *Ex Epistolis S. Pauli.* — 1º ex dictis; 2º I Cor. IV, 21: « Quid vultis? In virgam veniam ad vos? » Item, « In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam » (II Cor. X, 6). Atque iterum: « Hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi » (II Cor. XIII, 10). Similiter, in II ad Thessal. III, 14 hæc coactiva potestas indicatur, necnon finis ejus. Dicit enim « Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate et ne commisceamini cum illo, ut confundatur ». Item, ad observantiam Evangelii coëgit Apostolus in II Cor. XIII, 2: « Prædico... iis qui ante peccaverunt, et ceteris omnibus, quoniam, si venero iterum, non parcam ». Cfr. etiam I Cor. V, 11; II Joan. I, 10; I Cor. V, 3-5.

Arg. III. *Ex Traditione.* — Constat enim ex historia ecclesiastica Ecclesiam hanc potestatem coactivam exercuisse. Cfr. Marx, *H. E.*, passim.

Confirmatur: 1) Ex eo quod Ecclesia est regnum. In regno autem adest princeps qui præmiis et pœnis homines sibi subjectos ab iniquitate coërcet et ad opera virtuosa inducet (S. Thomas, *De reg. princ.*, lib. I, 15).

2) Ex eo quod sine hac potestate unitas Ecclesiæ, fidei, regiminis, cultus, servari nequit.

3) Ex eo quod si hac potestate Ecclesia careret, fideles in casu appellarent ad societatem civilem, et sic Ecclesia a Statu judicaretur.

OBJECTIONES

Objectio I. — Potestatem habet Ecclesia ad suum finem attingendum. Atqui potestate coactiva Ecclesia non attingit suum finem. Ergo...

Prob. min. Finis Ecclesiæ est salus animarum. Atqui salus animarum attingitur per exercitium libertatis, non vero per coactionem. Ergo...

Resp.: Finis Ecclesiæ attingitur per exercitium libertatis veræ, *concedo;* falsæ, *nego.* Atqui coactio destruit libertatem; *distinguo:* destruit libertatem Ecclesiæ, *nego;* destruit libertatem individuorum, *subdistinguo:* libertatem vitiosam, *concedo;* libertatem sanctam, *nego.*

Explico: Potestas coactiva nedum libertatem non destruit (sc. quando ista potestas bene est ordinata), sed ita eam custodit, ut sine ipsa, libertas existere nequit in praxi. Nam, potestas coactiva in Ecclesia non solum ad correctionem fidelium ordinatur, verum etiam ad redintegrationem justitiæ, sine qua vera libertas non haberetur, sed e contra servitus regnaret. Si autem delinquens contumax efficitur, hoc malum esset ex *abusu* libertatis ipsius delinquentis.

Unde necessitas quam Ecclesia imponit, illa est felix, quæ ad meliora compellit, ut S. Aug. dicit. Et Psalmista his verbis significat: « Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt » (Ps. XXII, 4).

Instantia I: Atqui potestas coactiva destruit veram et sanctam libertatem. Ergo... — Nam, vera et sancta libertas illa est quæ apud Deum est meritoria. Atqui potestas coactiva destruit meritum. Ergo...

Resp.: *Dist. min.:* Potestas coactiva destruit meritum per accidens, *concedo*, scil. si ipse deliquens est contumax; per se, *nego*. Etenim potestas coactiva per se ordinatur ad sanctam libertatem efficiendam et custodiendam.

Instantia II: Atqui potestas coactiva *per se* destruit veram libertatem et meritum. Ergo... Nam, quod per se compellit libertatem, per se eam destruit. Atqui potestas coactiva per se compellit libertatem. Ergo...

Resp.: *Dist. maj.:* Quod *per se* compellit libertatem (i. e. voluntatem) ad pejora, per se, ipsam destruit, *concedo;* quod per se compellit ad meliora, libertatem destruit, *nego*. Hoc autem libertatem perficit.

Instantia III: Atqui etiam compellendo ad meliora destruitur libertas. Ergo... Compellendo ad meliora aufertur meritum. Ergo aufertur libertas.

Resp.: Aufertur meritum per accidens, *concedo;* per se, *nego*. — Nam, potestas coactiva compellit ad meliora non physice sed moraliter, quoad voluntatem; voluntas enim remanet libera, adeo ut possit eligere actum meritorium, quem *debet* eligere. Potestas coactiva compellit (moraliter, seu physico-moraliter) voluntatem ut hæc eligat bonum actum. « De qua re Doctor Angelicus multa sæpe disputat, ex quibus effici cogique potest *facultatem peccandi non libertatem esse, sed servitutem* ». Ita Leo XIII, in Encyc. « *De libertate hominum* ». Cfr. circa hanc materiam Del Prado O. P. in *De Gratia*, vol. III, p. 174. Hic notandum est quod sufficit indifferentia substantialis ad libertatem, sicut est in beatis.

II. — Potestas coactiva datur Ecclesiæ (sec. thesim expositam) ad hoc ut Ecclesia attingat suum finem. Atqui Ecclesia certissime attingeret suum finem per assistentiam Spiritus Sancti, etiam sine potestate coactiva. Ergo frustra datur ista potestas.

Resp.: *Dist. min.:* Ecclesia habet assistentiam Spiritus Sancti, quæ operatur in Ecclesia per causas secundas, *concedo;* sine ipsis, *subdistinguo:* si Deus ita voluisset, *concedo;* secundum Dei voluntatem nobis manifestam, *nego*.

Articulus IV.

UTRUM POTESTAS COACTIVA ECCLESIÆ AD PŒNAS ETIAM TEMPORALES EXTENDATUR

Status et sensus quæstionis. — Jam supra aliquid diximus de præsenti quæstione: hic vero specialiter de ipsa tractamus. — Sensus quæstionis non est utrum Ecclesia jus habeat decernendi pœnas *ad exercitium alicujus virtutis*, e. g. temperantiæ per jejunium; sed quæritur de jure Ecclesiæ imponendi pœnas quæ immediate et directe bona temporalia et corporalia afficiunt, sicut in societate civili.

Ad Articulum respondetur *affirmative*. Sententia contraria est *erronea, temeraria*, sed non est hæretica; quia pœnæ temporales non propriis terminis exprimuntur in definitionibus Ecclesiæ. Quidam tamen theologi putant sententiam contrariam hæreticam esse.

Probatur Art. — **Arg. I.** Potestas coactiva pœnas, humanæ naturæ proportionatas, statuere debet. Atqui pœnæ, naturæ humanæ proportionatæ, sunt temporales. Ergo potestas coactiva pœnas temporales statuere debet.

Quod pœnæ naturæ humanæ proportionatæ sunt temporales patet tum theoretice, tum practice. *Theoretice*, quia pœna est privatio alicujus boni hominis; bonum autem hominis est spirituale et temporale, unde pœna est vel spiritualis vel temporalis, vel mixta. *Practice*, vero, *a*) quia potestas civilis coactiva pœnis temporalibus exercetur; *b*) propter triplex bonum quod ex pœnis temporalibus nobis sequitur, sc. *Primo*, quantum ad ipsum reum, quia, ut notat S. Thomas, « qui in peccato est, non habet gustum sanum, ut ex dulcedine divinæ bonitatis a peccato revocetur; sed habet affectum infectum amore sui inordinato; et ideo per pœnas quæ naturæ suæ contrariantur et voluntati, a peccato revocatur » (*In Sent.* IV, 14, q. I, art. 2, q. 1, sol. 1). — *Secundo*, quantum ad alios. « Cohibentur autem aliqui a peccando, qui affectum virtutis non habent, per hoc quod timent amittere aliqua quæ plus amant quam illa quæ peccando adipiscuntur: alias timor non compesceret peccatum... Hæc sunt autem quæ homo maxime diligit: vitam, incolumitatem corporis, libertatem sui, et bona exteriora, puta divitias, patriam et gloriam » (II-II, q. 108, art. 3; cfr. *C. Gent.* l. III, 141). — *Tertio*. Quod redintegretur æqualitas justitiæ. Etenim, « Omnis actus peccati procedit ex aliquo *inordinato* appetitu alicujus *temporalis boni* » (I-II, q. 77, art. 4). Consequenter, recte justitia per pœnas temporales restituitur.

Arg. II. *Ex Sacra Scriptura.* — *a*) *Principia:* Prov. XIII, 24: « Qui parcit virgæ, odit filium ». S. Paulus I Tim. V, 20: « Peccantes coram omnibus argue: ut et ceteri timorem habeant ». Et apertius in I Cor. V, 5 de incestuoso: « tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit ».

b) *Exempla:* Quod potestas coactiva ad pœnas etiam temporales se extendat depromitur ex verbis Christi: « Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus » (Mt. XVIII, 17). Ex hac sententia enim infamia profluit, quæ est alicujus boni privatio, sc. boni temporalis. Eruitur etiam ex ordinatione S. Pauli de Christiano contumaci: « hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur » (II Thess. III, 14). Similiter, ex textu allato de incestuoso.

Arg. III. *Ex Traditione.* — Ecclesia ab antiquissima ætate contra publicos peccatores pœnitentia publica usa est. Hæc materia ad historiam ecclesiasticam proprie pertinet, ideoque studentes ad hanc disciplinam remittimus. Cfr. si vis Marx, *H. E.*, pp. 95-96, ed. Ital. Attamen hic sequentia adnotamus:

a) Usus *virgarum et carceris* in primitiva Ecclesia viguit. Hunc enim supponit Gregorius Magnus in epistola ad Januarium Calaritanum episcopum.

b) Usus *exilii et multæ* tamquam pœnæ temporales ecclesiasticæ constat ex decretis Concilii Carthaginiensis (an. 398), Concilii Romani (an. 503) et aliorum conciliorum.

c) Contra duellantes Conc. Tridentinum, præter excommunicationem, omnium bonorum duellantium proscriptionem, necnon in perpetuam infamiam incursionem præscripsit. Sess. XXV, 19; cfr. sess. XXIV, 7; sess. XXI, 6; sess. XXIII, 1.

d) S. August. in *Retractationibus* (II, 5) confessus est dicens: « Nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum in eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ ».

e) Unde recte ait Leo Magnus: « Ad spirituale remedium nonnunquam recurrunt, qui timent temporale supplicium » (Ep. 4, alias 91 et 93).

f) Unde etiam Codex J. C., can. 2214, § 1, statuit: « Nativum et proprium Ecclesiæ jus est, independens a qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos pœnis tum spiritualibus, tum etiam temporalibus ».

OBJECTIONES

Objectio I. — Societas spiritualis media tantum spiritualia adhibere debet. Atqui Ecclesia est societas spiritualis, immo supernaturalis. Ergo...

Resp.: *Dist. maj.:* Societas mere spiritualis media tantum

spiritualia adhibere debet, *transeat;* societas ratione finis et principaliorum mediorum spiritualis, non vero ratione membrorum, adhibere debet tantum media spiritualia, *nego.* Explicatio habetur in Arg. I hujus articuli.

Instantia I: Atqui ratione finis et membrorum Ecclesia non debet uti vi contra errantes. Ergo stat difficultas. — *Prob. antecedens:* Ecclesia non debet uti mediis, quibus Christus nunquam usus est. Atqui Christus nunquam usus est vi contra errantes, in rebus fidei et morum. Ergo...

Resp.: *Dist. maj.:* Ecclesia non debet uti mediis quibus Christus nunquam usus est, si hæc essent contra voluntatem Christi, *concedo;* secus, *nego.*

Instantia II: Atqui Christus reprobavit vim coactivam. Ergo... — Probatur *antec.* ex verbis ipsius Christi: *a*) « Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde ». *b*) Ad Petrum gladio percutientem, Jesus ordinavit: « Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt » (Mt. XXVI, 52). *c*) Contra illos qui retro a Christo abierunt, ipse *nihil dixit*, sed ad discipulos suos conversus: « Numquid et vos, inquit, vultis abire? » (Joan. VI, 68).

Resp.: Hi textus nihil probant contra nostram thesim. Priores duo nihil habent contra potestatem Ecclesiæ coactivam, sed docent discipulos *quomodo* tolerare debent persecutiones, ut per patientiam vincant mundum, sicut ipse Christus promisit: « In mundo pressuram habebitis, sed confidite. Ego vici mundum ». — Ultimus textus, vero, non significat adprobationem vel tolerantiam hæreticorum, « qui sunt sicut ethnici et publicani »; neque significant Ecclesiæ potestatis coactivæ improbationem; sed inculcant humilem et affectuosam cum Christo unionem. Humilitatem commendabat qui opere apostolorum non indigebat. Amorem Christus quærebat ab illis qui sine ipso vivere nequibant.

Instantia III: Atqui verba in ultimo textu reprobant coactionem contra hæreticos. Ergo... — *Prob. antec.:* Commendare libertatem in credendo, indirecte significat reprobare coactionem. Atqui verba Christi commendant libertatem in credendo. Ergo...

Resp.: *Dist. maj.:* Commendare libertatem in credendo, significat coactionem reprobare ubi agitur de infidelibus negativis, *concedo;* ubi agitur de infidelibus privativis, *nego. Transeat* minor. *Distinguo* conclusionem sicut in *majori.*

Explico: Infideles negativi nullo modo sunt ad fidem compellendi, quia credere voluntatis est (II-II, q. 10, a. 8). Attamen, infideles privativi « qui quandoque fidem susceperunt, et eam profitentur, sicut hæretici, et quicumque apostatæ, tales sunt etiam *corporaliter compellendi*, ut impleant, et teneant quod semel suscepe-

runt ». Nam, « sicut vovere est voluntatis, reddere autem necessitatis: ita accipere fidem est voluntatis, sed tenere eam acceptam est necessitatis » (II-II, *l. c.*). Necessarium est quod tum singuli tum omnes (societas) fidem teneant.

II. — Infantes nihil Deo vovent in baptismo, quia non habent usum rationis. Ergo...

Resp.: Infantes nihil Deo vovent ex se ipsis, *concedo;* nihil Deo vovent alii pro illis, *nego.*

III. — Ergo qui pro infantibus, et non ipsi infantes ineunt pactum cum Deo.

Resp.: Qui pro infantibus, i. e. in nomine infantium et legitime quidem, ineunt pactum cum Deo, *concedo;* in nomine proprio, seu illegitime, *nego.*

Nam, infantes sunt baptizandi ut liberentur a servitute diaboli, et ut sint in Dei gratia. Parentes autem munus habent sacrum ut parvulus eorum quantocius baptizent, ut quos jam generaverunt in carne, generent quoque in Spiritu Sancto. Unde, adulti sicut vitam propriam, ex parentibus habitam, conservare tenentur; ita, immo a fortiori, conservare tenentur vitam animæ, quam per baptismum acceperunt.

IV. — Sed quod libere et voluntarie accipitur, libere quoque amitti potest.

Resp.: *Distinguo:* Si agatur de aliqua re quæ non secumfert officium eam retinendi in perpetuum, *concedo;* secus, *nego.* — Nam, sunt quædam quæ semel et libere accepta non possunt abjici sine gravissimo crimine. Natura, enim, ipsorum postulat perpetuitatem officii. Ita, v. g., unio matrimonialis per sacramentum. Ita etiam quoad fidem, quæ accipitur semel pro semper.

APPENDIX. — Quod ad inquisitionem ecclesiasticam attinet, notandum est quod adversarii multum confundunt. Etenim: *a*) Ecclesiæ attribuunt jura antiqua potestatis civilis, uti torturæ etc.; *b*) confundunt inquisitionem ecclesiasticam cum illa Hispanica; *c*) loquuntur de inquisitione ecclesiastica ac si ipsa sine concursu societatis civilis operabatur; *d*) Ecclesiæ attribuunt etiam abusus inquisitionis civilis; *e*) valde exaggerant præsertim quoad numerum pœnarum capitalium. Cfr. si vis *Hist. Eccles.*

Notandum est insuper quod Ecclesia pœnas temporales statuit secundum convenientiam circumstantiarum et temporum. Tempore medii ævi autem hæretici a Statu quoque considerabantur tamquam malefactores et rempublicam perturbantes. Cfr. Sylvius in II-II, q. 11. — Recte igitur protestanticus Auctor A. I. Tuberville (*Medioeval heresy and the inquisition,* London, 1920) opus *Lea* corrigit

atque ostendit: *a*) hæreses medii ævi tales fuisse ut juxta conditiones temporis puniri mererentur; *b*) sententias mortis fuisse paucas, relate ad sententias alias, ac potius ad exemplum statuendum latas fuisse. Cfr. Schultes, *l. c.*, p. 347.

QUÆSTIO XI.

De Relationibus inter Ecclesiam et Statum.

Expleto de Ecclesia tractatu, ad complementum ipsius quod attinet, tres aliæ quæstiones considerandæ sunt; nempe: de relatione inter Ecclesiam et Statum, de Romano Pontifice et de Conciliis. — Circa primam quæstionem quærimus: *Primo*, utrum Ecclesia Statui subordinetur; *secundo*, utrum Ecclesia a Statu, et Status ab Ecclesia sejungendus sit; *tertio*, utrum Ecclesia habeat potestatem in temporalia.

Articulus I.

UTRUM ECCLESIA SUBORDINETUR STATUI

Status et sensus quæstionis. — Statuimus in quæstione tertia hujus studii Ecclesiam Christi, sc. Romanam, perfectam esse societatem. Eadem, vero, gaudet perfectione societas civilis, seu Status. Leo XIII in Encyclica « *Immortale Dei* », dicit quod unaquæque istarum societatum maxima est in genere suo; utraque sibi sufficiens est ad proprium finem proximum consequendum: « *Habet utraque certos, quibus contineatur terminos, eosque sua cujusque natura causaque proxima definitos; unde aliquis velut orbe circumscribitur, in quo sua cujusque actio jure proprio versetur* ». Secundum hoc utraque est independens ab altera. Attamen, cum unus et idem sit Auctor tum ecclesiasticæ tum civilis societatis, scilicet Deus, qui omnia creata et in creaturis omnia sapientissime ordinavit, quæritur, quænam inter Ecclesiam et Statum, secundum Dei voluntatem seu ordinationem, debet esse relatio, seu ordo.

Momentum quæstionis gravissimum est, prout omnibus, qui experientiam vitæ socialis habent, patet. Fere omnes doctissimi Leonis XIII Encyclicæ ad hunc finem ordinatæ sunt: ut videant populi et nationes veras atque necessarias quae existere debent relationes inter Ecclesiam et Statum. Quam maxime nostris temporibus agitatur hæc quæstio; et si populi Ecclesiæ doctrinam accepe-

rint, sine dubio, ad veram, nedum spiritualem, verum etiam materialem concordiam et prosperitatem pervenient.

Sententiæ Adversariorum et Catholicorum. — Quia multæ sunt sententiæ in hac materia, quæ intelligentiam historiæ ecclesiasticæ supponunt, studentes ad illam disciplinam remittimus, et plura ad explicationem relinquimus. Hic vero sequenti schemate omnia brevissime includimus:

Systemata

- 1. Subordinationis Ecclesiæ Statui
  - 1. Sub Imperio Romano usque ad ann. 313. — Iterum, in Med. Ævo per « Theorias Conciliares ».
  - 2. Protestantismus.
    - *a*) Systema Episcopale — « Jus episcoporum suspensum in Pace Vestfaliensi, translatum in Principes ».
    - *b*) Syst. Territoriale — « Potestas Eccl. emanatur a potestate civili ».
    - *c*) Syst. Collegiale — « Potestas transit a communitate ad principes » Cfr. Marx, H. E., p. 524.
    - *d*) Cæsaropapismus: « Suprema potestas residet in Rege ».
  - 3. Systemata Catholicorum damnata.
    - Gallicanismus.
      - 1. Jus advocatiæ et protectionis.
      - 2. Jus supremi dominii in bona ecclesiastica.
    - Jansenismus.
      - 3. Jus reformandi, urgendique canones.
      - 4. Jus supremæ inspectionis.
    - Febronianismus. - 5. Jus cavendi (præventivum).
    - Josephinismus.
      - 6. Jus placiti et exequatur.
      - 7. Appellatio tamquam ab abusu.
  - 4. Hegelianismus: « Statum esse divinam voluntatem quæ ad organizationem mundi se explicat ».
- 2. Dissociationis
  - 1. Kant: « Separanda est moralis a religione ».
  - 2. Machiavelli et Cavour: « Libera Ecclesia in Statu libero ».
  - 3. Harnack: « D'altra parte bisogna guardarsi dall'esagerare l'atteggiamento di Gesù rispetto all'autorità. Comunemente si prende a fondamento il versetto notissimo: « *Rendete* adunque *a Cesare le cose di Cesare, e a Dio le cose di Dio* », ma queste parole sono spesso fraintese. Le interpreta falsamente chiunque crede che Gesù abbia in Dio ed in Cesare riconosciuto le due autorità esistenti in ogni luogo l'una accanto all'altra ed intimamente congiunte tra loro. Non fu questo il pensiero di Gesù; anzi egli affermò *la separazione delle due potestà...* » (*Essenza del Cristianesimo*, Conf. VI, punto III).
- 3. Superioritatis Ecclesiæ Statui
  - 1. *Directa:* « Jus in principem provenit a Summo Pontifice. — Exercitium juris habetur independenter ab ipso ».
  - 2. *Directiva:* « Potestas docendi et exhortandi ubi et quando oportet ».
  - 3. *Indirecta:* « Ratione connexionis cum spiritualibus ».

Prænotamina: 1. Quædam principia statuenda sunt ad quæstionem solvendam: Agitur de potestate et de relatione potestatum Ecclesiæ et Status. Propterea recolendum est: *a*) quod Fons Potestatis est Deus; etenim, testante Apostolo, « non est potestas nisi a Deo » (*Rom.* XIII, 1).

b) Tantum, igitur, una societas alteri subditur, ratione potestatis, quantum Deus præordinavit. Secundum S. Thomam, « in tantum sæcularis potestas est sub spirituali, in quantum est ei a Deo supposita, sc. in his, quæ ad salutem animæ pertinent ». *De Reg. princ.*, I, 14.

c) Societates distinguuntur ratione finis. Finis proximus societatis civilis est comparare bonum temporale et mundanum; *supposito fine ultimo*. Propterea, Status debet opportunitates afferre ad bonum civium summum atque ultimum. — Finis proximus Ecclesiæ est salus animarum. Potestas, igitur, ecclesiastica et potestas civilis sunt distinctæ; unaquæque summa in genere suo.

d) Excellentia societatis sumitur ex fine. Unde, ordo societatum ita se habet sicut ordo ipsorum finium. Ex quo sequitur quod finis potestatis sit mensura excellentiæ ipsius potestatis.

e) Finis ultimus utriusque societatis, i. e. ecclesiasticæ et civilis, est Deus.

2. Duplicem subordinationem Ecclesiæ ad Statum distinguimus et refellimus. *Prima* directa dicitur. Hæc ponit Ecclesiam Statui subjici *ratione sui* (i. e. Ecclesiæ). *Altera*, indirecta vocatur, et subdit Ecclesiam Statui ratione ordinis Ecclesiæ ad Statum: « quasi ligari posset Ecclesia, quotiescumque bonum temporale id postulare videtur ». Cfr. De Groot, p. 424.

Ad Articulum respondetur omnino negative: Ecclesia nullo modo Statui subordinatur, neque directe, neque indirecte, vel quocumque alio modo, quando agitur de rebus quæ ad Ecclesiam spectant. — Hæc est doctrina Catholica. Sententia contraria damnata est expresse in Syllabo Pii IX, § VI. — Unde sententia contraria est certissime temeraria; immo, secundum nostrum judicium, est *hæresim sapiens*, quia dat ansam timendi, ne lateat hæresis negans Ecclesiam perfectam esse societatem cujus finis superior est Status fini.

Probatur Articulus. — **Arg. I.** *Ex ordinatione divina.* — Voluntas Dei hac in re nobis manifestatur in Novo Test. Ibi Christus suam Ecclesiam evidenter videtur instituere omnino independentem a Statu. Hoc etiam ipse Harnack admittit (*l. c.*). Sed constat: 1) Ex eo quod Christus suam Ecclesiam instituit *auctoritate propria;* eamque promulgavit potestate quam ipse acceperat a Deo. « *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra: euntes ergo docete omnes* » (Mt. XXVIII, 18, 19). — 2) Quia etiam Statu (seu potestate

civili) refragante, hæc Christi potestas exerceri oportet; dixit enim Jesus: « *In synagogis suis flagellabunt vos; et ad præsides et ad reges ducemini propter me* » (Mt. x, 17, 18). Hinc illud apostolorum: « *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* » (Act. Ap. v, 29), et illud apostoli Pauli ad Timotheum: « *In quo* (evangelio) *laboro usque ad vincula, quasi male operans: sed verbum Dei non est alligatum* » (II Tim. II, 9). Ex his patet: Ecclesiam, in ordine suo, secundum Dei voluntatem, et Christi ordinationem, a Statu nullo modo dependere.

Arg. II. *Ex fine Ecclesiæ proximo.* — Societas excellentior non debet subordinari societati minus excellenti. Ecclesia autem, ut supra notavimus, ratione finis et mediorum, excellentior est Statu. Immo finis Status, qui est bona temporalia et felicitas civium curare, subordinatur fini Ecclesiæ, sc. saluti animarum. « *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* » (Mt. XVI, 26).

Arg. III. *Ex Traditione.* — *a*) Tribus prioribus sæculis, tempore scilicet persecutionum a Statu Romano, Ecclesia semper suam independentiam defendit et servavit. Patet ex hist. ecclesiastica. Similiter in aliis temporibus.

b) Tota Doctrina ex auctoritate Patrum confirmatur. *Hosius Cordubensis* ad Constantium Imperatorem scripsit: « Ne te rebus misceas ecclesiasticis... tibi Deus imperium dedit, nobis ecclesiastica concredidit » (Apud S. Athan., *Hist. Arian.*, XLIV). — *Lucifer Calarit.:* « Quomodo dicere poteris, judicare te posse de episcopis, quibus nisi obedieris, jam, quantum apud Deum, mortis pœna fueris mulctatus? » (Pro Athan. *ad Constantium Imper.*, l. I). — *S. Ambrosius:* « Scriptum est: Quæ Dei, Deo; quæ Cæsaris, Cæsari. Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ » (Ep. 20). — *Symmacus Papa:* « An, quia imperator es, divinum putas contemnendum esse judicium? An, quia imperator es, contra Petri niteris potestatem? » (*Ep. apol. ad Anastasium*).

c) *Ex testimoniis principum.* — *Constantinus Magnus* ad Episcopos: « Vos in iis quæ intra Ecclesiam sunt, episcopi estis. Ego vero in iis quæ extra geruntur » (Apud Euseb., *Vita Constantini M.*, l. IV, 24). — Similiter *Theodosius Junior* coram Patribus Concilii Ephesini: « Nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, ille ecclesiasticis negotiis et consultationibus sese immiscere » (Labbe, t. III, col. 441, 442).

NOTA: Quantum ad extensionem Ecclesiæ libertatis, standum est ad declarationes Ecclesiæ universalis per Concilia et per Romanos Pontifices. Regula generalis hic est quod, « *quidquid est in rebus humanis quoquo modo sacrum... id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiæ* ». Ita Leo XIII in Encycl. *Immortale Dei*. Ad alia magis particularia cfr. Syllabum Pii IX

OBJECTIONES

Objectio I. — Quæ sunt in Statu, Statui subordinantur. Atqui Ecclesia est in Statu. Ergo Ecclesia Statui subordinatur.

Resp.: *Dist. maj.:* Statui subordinantur quæ sunt in Statu formaliter, *concedo;* materialiter, *nego.* — *Contradist. min.:* Ecclesia est in Statu formaliter, *nego;* materialiter, *subdistinguo:* sub aliquo respectu, *concedo;* simpliciter, *nego.* Ecclesia, ut talis, non est in Statu. Patet hoc ex jam probatis. Neque materialiter considerata Ecclesia est *simpliciter* in Statu; Ecclesia enim est universalis, i. e.: in toto mundo necessario propagatur.

Instantia: Atqui etiam formaliter Ecclesia est in Statu. Ergo... — *Probatur antec.:* Cives et externa sunt formaliter in Statu. Atqui Ecclesia membra habet, qui sunt cives, et in ea cernuntur externa plurima. Ergo (saltem quantum ad ista) Ecclesia est formaliter in Statu.

Resp.: *Dist. maj.:* Cives sunt formaliter in Statu, in quantum sunt cives, *concedo;* in quantum sunt fideles, *nego.* Item, quantum ad externa: externa sunt formaliter in Statu, si sunt mere temporalia, *concedo;* spiritualia, *nego.*

Ad rem S. Thomas: « Homo non ordinatur ad communitatem politicam secundum *se totum et secundum omnia sua*... Sed totum quod homo est, et quod potest et quod habet, ordinandum est ad Deum » (I-II, q. 21, a. 4 ad 3um).

Quantum ad externa, notandum est cum De Groot, quod « hæc omnia potestati civili subesse minime existimanda sunt, nisi exteriora dixeris eadem omnino esse ac *civilia.* At Ecclesia jure divino societas est etiam *visibilis;* quo intelligitur, non omnia externa civilia esse, sed aliqua ecclesiastica. Porro ecclesiastica potestati sacræ subjecta sunt » (p. 429).

II. — Regibus Israel potestas in religione concessa fuit. Ergo non repugnat quod civilis societas habeat hanc potestatem in Ecclesiam.

Resp.: Regnum judaicum theocraticum erat, et synagoga erat nationalis. Item, notat S. Thomas: « Quia in veteri lege promittebantur bona terrena non a dæmonibus, sed a Deo vero religioso populo exhibenda; inde et in lege veteri sacerdotes regibus leguntur fuisse subjecti. Sed in nova lege est sacerdotium altius, per quod homines traducuntur ad bona cœlestia » (*De Regimine principum*, I, 14).

Instantia: Principes quoque catholici sæpe præcepta dederunt in rebus ecclesiasticis.

Resp.: *Dist.:* Id fecerunt principes suo jure proprio, *nego;* jure, aut ab Ecclesia ipsis concesso, aut prorsus usurpato, *concedo.* — Patet responsionis explicatio ex historia ecclesiastica.

III. — Fieri potest ut ecclesiastica potestas jure suo abutatur.

Resp.: *Dist.:* Id fieri potest in dogmate definiendo, *nego;* in ordinanda disciplina particulari, *subdist.:* et tunc fas est ecclesiasticam potestatem modificare si abusus revera constet, *transeat;* ob abusum tantum possibilem, *nego.* Notandum est tamen quod, in rebus dubiis, utrum scilicet pertineant ad potestatem ecclesiasticam seu ad potestatem civilem, ultimum judicium ad Ecclesiam pertinet, cum ipsa sit magis perfecta.

IV. — Mensura mediorum, quibus Status uti fas est, est utilitas. Jam vero jus majestaticum [1] circa sacra nonnullam habet utilitatem.

Resp.: Mensura mediorum quibus Status uti fas est, est *justitia.* Jus majestaticum circa sacra non est nisi abusus. Nam, jus in sacra et circa sacra, Deus soli Ecclesiæ commisit.

V. — *Culturæ* interest, Ecclesiam subesse Statui.

Resp.: Prima lex veræ culturæ est parere ordini divinitus constituto.

Articulus II.

UTRUM ECCLESIA A STATU STATUSQUE AB ECCLESIA SEJUNGENDUS SIT

Status et sensus quæstionis. — In præcedenti articulo statuimus Ecclesiam non esse inferiorem Statui; sed, ratione finis, superiorem. Utraque societas maxima est in genere suo, et ab altera distincta. Quæstio nunc est: utrum existat, seu existere debeat aliqua connexio inter Ecclesiam et Statum.

Momentum quæstionis haud leve est cum hic principia statuuntur generalia, in quibus fundari debet harmonia inter Statum et Ecclesiam, ad hoc ut genus humanum, istis duabus societatibus adjuvantibus, perveniat ad perfectionem vitæ, secundum legem Evangelii. Unde, illæ falsæ adversariorum sententiæ refelluntur, quibus universus mundus perturbatur.

Adversarii: — 1) *Kant, Machiavelli* et *Cavour,* de quibus jam locuti sumus in art. præcedenti.

2) *Materialismus* qui alias vires non agnoscit præter illas quæ in materia positæ sunt. Cfr. Denz. n. 1758.

3) *Modernismus,* de quo legitur in Encycl. *Pascendi* Pii X: « Sicut igitur ratione objecti fidem ac scientiam extraneas ab invicem vidimus: sic *Status et Ecclesia alter ab altera extranei sunt* ob

---

[1] *Jus majestaticum* est systema *potestatis indirecte negativæ in sacra* (De Groot, p. 416).

fines, quos persequuntur, temporalem ille, hæc spiritualem...Status ergo ab Ecclesia dissociandus, sicut etiam catholicus a cive. Quamobrem catholicus quilibet, quia etiam civis, jus atque officium habet, Ecclesiæ auctoritate neglecta, ejus optatis, consiliis præceptisque posthabitis, spretis immo reprehensionibus, ea persequendi, quæ civitatis utilitati conducere arbitretur... » Cfr. Denz. nn. 2092, 2093.

Ad Articulum responsio est *negativa*. Sententia contraria damnata in Syllabo Pii IX, Prop. 55, Denz. n. 1755. Leo XIII sententiam adversariorum « perniciosam » vocat Encycl. *Immortale Dei*.

Probatur Articulus. — Arg. I. *Ratione divinæ ordinationis.*

Quæ divina ordinatione coordinantur et uniuntur, nemini licet sejungere. Atqui Ecclesia et Status, divina ordinatione, coordinantur et uniuntur. Ergo...

Major patet: et hic verba Christi valde apta sunt: « Quod Deus conjunxit, homo non separet » (Mc. x, 9).

Minor jam ex dictis (art. præc.) veritate elucet. Nam, Deus auctor est Ecclesiæ et Status. Per has potestates genus humanum divisit. Sed utramque ad unum finem ordinavit ultimum. Unde has certissime ad invicem ordinavit, sicut omnia quæ in terra et in cœlo sunt.

Secundo, patet *minor* ex hoc quod Status debet colere Deum per veram religionem. Hæc autem, ut jam probavimus, est in Ecclesia Catholica dumtaxat.

Tertio, ex eo quod Status opportunitates fidelibus afferre debet, ut isti vitam æternam adipiscant. Recte igitur S. Thomas ait: « Cuicunque autem incumbit aliquid perficere quod ordinatur in aliud sicut in finem, hoc debet attendere ut suum opus sit congruum fini; sicut faber facit gladium ut pugnæ conveniat, et ædificator sic debet domum disponere ut ad habitandum sit apta. Quia igitur vitæ qua in præsenti bene vivimus, finis est beatitudo cœlestis, ad regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam procurare secundum quod congruit ad cœlestem beatitudinem consequendam » (*l. c.*, I, 15).

Arg. II. *Ratione totalitatis boni quod homo adipisci debet.*

Sicut homo ex duobus elementis constituitur, sc. ex anima et corpore, ita totalitas ejus boni universalis habetur ex temporalibus, quæ a Statu procurantur, et ex spiritualibus, quæ ab Ecclesia. Et sicut inter corpus humanum et animam habetur relatio, et quam maxime perfecta connexio; ita debet existere harmonia inter Ecclesiam et Statum. Hoc autem practice patet ex necessitate auxilii Status ad Ecclesiam, et Ecclesiæ ad Statum.

a) *Auxilium Status* necessarium apparet verbis S. Thomæ jamjam citatis, quibus addit quod rex debet ea *præcipere* quæ ad cœlestem beatitudinem ducunt, et eorum contraria, secundum quod fuerit possibile, *interdicere*. Item, cum Ecclesia sit ex *hominibus* constituta, multa bona temporalia requirit a Statu. Insuper debet Status libertatem Ecclesiæ tuere, et leges ecclesiasticas disciplinares defendere. Sine hoc auxilio Ecclesia suam potestatem vix exercere valet, sicut revera accidit in Statibus ubi hæc doctrina refellitur.

b) *Auxilium Ecclesiæ* magis necessarium atque nobilius est quam auxilium Status. Multum confert religio christiana vera ad Statum.

Primo, quidem, quia per Ecclesiam Status Deo conjungitur. Hinc lumen gubernandi Status accipit optimum. Hinc notat S. Thomas: « Nec solum in spiritualibus, sed etiam in usu corporalium hominem dirigit (religio Christi) et beatitudinem animæ et corporis promittit. Et ideo regulæ ejus universales dicuntur, utpote totam vitam hominis, et omne quod ad ipsum quolibet modo pertinet, continentes et ordinantes » (*In Boetium*, *De Trin.*, q. III, a. 3).

Secundo, quia per Ecclesiam Status in ordine supernaturali constituitur. Quod est maximum bonum.

Tertio, quia Ecclesia habet moralem doctrinam, ad perfectionem vitæ socialis, efficacissimam, firmissimam et nobilissimam. *Nobilissima* quia omnes actus humanos, sive individuorum sive societatis, ad Deum, ultimum finem, ordinat. Et *omnia officia* hominum erga Deum, erga societatem civilem et domesticam, erga subditos et superiores perfecte docet. *Firmissima* est moralis catholica, quia in revelatione divina fundatur; unde a Deo ipso promanat. Non est subjecta mutationibus vitæ, sed est semper eadem, omni tempore, sicut natura hominum, quibus data est. Non est enim nisi lex evangelica quæ æterna est sicut verba Christi. Unde societas civilis *firmissime fundatur* in hac doctrina moralitatis. Deinde *efficacissima* est quia dictamina sua quam maxime homini et rectæ rationi conveniunt humanæ. Quia nomine Christi et Dei ab infallibili Ecclesia emanantur. Et ultimo, quia in conscientia obligant [1].

---

[1] Quantum hæc juvat harmonia inter Statum et Ecclesiam vel ipsi increduli vident et affirmant, inter quæ documenta nobis sequens placet recordare increduli Jules Simon: « Nous ne recherchons pas (ipse dicit) comme les philosophes du XVII siècle, si un peuple d'athées pourrait subsister; nous nous bornerons à dire que le sentiment religieux est peut-être le plus puissant de tous les liens sociaux. Il ne faut pas dire que la famille est plus puissante encore, car la piété filiale n'est qu'une forme de la piété. C'est la pensée de Dieu qui achève de sanctifier le foyer domestique, ce centre bénit de toutes les affections douces et sociables. Otez cette pensée du milieu d'un peuple, il n'est plus réuni en corps de nation que par l'intérêt et par la crainte. La loi civile n'est plus, pour lui, qu'un contract social où il donne à condition de recevoir; s'il donne toujours et ne reçoit jamais, il devient une dupe à ses propres yeux. Ce que on appelle pompeusement le sentiment de la fraternité, ou la religion de la patrie, n'a pour lui aucune signification. Les citoyens ne sont que des associés et non des frères. Jamais le dévoûment et le sacrifice n'auront de place dans un Etat ainsi conçu; jamais ce lien, fondé sur

Quarto, confirmatur ex vita Ecclesiæ et historia ipsius. Quis potest bona enumerare quæ Ecclesia Statui contulit et confert? In primis tribus sæculis mundum paganum in christianum convertit. In periodo sic dicta controversiarum dogmaticarum (ab an. 313 usque ad 680), dogma moralemque suam statuit atque definivit. In medio ævo quam maxime benefecit Ecclesia populis, in omni parte vitæ domesticæ atque socialis. De ipsa possumus dicere: « Omnia bona pariter veniunt cum illa ». Verum est quod Comte incredulus de hoc scripsit: « Le système catholique au moyen âge forme jusqu'ici le chef-d'œuvre politique de la sagesse humaine... » (Cours de philosophie). Postea vero (ævo moderno) quando auctoritas Ecclesiæ despecta fuit, incepit chaos maximus societatis humanæ, pax valde perturbata est et perturbatur, usque dum non fit reditus ad Christum et Ecclesiam, ut fiat harmonia inter Statum et Ecclesiam secundum Dei ordinationem. Alia particularia quæ ad historiam pertinent ad illam disciplinam studentes remittimus.

Arg. III. *Ex Traditione.* — In primitiva Ecclesia Status persecutus est Ecclesiam quia ipsam non intellexit. Attamen jam istis primis Ecclesiæ temporibus, Apologeti christiani Imperatores suaserunt Ecclesiam, seu religionem Christi minime civitatem in periculum deduxisse, sed, e contra, quam maxime eam ædificasse (cfr. S. Justinum, *Apol.* I; Athenagoram, « *Legatio pro christianis* »; Theophilus Antiochenus, « *Tres libri circa fidem christianorum, ad Autolycum* »; Tertullianus, præsertim in « *Apologetico* »).

Testimonia Patrum magis explicita habentur post acceptam fidem ab Imperatoribus, a principio sæculi quarti. Ita, v. g., *S. Ambrosius:* « Bonus imperator (dicit) quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat » (Ep. 21). — *S. Greg. M.:* « Ad hoc potestas super omnes homines Dominorum nostrorum pietati cœlitus data est, ut qui bona appetunt adjuventur; ut cœlorum via latius pateat; ut terrestre regnum cœlesti regno famuletur » (Ep. *ad Maurit. imper.*). — Ita etiam *S. Isidorus Pelusiota* dicit: « Ex sacerdotio et regno, rerum administratio conflata est. Quamvis enim permagna utriusque differentia sit (illud enim velut anima est, hoc velut corpus), *ad unum tamen et eumdem finem* tendunt, i. e. *ad hominum salutem* » (*Ep.* lib. III, 249). — *S. Nicolaus* docet potestates ita distinctas esse,

---

de telles bases, ne sera regardé comme indissoluble par celui qui en souffre. Si l'on veut créer une grande famille qui ait son morale unité, ses traditions, son honneur, dont les membres se reconnaissent solidaires les uns des autres; dont la loi soit comprise et aimée, meme lorsqu'elle frappe, il faut que le nom de la patrie réveille des idées religieuses, que chaque citoyen se croie attaché à elle par une volonté divine..., que les lois s'appuient non sur la balance des intérêts, mais sur l'éternel idéal de la justice, et qu'en signe de cette origine elles soient promulguées au nom de Dieu » (*Relig. naturelle*, p. IV, c. I). Idem affirmant Arist. (*Polit.* VII, 8), Plato (*De legibus*, X), Cicero (*De Republica*, III, 12), Machiavelli (*Disc. in primum dec. T. Livii*, l. I, X), Rousseau (*Contract. Social*, IV, 8), Voltaire (*Traité de la Tolerance*, c. XX), Taine (*Rev. des Deux Mondes*, 1 Juin 1891), Leroy-Baulieu (*ib.*, dec 1891 et jan: 1892).

« ut christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum, imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritualis actio, carnalibus distaret incursibus » (Ep. *ad Michaëlem imper.*). — Similiter, *Ivo Carnotensis* ad Paschalem II scripsit: « Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia » (Ep. 238). — Tandem, imperatores et reges tantum ex hac harmonia inter Ecclesiam et Statum promanans bonum videntes, ipsam confirmarunt. Ita *Constantinus M.* nominari voluit « Episcopus ad extra », i. e. defensor Ecclesiæ; *Carolus M.* « Devotus Sanctæ Ecclesiæ defensor humilisque adjutor »; similiter defensa est Ecclesia a *Ludovico*, rege Franciæ, qui corona sanctitatis ornatus est, necnon et ab aliis principibus Deum vere colentibus.

Nota: Pro praxi, in vicissitudinibus in quibus Status et Ecclesia inveniri possunt, regula fundamentalis est quod « *nunquam sejungendus est Status ab Ecclesia* »; secus enim esset eligere majus malum pro minore, quod est contra naturam rerum. Tollerandum est minus malum quando desideratum bonum obtineri nequit. Item, nunquam licet Statui leges statuere ad jura Ecclesiæ respicientes arbitrio proprio et sine concursu Ecclesiæ.

Optime notat orator famosus noster, P. Lacordaire in epistola quadam ad juvenem quemdam: « La patrie est notre Eglise du temps, comme l'Eglise est notre patrie de l'éternité, et, si l'orbite de celle-ci est plus vaste que l'orbite de celle-là, elles ont toutes deux le même centre, qui est Dieu; le même intérêt, qui est la justice; les mêmes citoyens, qui sont le corps et l'âme de leurs enfants ».

Articulus III.

UTRUM ECCLESIA HABEAT POTESTATEM INDIRECTAM IN TEMPORALIA

Status et sensus quæstionis. — Jam ex supra dictis apparet Ecclesiam superiorem esse Statui ratione finis et excellentiæ; sic enim se habet Status ad Ecclesiam, sicut corpus ad animam, et sicut temporale ad spirituale. Immo Status ad finem ultimum, ex sese pertingere nequit, sed indispensabiliter indiget Ecclesiæ auxilio. — Quæritur nunc: utrum ratione dictæ superioritatis, et finis ultimi, Ecclesia habeat a Christo aliquam potestatem in temporalia, et an ista potestas sit directa vel indirecta, vel etiam directiva.

Momentum quæstionis sat grave est: agitur enim de origine juris Ecclesiæ possidendi bona temporalia, territorium quoque proprium, necnon propria bona administrare, proprium Statum habere independenter a Statu civili; item, et vetare fideles aliquibus fungi muneribus civilibus et alia hujusmodi.

Adversarii. — Præter illos quos in præcedenti articulo nominavimus, existebant, et forsan etiam existunt quidam catholici, qui non statim videntes, vel, non bene Ecclesiæ doctrinam intelli-

gentes, præjudicia non valent corrigere sicut oportet. — Tempore Henrici VIII, quidam catholici, coacti, juramentum præstabant Regi, quod Papa potestatem in temporalia nullam habet (cfr. Lingard, *History of England*). Sæculo XVI et sequentibus sæculis animose agitabatur hæc quæstio. Maxima pars doctorum, tamen, potestatem hanc Ecclesiæ semper defenderunt. — In Gallia, jam a tempore Philippi IV (Pulchri), quidam, libertatibus sic dictis gallicanis imbuti, anno 1682, articulos quattuor, dirigente Bossuet, confecerunt atque in Parlamento approbarunt, quorum primus Summo Pontifici omnimodam in temporalia potestatem negabat (cfr. Denz. 1322. Et Marx, *Hist. Eccl.*, ed. ital., p. 573).

Prænotamen. — Potestas, ait S. Thomas, est potentia activa cum aliqua præeminentia (IV Sent., D. 24, q. 1, art. 1, quæstiuncula 2, ad 3). — Per *potestatem indirectam* intelligimus illam quæ non directe et principaliter ratione sui ordinis exercetur, sed propter connexionem inseparabilem cum alio. Ideoque dicimus quod potestas in spiritualia directe et principaliter Ecclesiæ competit; in temporalia, vero, indirecte et secundario, seu *ex consequenti* et *ratione peccati*.

Ad Articulum respondetur *affirmative*, sc. Ecclesia habet potestatem indirectam in temporalia. Dico *indirecta* quia hæc magis certa est sententia. Et saltem ad fidem ecclesiasticam pertinet (cfr. De Groot, p. 450). Pius IX hanc contrariam propositionem damnavit: « Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam » (Prop. 24). Eamdem doctrinam docet Leo XIII in Encycl. *Imm. Dei*, ubi dicit: « Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur *propter causam ad quam refertur*, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiæ ». — Unanimes sunt quoque Theologi in hac quæstione quantum ad sententiam a nobis admissam. Ita *Dominicus a Soto* in *Sent.* IV, dist. 22, q. 2, art. 2 argumentatur « contra eorum *hæresim*, qui omnem abdicant Pontifici temporalem potestatem ». Similiter, *Mazzella:* « Doctrina de superioritate spiritualis Ecclesiæ potestatis præ potestate civili, non est mera opinio; sed, nisi sit proprie et immediate de fide (quod tamen cum gravissimo fundamento asseri potest), saltem ad depositum catholicæ doctrinæ certo pertinet ». Idem assert *Suarez* in *De Leg.* l. IV, c. 9, et *Bellarminus* in *De Pot. Summi Pontificis*, c. III.

De fide est certe quod de necessitate salutis omnino est omni humanæ creaturæ subesse Romano Pontifici, saltem *ratione peccati*. Ita expresse in Bulla *Unam Sanctam*.

Probatur Articulus. — **Arg. I.** Potestas *indirecta* Ecclesiæ in temporalia est potestas in temporalia — non in quantum temporalia sunt, sed ratione connexionis eorum — in ordine ad finem su-

pernaturalem. Atqui Ecclesia habet a Christo talem potestatem in temporalia. Ergo...

Probatur minor: Ei, ad quem *finis ultimi* cura pertinet, subdi debent illi, ad quos pertinet cura antecedentium finium, et ejus imperio dirigi. Atqui cura finis ultimi hominum, sic ordinante Deo, ad Ecclesiam proxime pertinet. Ergo, Ecclesiæ subdi debent illi, ad quos pertinet cura finium antecedentium. Atqui fines antecedentes sunt circa temporalia; ergo, illi qui curam habent de rebus temporalibus, subdi debent Ecclesiæ. Tamen hæc subjectio habetur ratione temporalium, non in quantum temporalia sunt, sed ratione relationis seu connexionis eorum cum fine ultimo. Ergo temporalia subduntur Ecclesiæ indirecte; i. e. Ecclesia habet in temporalia potestatem indirectam [1].

Arg. II. Ubi duæ vel plures societates unum et eumdem habent finem ultimum, oportet ipsas ad invicem ordinari; secus enim in conflictu commodi temporalis et spiritualis, judice deficiente, pax auferetur. Atqui Status et Ecclesia unum et eumdem habent finem ultimum. Ergo istæ ad invicem ordinari oportet. Consequenter, Ecclesia habet potestatem indirectam in temporalia, quæ proprie et directe pertinent ad Statum.

Dices: Ergo etiam Status habet potestatem indirectam in spiritualia.

---

[1] « Chi non vede quanto sia repugnante alla retta ragione che non debba essere soggetto ad un potere umano quel divino principio di santità e verità, che Iddio ha collocato in atto e in modo concreto sulla terra, principio che il Romano Pontefice partecipa da Gesù Cristo, come quel Supremo capo che mantiene nella sua unità ed integrità la Chiesa e la Religione? Inoltre vi pare dicevole che il vivo interprete della legge e volontà divina sia sottomesso a quella stessa autorità civile che appunto dalla legge e volontà divina ritrae tutta la sua forza e stabilità, e che, ove si consideri rivestita di quel sacro carattere, non saprebbe vedervi che la gloria e l'arbitrio dell'uomo? Di più ancora. La Chiesa Universale non è Ella il regno di Gesù Cristo? E volete che il capo della Chiesa Universale, ossia del regno di Gesù Cristo, debba essere ragionevolmente suddito di una potenza terrena? Tanta incoerenza di cose si potrà bene concepire tra quelle nazioni ove si è smarrito il concetto della società cristiana, non mai tra i cattolici. Ragioniamo invece posatamente così. È troppo assurdo che chi ha cura dell'ultimo fine sia soggetto a coloro che soprastanno ai fini intermedi o antecedenti; che servono solo di mezzo per raggiungere l'ultimo fine! Sarebbe disordine che l'architetto d'una fabbrica avesse a dipendere da quegli artisti, che sopraintendono ai lavori speciali delle singole parti dell'edificio; un generale in capo dell'esercito dai colonnelli o ufficiali che dirigono i varii corpi dell'armata; il sovrano di un regno da quelli che sovrastanno ai rami particolari del governo e dell'amministrazione. Conciossiachè l'ordine e il conserto delle cose, e di quelli che vi presiedono, corrisponde sempre all'ordine che hanno tra loro i vari fini. E sarebbe come sconvolgere ogni idea più elementare, il pretendere che il fine fosse subordinato ai mezzi, così lo è egualmente che chi presiede a un fine sottostia a coloro, che non altra cura hanno che provvedere ai mezzi. Ora, non dimentichiamo, o dilettissimi, quella verità che la fede, la ragione, la nostra stessa esperienza ci attesta, che cioè la felicità di questa vita, a cui sopraintendono i re della terra, procurandone la tranquillità, la pace e l'ordine morale, non ha che semplice ragione di mezzo a conseguire l'eterna beatitudine. Questa sola è l'ultimo fine tanto dell'individuo che della società; e a questo sopraintende solamente quel Sommo Sacerdote che da Gesù Cristo ebbe la missione di guidare la moltitudine alla felicità immortale. Vedete dunque qual pervertimento d'idee si richieda per voler suddito di una potenza terrena il Sommo Sacerdote della Chiesa Cattolica, il Romano Pontefice ». — *Pastorale* di Gioacchino Pecci (Leone XIII).

Resp.: Status habet jus exigendi ab Ecclesia ea quæ ad sanctificationem hominum ordinata sunt. Et in hoc Ecclesia deficere nequit, propter suam indefectibilitatem et indeficientiam.

Arg. III. *Ex Traditione.* — *a*) A tempore apostolorum usque ad emancipationem Christianorum (an. 313) etsi potestatis indirectæ *exercitium* plurimum impeditum erat, jussi sunt tamen fideles de bonis temporalibus Ecclesiæ ministros alere (I Cor. IX); et vetiti Christiani muneribus civilibus fungi aliquibus (Mamachi, *Antiq. Christ.*, IV).

b) Patres Ecclesiæ fere unanimiter Statum et Ecclesiam respective comparant ad *corpus et animam.* Unde, sicut necesse est influxum quemdam haberi animam inter et corpus, ita etiam inter Ecclesiam et Statum. Quod Ecclesia jus habet et officium Statum corrigendi (sc. ratione peccati), si iste contra Deum erret, plane docetur apud S. Augustinum (*De Civ. Dei*, XIX, 17), S. Gelasium Papam (Ep. *ad Anastasium Augustum*), S. Symmachum Papam, qui dicit: « Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, *donec contra Deum suas non erigunt voluntates* » (*Apologeticus adv. Anast. Imp.*, IX). Idem docent plures Romani Pontifices, sed præsertim ad hoc famosa est Bulla *Unam Sanctam* Bonifacii VIII, ibi Summus Pontifex expresse affirmat spiritualem potestatem terrenam « judicare, *si bona non fuerit* ». Immo ipse hic definivit omnes et singulos Romano Pontifici subdi *ratione peccati.*

c) S. Thomæ sententia, quæ traditionalis est, in lib. *De regimine Principum*, cap. XIV continetur. Ibi explicat S. Doctor quomodo, propter altiorem finem Ecclesiæ, reges oportet Romano Pontifici esse subjectos.

OBJECTIONES

Objectio I. — Nulla societas habere potest potestatem in aliam societatem perfectam. Atqui Status perfecta est societas. Ergo Ecclesia nullam potest habere potestatem in Statum.

Resp.: *Dist. majorem:* Nulla societas minus perfecta potest habere potestatem in societatem perfectam, *transeat;* nulla societas perfectior potest habere potestatem in societatem perfectam, *subdistinguo:* societas perfectior non potest habere potestatem directam, *concedo;* indirectam, *nego.* — *Contradistinguo minorem*, et *nego consequens* et *consequentia*, secundum distinctionem datam.

II. — Atqui non habet Ecclesia neque potestatem indirectam, seu ratione peccati, ut aiunt, in Statum. Ergo stat difficultas. — *Probatur antec.:* Nam Ecclesia indirectam potestatem habet in ea quæ ad finem ultimum ordinantur. Atqui Status, ut Status, non ordinatur ad finem ultimum; sed singuli cives ordinantur ad finem ultimum. Ergo...

Resp.: *Dist. min.:* Status, ut Status, non ordinatur ad finem ultimum possidendum, *concedo;* non ordinatur ad finem ultimum procurandum civibus, *subdistinguo:* non ordinatur ad procurandum finem ultimum a se ipso, *concedo;* ad procurandum finem ultimum per Ecclesiam, *nego.* Quamvis enim finis Status proximus est felicitas civium et prosperitas in temporalibus, tamen hæc prosperitas ordinari oportet ad finem ultimum civium. Et hoc per Ecclesiam habetur.

III. — Potestate Ecclesiæ in temporalia, pax inter Ecclesiam et Statum periclitaretur et autonomia Status coarctaretur.

Resp.: Retorquere possumus argumentum. Ad mentem objicientis tamen distinguimus: pax periclitaretur, atque autonomia Status coarctaretur per abusum aliquod, *transeat;* per se, *nego.* — *Per se* enim pax augeretur, et autonomia Status perficeretur. Nam, ut ait Angelicus Magister, « quælibet res perficitur per hoc quod subditur suo superiori; sicut corpus per hoc quod vivificatur ab anima » (II-II, q. 81, a. 7).

IV. — Verba Christi: *Regnum meum non est de hoc mundo* (Jo. XVIII, 36), videntur Eccl. potestatem in temporalia excludere.

Resp.: Excludunt potestatem *directam* Ecclesiæ in temporalia, *concedo; indirectam, nego.* — Verum est enim regnum Christi, i. e. Ecclesiam, de hoc mundo non esse, proptereaque Ecclesia in temporalia non respicit formaliter et ex sese, sed ex consequenti dumtaxat; at regnum Christi *in* hoc mundo est, et consequenter etiam bonis temporalibus indiget ad hoc ut possit suum finem attingere. Hinc practice potestatem habet Ecclesia, ait Turrecremata, quantum necessarium est ad conservationem rerum spiritualium, ad directionem fidelium in salutem æternam, et ad correctionem peccatorum, et conservandam pacem in populo Christiano (*Summa de Eccl.*, l. II, 114) [1].

---

[1] Optime notat egregius auctor, Franciscus Victoria, quantum ad potestatem Ecclesiæ: « Christus — inquit — non satis providisset et cavisset rebus spiritualibus, si non reliquisset aliquam potestatem, ad quam spectaret, quando opus esset, ordinare et uti temporalibus convenienter ad finem supernaturalem. Sed hoc non spectat ad officium principum sæcularium, qui ignorant proportionem rerum temporalium ad spiritualia, nec habent curam rerum spiritualium. Ergo ista cura utendi temporalibus ad spiritualia, est potestatis ecclesiasticæ. Ergo si necessarium sit ad conservationem et administrationem rerum spiritualium aliquando uti materiali gladio et auctoritate temporali, Papa hoc poterit » (*Relectiones Theol.* — Relec. I. *De Pot. Ecclesiæ,* Sect. IV, prop. VIII).

Quantum ad necessitatem Status Ecclesiæ cfr. *Civiltà Catt.* 5 Nov. 1927. — *Notanda* sunt sequentia ex « *Osservatore Romano* » deprompta: « Noi non vediamo perchè l'Italia non può creare lo Stato di cui la Chiesa... ha bisogno per l'esercizio delle sue funzioni spirituali nel mondo. L'Italia da sola ha potuto bruscamente annientarlo... e perciò da sola può ricostruirlo: ricostruirlo, se non nelle proporzioni di una volta, *almeno nella misura necessaria a garantire la visibile indipendenza del governo delle anime* » (*Osservatore Romano*, 14 Ott. 1927).

Cum hic liber in præparatione erat, jam arduissima quæstio sic dicta Romana feliciter soluta fuit, die 11 Februarii 1929.

INCIPIT
TRACTATUS DE ROMANO PONTIFICE

Agitur nunc de Capite Ecclesiæ Visibili, qui Summus Pontifex Romanus nuncupatur et est, atque Christi Vicarius in terra. Cum tamen doctrina Catholica de Romano Pontifice in Primatu S. Petri fundetur, necesse est de isto in primis tractare; postea vero de ipso Romano Pontifice.

QUÆSTIO XII.

De Primatu Sancti Petri.

Duo consideranda sunt in hac quæstione: 1) De origine; 2) De natura Primatus S. Petri. — Ad *originem* Primatus S. Petri quod attinet dicendum est quod S. Petrus a Christo immediate Primatum accepit; quantum ad *naturam* principatus vero, statuendum est: 1. quod Primatus S. Petri non est honoris tantum, vel directionis seu inspectionis, quod plures adversarii affirmant; sed est etiam *jurisdictionis*, et vere potestativus, quo veri nominis subditi reguntur et gubernantur; 2. quod *soli* Petro, et pro tota Ecclesia universali traditus fuit primatus; 3. quod Primatus S. Petri datus erat Ecclesiæ in perpetuum. — Hæc omnia in tribus articulis exponemus:

I. An S. Petrus Primatum jurisdictionis a Christo immediate acceperit;

II. An solus S. Petrus talem Primatum acceperit;

III. An tantum pro se ipso, vel etiam in perpetuum, pro successoribus ipsius, Primatum acceperit.

ARTICULUS I.

UTRUM S. PETRUS PRIMATUM JURISDICTIONIS A CHRISTO IMMEDIATE ACCEPERIT

Status et sensus quæstionis. — Tota quæstio hic versatur circa authentiam et genuinam Christi verborum interpretationem; nec non circa sensum verborum catholicum, de quo multoties errant adversarii. — Nunquam ante schismatum exordium, dubium fuit in Ecclesia de hac tam agitata quæstione. Schismatici vero et rebelles, quærentes nomen christiani retinere, summam Ecclesiæ auctorita-

tem negabant, quæ ipsos damnabat. Ad hoc, igitur, fundamentum supremi pontificatus evertere conati sunt per multas falsas theorias, multaque mendacia.

Primatus de quo agitur definiri potest: « *Præeminentia suprema tum honoris et directionis tum jurisdictionis in universam Ecclesiam* ». Doctrina Catholica minime negat Christum habere continue perfectissimeque primatum; Ipse est enim « lapis angularis » supra quem fundata est Ecclesia; immo et præter ipsum « nemo aliud fundamentum ponere potest ». Sed primatus S. Petri a Christo et in Christi primatu fundatur, sicut explicat S. Thomas in III P., q. 8, a. 6, ubi quæritur « *Utrum esse caput Ecclesiæ sit proprium Christo* » [1].

Momentum quæstionis. — Cum ingens sit hodie numerus adversariorum, maximum est hujus quæstionis momentum. Immo, ex hac quæstione, tota potestas Romani Pontificis dependet; necnon tota ratio ejus infallibilitatis, atque Ecclesiæ unitatis. Sublato hoc Petri primatu, omne Ecclesiæ ædificium corrueret; aliud in Ecclesia non existeret nisi confusio maxima, sicut semper accidit apud Protestantes, aliosque Ecclesiæ adversarios.

Adversarii. — 1. *Photiani* negabant S. Petrum fuisse caput et principem apostolorum. — 2. Fautores *Theoriæ Conciliaris*, qui Ludovicum Bavarum contra Joannem XXII defendebant, uti Marsilius Patavinus, Jordanus Jandunus, etc. (Cfr. Marx, *H. E.*, p. 380-381). — 3. *Protestantes*, qui ly « petra » soli Christo attribuunt. Quidam tamen *recentiores*, magnæ auctoritatis quidem, uti Lightfoot, Fenton John, Antony Hort, Westcoot, Haedlam et Professor C. H. Turner, primatum S. Petri admittunt; tamen negant ipsum datum fuisse divinitus etiam successoribus ejus (Cfr. articulum P. V. Mc. Nabb O. P., in « *Blackfriars* », vol. VIII, n. 89, Aug. 1927: *Anglican Witness to S. Peter*). — 4. *Gallicani*, *Febroniani* et *Josephini* primatum honoris et inspectionis tantum admittunt (cfr. Marx, *H. E.* p. 573 et seqq.). — 5. *Rationalistæ* et *Modernistæ* negant authentiam textus et evangelii quibus præcipue probatur doctrina catholica (De Groot, p. 495).

Ad Articulum respondetur *affirmative*, de fide. Patres Concilii Vaticani, Ecclesiæ doctrinam jam in aliis conciliis declaratam et sancitam [cfr. Denz. *Index systematicus* III, *a*)], sequentibus ter-

---

[1] Differentiæ seu relationes inter primatum Christi et S. Petri sic breviter notantur: *a*) *Ratione influxus in membra*: « Interior influxus gratiæ non est ab alio nisi a solo Christo »; quantum vero ad exteriorem gubernationem, potest aliis convenire, sc. ministerialiter. — *b*) *Ratione universalitatis potestatis:* « Christus est caput omnium eorum qui ad Ecclesiam pertinent secundum omnem locum, et tempus, et statum; alii autem homines dicuntur capita secundum quædam *specialia loca*..., vel etiam secundum determinatum tempus, et statum ». — *c*) *Ratione virtutis*: Christus propria virtute Ecclesiam regit, S. Petrus vero per virtutem a Christo participatam;

minis affirmavere: « Si quis igitur dixerit, beatum Petrum apostolum non esse a Christo Domino constitutum apostolorum omnium principem et totius Ecclesiæ militantis visibile caput; vel eumdem honoris tantum, non autem veræ propriæque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse; A. S. ». Sess. IV; Const. *Pastor Æternus*, cap. I.

Probatur Articulus. — Primatus jurisdictionis (de quo sermo est) est præeminentia suprema, qua omnes universalis Ecclesiæ sodales, ut veri subditi reguntur et gubernantur in ordine ad sanctificationem ipsorum et vitam æternam consequendam, secundum legem evangelii. Atqui talem præeminentiam accepit S. Petrus a Christo immediate. Ergo S. Petrus etc.

Major est definitio primatus et jam explicata est.

Minor **probatur I.** *Ex Sacra Scriptura:* Primo ex dictis, postea ex factis.

A) Ex DICTIS:

a) Matth. XVI, 15-20. *Dicit illis* (discipulis) *Jesus:* « *Vos autem quem me esse dicitis?* » *Respondens Simon Petrus dixit:* « *Tu es Christus Filius Dei vivi* ». *Respondens autem Jesus, dixit ei:* « *Beatus es Simon Bar Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis* ». *Tunc præcepit discipulis suis ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus.*

Quantum ad authentiam istorum verborum, tractatur in Introductione Speciali ad Sacram Scripturam, et in Exegesi Novi Testamenti. Ad nos quod attinet observandum est 1. quod verba Christi ad solum Petrum referuntur; 2. pollicitatio *supremæ jurisdictionis in universam Ecclesiam* sub metaphora Petræ (Kepha), et clavium.

Verba Christi valde clara sunt, et vix interpretatione indigent. Sed adversarii falsis explicationibus conati sunt sensum verborum traditionalem a genuina interpretatione abducere, quibus tamen, plane confutatis, magis magisque sententiam catholicam indirecte confirmarunt.

Siquidem, quidam somniant Christum se ipsum indicavisse cum dixit « Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ». — Sed quam ridicula est immo Christo injuriosa, hæc interpretatio, nemo sanæ mentis non videt. Esset, enim, ac si Christus in Petrum irrisisset. Dixit ei enim: « Pater revelavit tibi me esse Filium Dei Vivi, et quamvis tu sis Petra, non super te, ah! minime, sed super hanc (digito indicans seipsum) Petram ædificabo Ecclesiam meam!

Et quamvis tu non sis caput Ecclesiæ, tamen tibi dabo claves regni cœlorum!!! » Vere digna est adversariorum Ecclesiæ hæc interpretatio! — Notandum est etiam quod aramaice *ly* Petrus et Petram habentur verbo KEPHA. Et textus sic legitur: « Tu es Kepha (saxum firmum) et super hanc Kepham etc. » Sicut dicitur Gallice *Pierre* de Petro et de petra.

Solent adversarii, ad eorum sententiam sustinendam, auctoritatem quorumdam Patrum adducere, præsertim S. Augustini. Dicit enim S. Aug. in *Retractationum* libro (lib. I, c. XXI): « Dixi in quodam loco de apostolo Petro, quod in illo tamquam in petra ædificata est Ecclesia; sed scio me postea sæpissime sic exposuisse quod a Domino dictum est: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ut super hunc intelligeretur quem confessus est Petrus dicens, Tu es Christus Filius Dei vivi; ac sic Petrus ab hac petra appellatus, personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur: non enim dictum est illi, Tu es petra, sed tu es Petrus: petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut ei tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior eligat lector ». Hæc est sententia Augustini.

Ex his meridiana luce patet, 1) S. Augustinum nostram sententiam minime refellisse, quod patet ex ultima propositione: « Harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior eligat lector »; — 2) Minime S. Augustinum addubitare hic de primatu S. Petri, sed cum nostra et aliam interpretationem exponere; — 3) Totum argumentum S. Augustini in errore etymologiæ fundari, sc. in *ly Tu es Petrus*, dum revera in textu originali non Petrus dicitur, sed PETRA, KEPHA. Consequenter a fundamentis sua sententia corruit.

Ratio autem qua Augustinus ductus fuit ad sequendam interpretationem alteram hæc fuit, quod « Patres illa *petra* de Christo interpretatione usi sunt, ut Ariana hæresis similesque errores extirparentur. Revera Patres antinicæni omnes *petram* de Petro exposuere; postnicæni *petram* de Christo ita interpretati sunt, ut veterum etiam expositionem pro opportunitate tuerentur ». Unde dicit S. Thomas: « Si quis dicat quod unum caput et unus Pastor est Christus..., non sufficienter respondet » (*Cont. Gent.*, l. IV, c. 76). Quantum ad differentiam in ratione petræ inter Christum et Petrum, jam explicavimus in nota præcedenti [1].

— *Alii* tenent Christum Ecclesiam fundavisse super fidem Petri, qua divinitus Christus cognitus fuit a Petro, non vero super

---

[1] Non pauci interpretes protestantes *petram* de Petro dictum affirmant. Ita Rosenmuller, Schleussner, Bloomfield, Marsh, Kuinoel, Weiss, Holtzmann, Michaelis, Lightfoot, Turner et alii.

personam Petri. — Sed frustra: fides, ut talis, non potest constitui ut fundamentum Ecclesiæ. Est enim fides virtus. Sed fundatur Ecclesia supra personam Petri *fide qualificatam.* Jam supra probavimus Ecclesiam Christi esse essentialiter visibilem.

— *Alii* volunt non tantum supra Petrum Christum Ecclesiam fundasse, verum etiam supra alios apostolos, dicitur enim in epist. ad Ephes. II, 20: «superædificati supra fundamentum apostolorum...». Similiter dicunt de potestate clavium.

Ad primam partem hujus difficultatis respondemus cum P. De Groot: α) Apostoli dicuntur Ecclesiæ fundamentum *propter auctoritatem apostolatus*, dum vero solus Petrus habebat supremam regiminis potestatem; — β) Apostoli discipulos confirmarunt ex communi apostolatus officio, dum revera soli Petro speciale munus demandatur etiam apostolos confirmandi; — γ) Pastores appellantur apostoli omnes, tamen solus Petrus pastor pastorum omnium constitutus est.

Quoad secundam partem dicimus cum S. Thoma quod « Petro dedit (Christus) *singulariter* potestatem remittendi peccata, Mt. XVI, ut intelligatur quod ipse præ aliis habet potestatem jurisdictionis » (In IV Sent. dist. 19, q. 1, art. 3; q. 1 ad 1; cfr. dist. 24, q. 3, art. 2 ad 1; *Summa Theol. Supplem.*, XL, art. 6 ad 1; et Cajetanum, *De Rom. Pont. institutione*, cap. V).

b) Luca XXII, 31-32: *Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* — Porro his verbis, recte notat De Groot, primatus jurisdictionis Beato Petro demandari videtur. Ponderentur singula: 1) *Solus Petrus* charisma peculiare firmitatis in fide obtinet; legitur enim: « Satanas expetivit *vos* »; deinde oratione mutata: « rogavi pro *te* »; « fides *tua* »; « *tu* conversus ». Charisma vero peculiare manifestatur ex eo, quod Christus, quem Pater pro ejus reverentia semper exaudit, fidei firmitatem peculiariter pro Simone precatus est. 2) Istud charisma ad *officium speciale* ordinatur; *confirma fratres tuos.* Præscribitur ergo Petro, ut confirmet, ac, vi hujus juris præcepti, ceteris, ut confirmanti pareant. 3) Hoc Petri jus ad Ecclesiam universalem extenditur: *fratres tuos. Fratres* apostoli erant: *a fortiori* fideles omnes Petro confirmatori committuntur.

c) Joannes, XXI, 15-17: *Christus post resurrectionem discipulis se manifestans ad mare Tiberiadis, dixit beato Petro: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu*

scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas. — Ex his verbis meridiana luce apparet Petrum constitutum fuisse Pastorem universi Christi ovilis. Notanda sunt: 1) *Oraculi solemnitas*, quæ satis eminentiam muneris collati indicat. 2) Vox ποιμαινεῖν, pascere, regendi potestatem significat, quemadmodum illi, penes quos regendi potestas, *pascere populum* in Sacris Codicibus haud semel dicuntur; nam de Davide: *Tu pasces populum meum Israel et tu eris dux super Israel* (II Reg. cap. v, 2. Cfr. Ps. xlvii, 13 etc.). 3) Hæc institutio supremi pastoris *visibilis* sub Christo rerum adjunctis optime respondet. Christi enim sententia est: *fiet unum ovile et unus Pastor*. Christus autem tunc erat ad Patrem reversurus. Itaque ne ovile suo careret pastore, visibile baculum pastoratus *visibilis* Petro tradi oportuit.

Nunc autem, si unusquisque istorum textuum vim habet argumenti maximam, quantam vim probandi habent tres simul textus? Sed adhuc thesis probatur:

B) Ex factis:

Quantum ad facta, placet nobis ex quorumdam adversariorum verbis, qui apud anglicanos maxima gaudent auctoritate, nostram thesim probare. Ad hoc nobis favet P. Vincentius Mc Nabb O. P., londiniensis, per articulum in ephemeride « *Blackfriars* » (Mensis Aug. 1927), sub titulo « *Anglican Witness to St. Peter* ». Episcopus *Lightfoot* in lib. « *The Apostolic Fathers* » dicit: « Facili quidem aspectu in apostolorum historiam, prout in Evangeliis habetur, revelat primatum quemdam S. Petri inter duodecim. Ipse enim primum tenet locum ubicumque apostoli enumerantur; præcedentiam habet in responsabilitate et tentatione; ipse exemplum præbet animi moralis et moralis lapsus. Super omnia ipse recipit specialia officia pastoralia (Clem. Rom. ii, 481) ». — *Doctor Hort* notat primum locum Petrum tenere inter duodecim, et ipse habuit ultimum verbum in Concilio Apostolorum (*The Christian Ecclesia*, 1897, pp. 79-80). — Episcopus *Westcott* contra illos qui S. Joannem ponunt ante Petrum, probat quod etiam in IV Evangelio primum locum occupat Petrus. Petrus enim promissionem recipit significationis cognominis ejus (i, 32); ipse respondet ad criticam Christi majestatis confessionem: « Dixit ergo Jesus ad duodecim: numquid et vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei » (Joan. vi, 68); Christus in lotione peduum apostolorum a Petro incepit (xiii, 6); ipse conspicuus est in defendendum Christum quando milites ipsum captaverunt (xviii, 10); ad ipsum prius fertur nuntius Christi resurrectionis (xx, 2); ipse, ante omnes, prima signa vidit quod Christus resurrexit (xx, 7); ipse alios piscatores ducebat quando

Christus eis apparuit in litore (xxi, 3); ipse primus est in veniendo ad Dominum in litus, et primus in exequendo Christi mandatum (xxi, 7. 11); et ipse in fine recipit Magnam Commissionem (*The Great Commission*, XXI, 15 et seqq.). « Sic, concludit Westcott, officialem S. Petri præcedentiam, realiter substat in universa quarti Evangelii narratione » (*Gospel according to S. John*, 1908). — *Professor Turner* minute S. Petri primatum in quatuor Evangeliis investigat, ac terminat suum validum studium cum hac conclusione: « Sic Matthæus, Luca et Joannes sunt unanimes in notando quædam Domini nostri verba quæ elevant S. Petrum in unam positionem unicam inter et super alios Apostolos... Constans Traditio Ecclesiæ Primitivæ, quantum eam positive hucusque expressimus, asseruit hanc unicam S. Petri prærogativam » (*St. Peter in the New Testament*, p. 75). — Hæc, ni fallor, facta, quibus ipsimet Anglicani primatum S. Petri demonstrant, aliaque non pauca in Actibus Apostolorum conscripta, nullum dubium sanæ menti relinquere queunt. Conformitas autem istorum factorum cum Christi Petro factis promissionibus et mandatis ita perfecta est, ut etiam ipsi Anglicani *ex divina ordinatione*, i. e. *jure divino*, videant Petrum retinere primatum (cfr. *ll. cc.*, et Episcopum *Hædlam* in lib. suo recenti « *Jesus Christ in history and Faith* »).

Probatur II. *Ex Traditione: A*) Ex Veterum testimoniis; *B*) ex Monumentis antiquis; *C*) ex Schismaticorum testimoniis.

A) Ex Veterum testimoniis:

a) *Ex Titulis S. Petri:* S. Petrus appellatur *Ecclesiæ Petra* et *Fundamentum* (Tert., *De præscr.* c. xxii; Origenes, *In Exod.* Hom. V, 4; in epist. *ad Rom.* lib. V, 10; S. Cypr. ep. 71, 73, n. 11; *De Unitate Eccl.*, n. 4; S. Greg. Nyss. *Orat. altera de S. Stephano;* S. Basilius *in Is.* c. ii, n. 66; S. Chrys., Hom. III, *de pœnit.* n. 4). — *Caput Totius Fidei, quin etiam Apostolorum* (Conc. Ephes. Act. III). — *Claviger et Janitor cœli* (S. Hil. *Tract. in ps.* cxxxi, n. 4; S. Cyrill. Hier. *in Catech.* XVII, n. 27; S. Ephræm, *Or. in Ss. Apost.*). *Princeps* et *Caput apostolorum* (Orig. *in Luc.* Hom. XVII; S. Hil. *in Matth.* vii, 6; S. Cyr. Hier. *Catech. myst.* II, n. 19; S. Greg. Naz. *Poem. de seipso;* S. Epiph. in *Adv. hær.* n. 7; Conc. Ephes. Act. II. Cfr. etiam Clem. Alex. « Quis dives salvetur »). — Similiter apud S. Chrysost.: « *Petrus itaque chori illius coryphæus, os apostolorum omnium, caput illius familiæ, orbis totius præfectus, fundamentum Ecclesiæ* » (In illud *hoc scitote*, n. 4).

b) *Ex Sententiis veterum.* — *Origenes:* « Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et super illum velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo nisi charitas exigitur » (In ep. *ad Rom.* vi, 1; v, 10). — *S. J. Chrysost.:* « Dicit ei (Jesus): *Pasce oves meas*... fratrum ei præfecturam

committit » (Hom. 88). — *S. Cyprianus:* « Super illum enim ædificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas » (*De Unitate Ecclesiæ*, n. 4). — *S. Hieronymus:* « Inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio » (In I *Joan.*, 26). — *S. Leo M.:* « De toto mundo unus eligitur Petrus, qui universarum gentium vocationi, et omnibus apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponitur; ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen *proprie* regat Petrus, quos principaliter regit et Christus » (Serm. III *de assumpt. sua*). Hi textus illo famoso *S. Ephræmi* coronantur: « Simon, discipule mi, ego te constitui fundamentum Ecclesiæ sanctæ, Petram vocavi te antea quia tu sustinebis totum meum ædificium; tu es inspector eorum, qui ædificant mihi Ecclesiam in terris; si quid reprobum ædificare velint, tu fundamentum reprimas eos; tu es caput fontis a quo hauritur doctrina mea, tu es caput discipulorum meorum; per te omnes gentes potabo; tui est suavitas illa vivifica quam largior; te elegi ut sis in mea institutione velut primogenitus et hæres efficiaris thesaurorum meorum; claves regni mei dedi tibi. Ecce principem te constitui super omnes thesauros meos » (Sermo IV *in hebdom. sancta*, n. 1). — Adde his auctoritatem conciliorum œcumenicorum, præsertim Chalcedonensis ubi Petrus vocatur Petra et crepido Catholicæ Ecclesiæ.

B) Ex Monumentis antiquis:

a) Quædam potestatis symbola Petro attribuuntur, sc. *clavium* et *virgæ*. Cfr. apud De Rossi, *Inscript. Christianæ Urbis Romæ*, t. II, p. 68 et 80. Valde notandum est quod virga, potestatis symbolum, nulli unquam apostolo tribuitur, sed sæpe Petro.

b) *Typus* celeberrimus beati Petri est *Moyses*. V. g. in aliquo vitro aureo apud Garrucci (*Vetri* 2, tav. X), ubi conspicitur Moyses petram virga percutiens, atque adscribitur: *Petrus*. Alia habentur monumenta quæ Christum exhibent de cælo volumen Petro porrigentem, inscriptione adposita: *Lex*. Ita Dominus legem dat ut quondam Moysi (*Exod.* xxxi, 18; *Deut.* ix, 10). Concordant hæc monumenta cum antiquissimo catalogo Romanorum Pontificum, ubi legitur: « Passus est Dominus Noster Jesus Christus... et post adscensum ejus beatissimus Petrus episcopatum suscepit ». Verba hæc sunt aut Hippolyti, redactoris catalogi (235), aut Philocali, compilatoris (345). Cfr. De Rossi, *Boll. di arch. crist.* 1868 et 1887; Duchesne, *Le « Liber Pontificalis »*, t. I, p. 2-8.

C) Ex Schismaticorum testimoniis. — Quod Ecclesia Photiana seu Græco-Russica primatum Petri admittebat et celebrabat clare patet ex titulis quos ipsa Petro attribuebat in liturgia. Hi tituli, de quibus versatur Tondini de Quarenghi, in lib. « *The Primacy of S. Peter, demonstrated from the liturgy of the Greco-Russian*

Church», sunt: «1. Petra et fundamentum; 2. Petra Ecclesiæ; 3. Petra fidei, basis fidei; 4. basis Ecclesiæ; 5. basis apostolorum; 6. coryphæus et primus apostolorum; 7. summus coryphæus apostolorum; 8. Primus Princeps apostolorum; 9. Pastor Dominicus omnium apostolorum; 10. Claviger regni cœlorum; 11. præpositus Ecclesiæ et præsidens; 12. protothronus, etc.

Hæc omnia argumenta *simul* sumpta vim habent demonstrandi maximam argumentum nostrum. Jam ad principaliores difficultates adversariorum respondimus, at hic quasdam alias objectiones exponimus breviter, quibus adhuc magis confirmatur thesis.

OBJECTIONES

Objectio I. — Superior non mittitur. Atqui Petrus mittitur, sc. cum Joanne in Samariam (Act. Ap. XIII, 14). Ergo Petrus primatum non habuit.

Resp.: *Dist. maj.:* Superior non mittitur ratione superioritatis, *concedo;* alia ratione, v. g. fraternitatis, *nego.* Immo et superior mitti potest ratione officii sui. *Contradist. min.* et *nego consequens* et *consequentia.*

II. — Qui primatum tenet concilio præest. Atqui non Petrus, sed Jacobus præfuit Concilio Hierosolymitano. Jacobus enim verba fecit et conclusit: «διὸ ἐγὼ κρίνω» propter quod ego judico (Act. Ap. XV, 19). Ergo...

Resp.: *Concedo maj.* et *nego min.* — Quantum ad verba allata S. Jacobi *dist.* Jacobus verba fecit ad obloquendum, *nego;* ad assentiendum Petro, *concedo.* Primatus Petri in ipso concilio apparet. «Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit: Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes» etc. Et deinde diremit quæstionem (vv. 7-11). Verba Jacobi illa Petri confirmant, sc. tamquam per conclusionem practicam.

III. — Caput Ecclesiæ dedecet reprehendi ab alio apostolo. Atqui S. Paulus reprehendit Petrum. In faciem enim restitit ei. Ergo Petrus non erat consideratus a Paulo tamquam caput Ecclesiæ.

Resp.: *Dist. maj.:* Dedecet caput Ecclesiæ reprehendi, absque causa proportionata, *concedo;* urgente causa, *nego. Contradistinguo min.* et *nego consequens* et *consequentia.*

Hæc quæstio jam tractata est in hist. ecclesiastica. Unde non est hic immorandum. Sed breviter dico: In casu, Petrus, judaizantibus nimis indulgens, a Paulo, fratrum ex gentibus scandalum metuente, reprehensus est, non quod *perverse* operatus esset, sed quia *indiscrete* (Cfr. S. Thom. *In Ep. ad Gal.*, c. II, lect. III; In IV Sent., dist. 38, q. 2, art. 3 ad 2).

IV. — Jacobus etiam et Paulus aliquoties ceteris anteponuntur. Paulus enim a Christo dicitur « Apostolorum Maximus » (Hom. II, *in Mt.*).

Resp.: *Dist. antec.:* Alii apostoli anteponuntur ob aliam rationem quam primatus, *concedo;* secus: *nego.*

ARTICULUS II.

UTRUM S. PETRUS PRIMATUM A CHRISTO SOLUS ACCEPERIT

Responsio ad hunc secundum articulum jam a primo art. tamquam corollarium emanat. Patet enim ex supra positis textibus, quod solum de Petro dicitur ipsum esse supremum Ecclesiæ caput. Quod si Paulus in quibusdam monumentis simul cum Petro nominatur *Princeps* Ecclesiæ et *Columna* etc., hoc minime probat, contra ea quæ supra diximus, etiam Paulum habere primatum jurisdictionis. Sed titulos christiani Paulo tribuebant diversa ratione, sc. prædicationis Romæ factæ, necnon totius Pauli laboris in Ecclesiis fundandis, in sustinendis persecutionibus, in itineribus periculis plenis.

Hinc Innocentius X, decret. S. Inquis. 25 Jan. 1647, hanc propositionem *hæreticam* censuit ac declaravit: « S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiæ principes qui unicum efficiunt, vel sunt duo Ecclesiæ catholicæ coryphæi ac supremi duces summa inter se unitate conjuncti, *vel* sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex qui in unum divinissime caluerunt, *vel* sunt duo Ecclesiæ summi pastores ac præsides qui unicum caput constituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiæ ».

ARTICULUS III.

UTRUM SANCTUS PETRUS EX ORDINATIONE DIVINA PERPETUOS HABEAT IN PRIMATU SUCCESSORES

Status et sensus quæstionis. — Conclusum est supra Christum Petro et ipsi soli in universam Ecclesiam supremam dedisse potestatem: quæritur nunc an talis jurisdictionis potestas soli Petro data fuerit *personaliter*, seu fueritne potestas *extraordinaria* apostolatus, quæ cum ipsis apostolis cessavit; vel, e contra, fueritne transmittenda in successores S. Petri usque ad finem mundi. En quæstio.

Momentum hujus articuli haud leve est. Multi enim *adversarii*, præsertim Protestantes, dum S. Petri prærogativam admittunt, eam

tamen negant fuisse in successores transmittendam. *Lightfoot* ponit S. Petri divinam hanc auctoritatem cessasse cum admissione Gentilium in Ecclesiam.

Ad Articulum respondetur affirmative; de fide. Conc. Vaticanum: « Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut Beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse Beati Petri in eodem primatu successorem; A. S. » (Sess. IV, c. 2). Ultima pars hujus definitionis tractabitur infra.

Probatur Articulus. — **Arg. I.** *Ex perpetuitate Ecclesiæ.* — « Ecclesiæ essentia non mutatur » (cfr. quæst. *De Indefectibilitate Ecclesiæ*). Primatus autem ad Ecclesiæ essentiam pertinet. Ergo primatus est perpetuus. At Petrus in propria persona primatum gerere desiit. Primatum igitur exercet per successores. Revera nihil potest ordinatæ societati esse magis essentiale quam principatus et caput aliquod; et quoniam constat nunquam fore ut *portæ inferi prævaleant adversus Ecclesiam*, permanere necesse est *petram*, super quam a Christo *ædificata est*. Cfr. Matth. XVI, 18.

Arg. II. *Ex S. Thoma* in *Contra Gent.*, l. IV, c. 76. — Ibi sanctus Doctor quatuor exponit rationes quibus necessitas probatur quod potestas S. Petri transeat in successores ejus. Hæ sunt:

a) *Ratione unitatis Ecclesiæ.* — Sicut enim unitas Ecclesiarum particularium per unum caput, sc. episcopum, conservatur; ita oportet servari unitas universi christiani populi per unum caput universale. Tale autem non est nisi successor S. Petri.

b) *Ratione unitatis fidei.* — « Ad unitatem Ecclesiæ requiritur quod omnes fideles in fide conveniant. Circa vero ea quæ fidei sunt contingit quæstiones moveri; per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur, ergo, ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quod sit unus qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem quod *Christus Ecclesiæ in necessariis non deficit*, quam dilexit, et pro ea sanguinem suum fudit, quum et de synagoga dicatur per Dominum: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei?* (Isai. V, 4). Non est igitur dubitandum quin ex ordinatione Christi unus toti Ecclesiæ præsit ».

c) *Ratione perfectionis regiminis.* — « Nulli dubium enim esse debet quin Ecclesiæ regimen sit optime ordinatum, utpote per eum dispositum per quem *reges regnant et legum conditores justa decernunt* (*Prov.* VIII, 15). Optimum autem regimen multitudinis est ut regatur per unum; quod patet ex fine regiminis, qui est pax; pax enim et unitas subditorum est finis regentis; unitatis enim congruentior causa est unus quam multi. Manifestum est igitur regimen Ecclesiæ sic esse dispositum ut unus toti Ecclesiæ præsit ».

d) Ex similitudine Ecclesiæ Militantis ad Triumphantem, ubi unus præsidet. Cfr. etiam *Suppl.* q. XL, art. 6.

Arg. III. *Ex Traditione.* — Quædam adducimus hic testimonia Patrum quibus thesis magis probatur. Alia testimonia invenies in quæstionibus de qualitatibus Ecclesiæ, et infra ubi agitur de Romano Pontifice. — *S. Ambrosius:* « Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia » (*In ps.* XL, 30). — *S. Petrus Chrysologus:* « Petrus semper in propria sede et vivit et præsidet » (Ep. *ad Eutych.*). — *S. Leo Magnus:* « Petrus sedi suæ præesse nunquam desinet » (Serm. V, 4). Patres Ephesinæ synodi: « Qui (Petrus) ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet » (Act. III).

Quantum ad *objectiones* quæ solent moveri in hac quæstione, videtur nobis sufficienter jam ex articulo solutionem patere.

QUÆSTIO XIII.

De Primatu Romani Pontificis.

Dictum est in quæstione præcedenti Christum Petrum statuisse caput Ecclesiæ cum plena et suprema in omnes fideles jurisdictione, atque hanc jurisdictionem transmissum iri in S. Petri successores. Hic autem dicendum est de his S. Petri successoribus. Quod ipsi existere debent, patet ex hoc quod Ecclesia duratura erat in eadem forma. Sed quæstio est: quinam sunt isti S. Petri successores? Inter viventes hujus mundi soli Romani Pontifices se nominant tales atque sibi semper vindicant hanc gloriam. Unde quæstio ad hoc reducitur, ad videndum scilicet utrum Romani Pontifices sint revera legitimi S. Petri successores. Et cum de Episcopis Urbis Romæ agatur recolendum est, ex historia, quod S. Petrus Romam venit, ibique suam cathedram collocavit, immo et in hac civitate mortuus est. Nobis superfluum videtur esse in his tribus quæstionibus immorari cum hæ sint pure historicæ, et jam a studentibus hujus scholæ supponuntur peractæ. Unde, his suppositis jam probatis, statim in quæstionem directam ingredimur quærentes:

ARTICULUS UNICUS

UTRUM ROMANUS PONTIFEX SIT SANCTI PETRI IN EODEM PRIMATU SUCCESSOR

Status et sensus quæstionis. — Quæritur igitur an Romanus Episcopus qui cathedram S. Petri hereditavit et hereditat, constitutus sit etiam in eodem primatu; i. e. in eadem suprema auctoritate in

universam Ecclesiam, et quidem non ratione hereditatis cathedræ formaliter loquendo, neque jure ecclesiastico, sive historico, sed *jure divino*. Ergo quæstio est: *An Romanus Pontifex habeat jus divinum in S. Petri primatum.*

Momentum quæstionis est vitale. Quæstio enim fundamentalis est, et talis quod sine hac veritate tota auctoritas quam sibi tenet Romanus Pontifex evanesceret.

Adversarii. — Præter illos quos in art. primo præcedentis quæstionis notavimus, addimus: *a*) *Schismaticos*, qui primatum honoris tantum admittunt, et hunc translatum dicunt Constantinopolim; *b*) *Hæreticos et Rationalistas* omnes negant thesim nostram; quidam tamen admittunt honoris primatum et inspectionis dumtaxat. — *Harnack* et alii moderni protestantes contendunt auctoritatem Summi Pontificis Romani, non ex Christi institutione, sed ex naturali Urbis Romæ præeminentia, ortam esse (Cfr. Tanquerey, *l. c.*, p. 454, in nota). — Non pauci in *Ecclesia Anglicana Superiori* (*High Church*) primatum jurisdictionis admittunt, *jure* tamen *ecclesiastico*. *Lord Halifax*, eminens hujus Ecclesiæ membrum, an. 1895 concedit Romano Pontifici competere *primatum auctoritatis*, et quidem jure divino, non vero primatum potestatis et jurisdictionis [1]. Recenter autem ipse Lord Halifax, in Congressu Anglo-Catholico (ut ipsi se nominant) inculcavit ut omnes admittant primatum Romani Pontificis « *Divina Providentia* », i. e. *Jure Divino*. Tenet tamen ipse necessarium non esse ut suam Ecclesiam relinqueret et ad Romam converteretur, quia veram considerat theoriam de Ecclesia tripartita [2].

Prænotamina: 1) Distinguendum est inter *potestatem* Romani Pontificis, præsertim in prioribus sæculis, et *usum* ipsius potestatis. Recolendum est quod supra diximus in art. de superioritate Episcoporum presbyteris (Q. III, art. 4).

2) Consideranda sunt etiam quæ de evolutione dogmatum statuimus, q. IX, *De Magisterio Ecclesiæ*, art. IV, « Utrum numerus credendorum per Ecclesiæ magisterium augeri possit ». — Propterea, explicita testimonia in primis Ecclesiæ temporibus minime sunt rationabiliter expectanda, sicut vult Harnack. « Doctrina enim Christiana est veluti semen quod in agro fertili seminatum, tum

---

[1] Lord Halifax suam sententiam his verbis exprimit: « Primatus jure divino implicite habebatur in Nov. Test. et in ætate sub-apostolica; et *explicite* in Conc. Chalcedonensi, quod est unum ex quatuor conciliis quæ specialiter commemorantur in formularibus Anglicanis ». — A primacy « jure divino » was *implicit* in the New Testament and the sub-apostolic age, and *explicite* at the Council of Chalcedon, acouncil which is one of the four specially referred to in Anglican formularies. » (Pamphlet on « *Reunion* »). Cfr. *The Catholic Times*, Oct. 17, 1925.

[2] Cfr. *The Catholic Times*, dd. 12, 19, 26 Martii, 1926. « *Anglican Progress towards Reunion* ».

Divinæ Providentiæ tum circumstantiarum loci et temporis influxu, paulatim crescit... » (Cfr. Tanq. p. 453. — De Groot, p. 774).

Ad Articulum respondetur *affirmative;* de fide. Conc. Vat.: « Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut Beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse Beati Petri in eodem primatu successorem: A. S. ». — Sess. IV, cap. 2. Denz. n. 1825.

Probatur Articulus. — **Arg. I.** « A priori »: *Ex perpetuitate primatus.* — In quæst. præcedenti probavimus S. Petrum jure divino perpetuos habere successores in eodem primatu. At successor aut nemo est aut Romanus Pontifex. Nemo enim præter Romanum Pontificem indicari potest, ut successor S. Petri. Ergo Romanus Pontifex est successor S. Petri in eodem primatu. Jam supra diximus primatum S. Petri ad essentiam Ecclesiæ pertinere, quæ mutanda non est.

Arg. II. *Ex Veterum testimoniis.* — Notandum est cum Tanquerey (*l. c.*, p. 453): *A*) Tribus prioribus sæculis, præeminentia Ecclesiæ Romanæ in principio implicite et obscure, deinde magis nitide asseritur; *B*) Quarto et quinto sæculis, primatus episcopi Romani jam diserte agnoscitur; *C*) A quinto sæculo primatus ex consensu universalis Ecclesiæ in Conciliis adunatæ aperte proclamatur. — Hoc recte habetur juxta naturam evolutionis dogmatum, sicut supra prænotavimus.

Textus sumimus primo ex Orientalibus, postea ex Occidentalibus, deinde ex Conciliis Œcumenicis.

a) *Orientales.* — Sequimur De Groot ut jacet, a p. 557 usque ad p. 564. — In *ep. ad Romanos S. Ignatii Antiocheni* († 127) quatuor momenta occurrunt, quæ, simul sumpta, primatum Romanum ostendere videntur. 1º Ecclesia Romana ab Ignatio vocatur « *charitatis cœtui præsidens* », προκαθημένη τῆς ἀγάπης. Atqui vox τῆς ἀγάπης ad *Ecclesiam universam* referenda videtur. Etenim προκαθῆσθαι cum genitivo e loquendi consuetudine Patrum non *locum*, sed *objectum* præsidii sæpius significat; ἀγάπη autem ab Ignatio, ut patet ex aliis ejus epistolis, hic in *concreto* pro Ecclesia usurpatur. Jam Ecclesia Romana dicitur præsidens τῆς ἀγάπης non particularis alicujus Ecclesiæ, ut alias Smyrnæorum aut Ephesiorum, sed absque ulla limitatione; ita ut vox ἀγάπη *Ecclesiam universam* designare putetur. Sic etiam optime explicatur connexio totius textus [1]. — 2º De

[1] S. Ignatius salutat Ecclesiam, « quæ etiam *præside in loco regionis Romanorum* (ἥτις καὶ τροκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων) digna Deo, digna decore, digna quæ beata prædicetur, digna laude, digna quæ voti compos fiat, digne casta et *universo caritatis cœtui præsidens* (προκαθημένη τῆς ἀγάπης), Christi legem habens, patris nomine insignita »

Ecclesia Antiochena, pastorem suum amissura, hæc scribit: « Solus Jesus Christus illam vice episcopi *reget* (ἐπισκοπήσει) atque *vestra charitas* (ἀγάπη) » (cap. IX), seu *in concreto*, nisi fallor, Romana Ecclesia. — 3º Pensandum etiam, utrum ad magisterii potestatem pertineat hoc: « alios docuistis. Ergo vero illa quoque *firma esse volo*, quæ docetis et præcipitis » (cap. III). — 4º Sanctus martyr, majorem Ecclesiæ Romanæ quam aliis, ad quas epistolas direxit, Ecclesiis reverentiæ testificationem exhibet.

S. Irenæus († 202): « Quoniam valde longum est in tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximæ et antiquissimæ et omnibus cognitæ, a gloriosissimis apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes, qui quoquo modo... præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim *Ecclesiam* propter *potentiorem*[1] *principalitatem necesse* est *omnem convenire Ecclesiam*, hoc est, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab apostolis traditio ». *Adv. hær.* III, 3. Philologia sagax operam dedit, ut singulæ hujus testimonii partes lucerent. At vero totus hic idearum complexus, cujus *potentior principalitas* ECCLESIÆ ROMANÆ cardo est, ejusmodi haberi potest, ut etiam simpliciter considerantibus primatum testificari videatur. Quæ spontanea cognitio, cum argumenta contraria refellemus, utique reflexione stabiliri poterit.

S. Gregorius Nazianzenus († 389) Romam veterem novæ (Constantinopoli) confert illamque laudat, quod Occidentem totum devinciens salutari doctrina, « Quemadmodum par est, ut *quæ universis præsidet*, totam colat Dei concordiam ». *Carm.* lib. II, v. 579.

Theodoretus, ep. Cyrensis: « Habet enim sanctissima illa Sedes (Romana) *Ecclesiarum*, quæ *in toto sunt orbe principatum* ». *Ep. ad Renatum.* Græci omnes usque ad Theodorum Studitam, antiqua

---

(χριστόνομος πατρώνυμος). In sex reliquis epistolis non solemne illud προκαθήται, sed tantum τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ οὔσῃ ἐν Ἐφέσῳ, « Ecclesiæ *quæ est* », non quæ *præsidet.* Progrediente phrasi, illud « præsidet *in loco* regionis Romanorum » crescit in aliud « præsidens *charitatis* », ita ut prius *centrum* præsidii seu potestatis — *in loco regionis Romanorum* — postea *amplitudo* significari videatur, *charitatis*, seu in concreto simpliciter: *Ecclesiæ.* Ex quibus colligitur, Ecclesiam in loco regionis Romanorum esse præsidentem Ecclesiæ universæ. Cujus quidem salutationis, sic intellectæ, congrua clausula: *Christi legem habens, patris nomine insignita.* Si tamen προκαθημένη τῆς ἀγάπης vertendum videatur: *præsidens charitate*, idea tamen principalis *præsidii* ex priori προκαθήται et ex adjunctis recensitis remanet. Cfr. *Rev. Béné́d.* 1896, p. 385-400; Funk, *Abhandl. und Untersuch.* B. I., S. 1-12 et Ehrhard, *Die altchristl. Literatur*, Th. I, S. 97 contra Harnack, *Sitzungsber. der Berl. Akad.* 1896; *Florilegium Pat.* Grands Rauscher, p. 29, 30.

[1] Omnia manuscripta *potentiorem* habent, excepto codice Claromontano sæc. X, aut XI, qui *potiorem*. Cf. A. Dufourcq, *Saint Irénée* (1905), p. 126-129. — In *Carmine* Abercius Hieropolitanus scripsit, se Romæ *vidisse populum splendido sigillo insignem*, λαὸν δ'εἶδον ἐκεῖ λαμπρὰν σφραγεῖδαν ἔχοντα, quibus verbis, præcipue quod λαμπρὰ σφραγίς rem sacram significet, Ecclesiæ Romanæ honorem dixisse putatur.

Ecclesia Syro-Chaldaica, Ecclesia Armena [1], quin etiam ipse *Photius* primatum Romanum haud obscure professus est, atque in hymnis liturgicis Ecclesiæ Græco-Russicæ S. Leo Magnus, Romanus Pontifex, appellatur *possessor præsidii Petri*, τὴν τούτον προεδρείαν πλουτήσας; similia de S. Sylvestro, Rom. Pontifice, prædicantur. Cfr. Hergenröther, *Photius*, III, 337-340; Tondini, *The primacy of S. Peter demonstrated from the liturgy of the Greco-Russian Church*, pp. 143 et seqq.

b) *Occidentales.* — *Tertullianus* Zephyrinum, Papam, irridens, quod hic definiisset, vere pœnitentibus demitti posse peccata quædam impudicitiæ: « Audio - inquit - etiam edictum esse propositum, et quidem *peremptorium*, Pontifex scilicet Maximus, quod est, *Episcopus Episcoporum*, edicit », etc. *De pud.* c. I. Quibus verbis Montanista publicam catholicorum opinionem de auctoritate *peremptoria Episcopi Episcoporum* asperis verbis, sed claris, manifestat [2]. — *Hermas* († 150) quoque Romani Pontificis auctoritatem in Ecclesias exteras indicare videtur, inquiens: « Mittet ergo Clemens (Rom. Pont.) in *exteras civitates* (librum Visionum); *illi enim mandatum est*, ἐκείνῳ γὰρ ἐπιτέτραπται » *Pastor*, Vis. II, 4, n. 3. — *S. Cyprianus* († 258) asseclas Fortunati, viri schismatici, perstringit, qui « navigare audent ad Petri cathedram *atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est* » *Ep.* 59. Romam navigantes hortabatur, « *ut Ecclesiæ catholicæ radicem et matricem* agnoscerent ac tenerent » *Ep.* 45.

S. Hieronymus ad Damasum Papam scribit: « Beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior. Super *illam petram ædificatam Ecclesiam scio.* Quicumque *extra hanc domum* agnum comederit, *profanus* est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio» *Ep.* 15. — *S. Augustinus* Ecclesiam Romanam veneratur, « in qua semper *Apostolicæ cathedræ* viguit *principatus* »; in qua est « *culmen auctoritatis* » *Ep.* XLIII, 3; *De utilitate cred.* XVII. Idem ad Donatistas: « Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo Patrum, quis cui successit videte: ipsa est *petra quam non vincunt superbæ inferorum portæ* » *Psalm. c. part. Donat.* [3]. Jure *S. Prosper*, « *Carmine de ingratis* »:

« Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
Religione tenet ».

---

[1] Jos. Bar David, *Antiqua Ecclesiæ syro-chaldaicæ traditio circa Petri, ejusque successorum Romanorum Pontificum divinum primatum.* Romæ 1870. — Anzarian, *Ecclesiæ Armenæ traditio de Rom. Pontificis Primatu.* Romæ 1870. — De aliis fontibus cfr. N. Nilles, Ἑορτολόγιον.

[2] Adhémar d'Alès, *La théol. de Tertullien* (1905), p. 210-211; 217-218.

[3] Cfr. Th. Specht, *Die Lehre von der Kirche nach dem hl. Augustinus*, p. 154-186.

c) *Concilia œcumenica* (an. 431)[1]. In Concilio *Ephesino*, œcumenico III, Philippus, Pontificis Romani legatus, patres hoc modo alloquitur: « Nulli dubium, immo sæculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, apostolorum princeps et caput, fideique columna et catholicæ Ecclesiæ fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis et Redemptore, claves regni acceperit, solvendique et ligandi potestas ipsi data est; *qui ad hoc usque tempus, et semper, in suis successoribus vivit, et judicium exercet* ».

Plus *ducenti episcopi* aderant, quorum non nisi pauci Occidentales: contradixit nemo. — Patres Concilii *Chalcedonensis* (an. 451) œcumenici IV, ad Leonem M.: « Quibus (patribus Chalcedonensibus) tu quidem, sicut membris caput, præeras »; Dioscorum vituperant qui « suam insaniam » extendit « contra ipsum, *cui vineæ custodia a Domino commissa est* »; in concilio conclamarunt: « *Petrus per Leonem locutus est* »; decretorum confirmationem postulantes, « Rogamus igitur - inquiunt - et tuis decretis nostrum honora judicium et sicut nos capiti in bonis conjecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet impleat ». Aderant Chalcedone præter Occidentales aliquos circiter 630 ep. Orientales. — In Concilio *Cpolitano* III, œcumenico VI (an. 680), patres de Agathone, Romano Pontifice, hæc: « Summus nobiscum certabat apostolorum princeps; illius enim imitatorem et sedis successorem habuimus fautorem... Littera proferebatur et *Petrus per Agathonem loquebatur* ». Aderant præter Occidentales plus 150 patres Orientales. — Similiter patres Concilii *Cpolitani* IV, œcumenici VIII (869-70) subscripto famoso *libello fidei*, testimonium primatus Romani perquam illustre reliquerunt. Cfr. *Conc. Ephes.* Act. III; *Ep. syn. Chalced.* ad Leonem M. et *Act. Chalc.; Conc. Cpolit.* III, Act. XVIII; *Conc. Cpolit.* IV, Act. I. — Omitto recentiorum conciliorum firmissima de primatu judicia pluresque doctorum primitivorum sententias, de quibus infra, ubi de vi et ratione primatus agendum erit[2].

Arg. III. *Ex factis.* — Ab antiquissimis temporibus *a*) *Romani Pontifices in suis actis supremæ suæ auctoritatis sinceram conscientiam publice exprimunt* (cfr. Tanquerey, p. 454, ed. XV). Ita Clemens Rom. *ep.* I, *ad Cor.*; Julius I, *Ep.* I, 22; Damasus, *ep. ad Orient.;* Siricius, *ep. ad Himerium;* Innocentius I, *ep.* 29; Leo M. etc. Quare Bonifacius I († 423): « Hanc ergo (Rom. Eccl.) Ecclesiis toto orbe diffusis velut caput suorum certum est esse membrorum, a qua se quisquis abscidit, fit christianæ legis extorris ». *Ep.* 14 ad Rufum.

b) *Romani Pontifices in quascunque Ecclesias auctoritatem suam exercent.* Nam Clemens Rom. ad *Corinthios*, *ep.* I, 63, hæc

---

[1] Circa doctrinam Concilii Nicæni cfr. Melch. Canum, *l. Theol.* lib.VI, cap. IV, circa med.

[2] Constantin. II. prega il « Capo della Chiesa » il quale « tiene la prima sede in tutta la Chiesa » di approvare le sue decisioni. Cfr. Brück, p. 149.

scribit: « Lætitiam nobis præstabitis, si *obedientes* (ὑπήκοοι) *facti iis, quæ scripsimus per Spiritum Sanctum*, resecetis illegitimum zeli vestri studium secundum exhortationem, quam de pace ac concordia fecimus in hac epistola » [1]. Item Victor († 197) in controversia de celebrando Paschate [2], Zephyrinus († 217) in damnandis Montanistis, Cornelius († 252) adversus Novatianum, Stephanus († 257) in *lite de rebaptizandis hæreticis*, Dionysius († 269) in definiendo Incarnationis dogmate, Felix I († 274) in damnando Samosateno summa auctoritate usi sunt. Anno 342 Julius I, *S. Athanasium in sedem Alexandrinam restituit* (*epist.* Julii); Hormisdas legatos cum *Fidei libello* Cpolim misit, cui episcopi Orientales subscriberent, etc. Omnes Ecclesiæ Romam interrogant, jus suum Romæ prosequuntur, Basilius, Athanasius, Chrysostomus, Flavianus. Et S. Hieronymus in *ep.* 123 *ad Ageruchiam:* « Cum - inquit - in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum Romanum episcopum, et *Orientis Occidentisque synodicis consultationibus* responderem. »

c) *Ecclesiæ ubique terrarum Pontificem Romanum sequuntur*, sicut patres Ephesini Concilii Cœlestinum I; patres Chalcedonenses Leonem M., exclamantes: « Petrus per Leonem locutus est »; bis *mille quingenti* episcopi Hormisdæ *formulæ* subscripserunt [3]. Ex altera parte patres invictam Ecclesiæ Romanæ auctoritatem hæreticis ac contumacibus quibuscumque opponunt; quod ab Irenæo, Cypriano, Augustino aliisque inclytis Ecclesiæ propugnatoribus factum esse, supra probavimus. — *Hæretici* quoque, dum subterfugiendi spes ulla fuerit, Romanæ Sedis auctoritatem professi sunt, assensum quæsiverunt, ut Marcion (Epiph., *Hær.* XLII), Cerdo et Valentius (Iren., *Adv. hær.* I, 1; III, 3), Manichæi (Leo M. *ep.* 20), Eutyches (idem, *ep.* 21), Sergius (Mansi, XI, 530), Acaciani schismatici, qui de peccato se purgandi causa dixerunt, se « ignorasse, quid Sedes Apostolica censuisset ». — Neque primatus *ethnicos* latebat. Etenim cum Paulus Samosatenus, qui a recta fide simul et episcopatu exciderat, e domo quadam Ecclesiæ *Antiochenæ* excedere nollet, « interpellatus Imperator Aurelianus (270-275) *rectissime* — ita Eusebius — hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi

---

[1] Cfr. *Rev. Biblique*, 1900, p. 316-318; W. Scherer, *Der erste Klemensbrief an die Korinther* (1902). Versionem latinam antiquissimam edidit G. Morin, *Anecdota Maredsolana*, vol. II (1894).

[2] In tractatu *De aleatoribus* I. hæc: « Magna nobis ob universam fraternitatem cura est... et quoniam in nobis divina et paterna pietas apostolatus ducatum contulit et vicariam Domini sedem cœlesti ordinatione ordinavit et originem authentici apostolatus, super quem Christus fundavit Ecclesiam in superiore nostro portamus, accepta simul potestate solvendi ac ligandi et cum ratione peccata dimittendi: salutari doctrina admonemur, ne dum delinquentibus assidue ignoscimus, ipsi cum eis pariter torqueamur ». Harnack, *Texte und Untersuchungen zur Gesch. der altchristl. Liter.* B. V. opusculatum citatum S. Victori tribuendum esse affirmat. Sed post diutinam controversiam adhuc sub judice lis est. Si auctor aliquis Pontifex Romanus sit, paulo ante aut post annum 300 vixisse putatur. Cfr. Adhémar d'Alès in *Etudes*, 1905, 5 Août.

[3] Et fuit approbata a Concil. IV Const. Œcum. VIII. Vide apud Brück, p. 147.

præcipiens, quibus Italici Christianæ religionis antistites et *Romanus episcopus* scriberent » *H. E.* lib. VII, 31. Item Liberius Papa ab Ammiano Marcellino, viro ethnico, simpliciter « Christianæ legis antistes » (*Rerum gestarum*, lib. XV) nominatur; deinceps mentionem facit de *auctoritate*, « qua *potiores* æternæ Urbis Episcopi ». Ecce primatus *realis præsentia* [1].

Arg. IV. *Ex ratione divinæ Providentiæ.* — Quidquid unquam pro Deo et Jesu Christo præclare gestum est, Romanus Pontifex dux et auctor fuit. Ergo Romanus Pontifex non est *Antichristus*, sed *vir Dei*. Cum conceptu enim divinæ Providentiæ, Ecclesiam modo speciali regentis, valde repugnat, ut jura Dei et Christi regnum a principio usque ad hanc ætatem ipsi *per se* et *directe* defendenda relinquantur, qui sedeat in *sede superbiæ* tamquam *Antichristus*. Ad probandum *antec.* nonnulla facta nomino, historicis exponenda. Pontifices *paganismo* restiterunt, passi fortiter martyrium; *hæreticis* docendo, dirigendo, patiendo plurima, ut Sylvester, Julius, Damasus impugnando Arianos, Cœlestinus Nestorianos, Leo M. Eutychianos, Martinus Monothelitas; *barbaros* subegerunt prædicando, educando, puta Gregorius M. et Nicolaus M.; dimicarunt adversus morum corruptelam et pro libertate Christi Ecclesiæ uti Gregorius VII, Innocentius III; vindicarunt a sectis unitatem fidei, sacramenta, hierarchiam, consilia evangelica, libertatem Christianam, integritatem Ss. Scripturarum, uti Pius V; adversati sunt philosophismo, ut Pius VI et Pius VII; eorum, qui in Christum credunt, maximam partem ad fidem adduxerunt, et tradiderunt præcepta vitæ integerrimæ. Hodieque a Pio IX ad Pium XI, feliciter regnantem, collapsis rebus maximis, confusis hæreticorum et rationalistarum sententiis, Roma per Christum *verba vitæ æternæ* habet. Nec vate opus est, ut intelligatur, certaminis futuri *adversus* errores et *pro* Christo Deo duces fore Romanos Pontifices. Cfr. Wiseman, *Lectures on the principal doctrines and practices of the catholic Church*, lect. VIII.

OBJECTIONES

Objectio I. — *Potentior principalitas* de qua agitur in textu S. Irenæi indicat principalitatem urbis Romæ, non vero Ecclesiæ Romanæ ut sic. Ergo nihil probat.

Resp.: *Nego antec.:* Nam, sensus verborum patet: *a*) ex litteræ textu, *b*) ex contextu, *c*) ex fine auctoris. — *Ex litteræ textu:* clare et expresse Ecclesia nominatur, non est quæstio de urbe Roma.

---

[1] Cfr. Brück, *H. E.*, p. 145 et seqq. — Cfr. L. Duchesne, *Eglises séparées* (2 édit. 1905), p. 113-163: *L'Eglise romaine avant Constantin.* — Harnack, *Die Mission und Ausbreitung des Christentums* (1902), S. 268-272 eos recensens, qui a Polycarpo ad Origenem peregre abierunt, ait: „Dabei tritt die römische Gemeinde in überraschender Weise in den Vordergrund: sie ist der Zielpunkt der meisten Christen, die wir als Reisende kennen ».

Dicit enim: « Ad hanc Ecclesiam », « omnem Ecclesiam, *hoc est*, qui sunt undique *fideles* ». Agitur de fidelibus, non autem de civibus. — *Ex contextu:* argumentum enim S. Irenæi hoc est: Quænam est vera Christi Ecclesia? Illa quæ habet traditiones apostolicas. Sunt multæ Ecclesiæ quæ has traditiones habent. Unde valde longum esset omnium istarum Ecclesiarum enumerare successores apostolorum. Sed sufficit enumerare illos Ecclesiæ Romanæ, quia aliæ Ecclesiæ omnes, in quibus conservata est apostolica traditio, debent ad hanc Ecclesiam Romanam convenire propter suam *potentiorem principalitatem*. Patet quod non agitur hic de convenientia materiali, passibus corporis; sed de conformitate in doctrina fidei. Ita enim etiam Salmasius, qui contra primatum scripsit, dicit: « Necesse est omnem Ecclesiam convenire ad Romanam, id est, ut græce locutus fuerat Irenæus, συμβαίνειν πρὸς τὴν τῶν Ῥωμαίων Ἐκκλησίαν, quod significat: convenire et concordare in rebus fidei et doctrina cum Romana Ecclesia » (*De Primatu*). Quam interpretationem admittunt plures acatholici, uti Henricus Thiersch, Adolphus Stieren et Adolphus Harnack, viri eruditione insigni.

II. — S. Cyprianus in quæstione de rebaptizandis videtur primatum negare.

Resp.: Ad hanc difficultatem quod attinet remittimus studentes ad historiam ecclesiasticam et ad patrologiam, ubi ista quæstio tractatur in proprio lumine. Hic notamus tamen: auctoritas sancti Cypriani sola fere nihil vel parum valet contra unanimem patrum auctoritatem. Secundo, S. Cyp. non considerabat rem tamquam definitam, sed ut discutibilem, et contra argumenta non contra auctoritatem Summi Pontificis arguebat. Hinc quærebat *ratione vinci* a Stephano, qui auctoritatem suam dumtaxat ponebat contra rationes Cypriani. Unde, allegato Petri exemplo, dicit (Cyprianus): « nec Petrus, quem primum Dominus elegit et *super quem ædificavit Ecclesiam*, cum secum Paulus de circumcisione disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter aut arroganter; ut diceret *se primatum tenere* », etc. Ep. 71. Cfr. etiam ep. 70, *ad Januarium*, n. 3: ep. 73, n. 7, et 11.

III. — Quondam patres statuere conati sunt Constantinopolim uti Novam Romam propter suam civilem positionem. Ita in Conc. Cpolitano I, can. III.

Resp.: Iste canon nunquam ab Ecclesia fuit adprobatus. Cfr. *Hist. Eccl.*

IV. — Primatus origo explicari potest per causas humanas, quales sunt: ingens in urbe fidelium multitudo, splendor Romæ, divitiæ, charitas eximia, origo apostolica, fides integerrima et intrepida, Romanorum episcoporum versutia, ambitio, decreta imperatorum. Nulla igitur necessitas admittendæ institutionis divinæ.

Resp.: Istæ rationes explicarent si ad documenta patrum et ad testimonia Evangeliorum non respiciemus. Argumenta autem a nobis proposita, in factis historicis fundata, primatum divina ordinatione collatum, manifeste probant.

SCHOLION. — De jure quo Primatus Episcopatui Romano annexus sit.

Sensus quæstionis. — Comperto Romanum Pontificem legitimum successorem esse in eodem primatu S. Petri, quæritur nunc de connexione inter episcopatum Romanum, sive sedem episcopalem Romanam, et ipsum primatum in universam Ecclesiam. Jam a tempore S. Petri usque nunc, episcopi Urbis Romæ successerunt ipso S. Petro in eodem primatu. Nullus episcopus alterius sedis unquam fuit Pontifex totius Ecclesiæ. Est, igitur, quædam connexio legitima inter Sedem Romanam et primatum S. Petri. Hinc, quæritur quonam jure episcopatui romano annexus sit primatus. Utrum sc. jure divino, vel jure ecclesiastico, seu etiam an jure mere humano. Unde, potestne episcopus alterius sedis esse Summus Pontifex? Vel saltem ipsemet Summus Pontifex potestne sedem suam mutare?

NOTA: Sæpe Summi Pontifices *residentiam pro tempore* mutaverunt, non tamen sedem episcopalem eorum, seu apostolicam.

Variæ Catholicorum sententiæ. — Hæ in tres series dividuntur. Quidam annexionem, de qua loquimur, ex solo *jure ecclesiastico* dependere cernunt. Ita *Dominicus Soto* O. P. (IV Sent., D. 24, q. 2, art. 5). — Alii autem tenent eam dependere a *jure divino*, sive *directe*, ut volunt Melchior Canus (lib. VI, c. 8), Bellarminus (*De Eccl.*, l. IV, cap. 4); probabiliter etiam Cajetanus (*De Rom. Pont. instit.* cap. XIII) et S. Thomas (III P., q. 35, art. 7 ad 3um). — Alii autem *indirecte*. I. e. ex voluntate Christi huic sedi conjungendum esse primatum quem Petrus definitive selegerit; ita Tanquerey, *l. c.*, p. 452. — Tertia series eorum est qui annexionem istam de jure mixto (humano-divino) esse credunt; hanc sententiam habet Joannes a S. Thoma: « Et si probabile sit, inquit, ex aliquo mandato revelatione sufficienti ad inducendum jus divinum, Petrum conjunxisse pontificatum Ecclesiæ episcopatui Urbis; non tamen est certum eam conjunctionem esse de jure divino ».

Ecclesia circa naturam juris in quæstione nihil proprie definivit, propterea nulla censura digna est quorumdam veterum theologorum opinio, sc. quod Romanus Pontifex potest, *absolute loquendo*, primatum ab episcopatu Romano sejungere. Attamen, præ oculis habitis vicissitudinibus et probationibus quibus passa est Ecclesia decursu viginti sæculorum, quam maxime probabile videtur rem ita se habi-

turam esse, sicut in præterito, usque ad finem mundi. Ita recte Tanquerey. Item, consideranda est etiam propositio 35a in Syllabo Pii IX damnata: « Nihil vetat alicujus Concilii Generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum a Romano Episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri ». — Hæc sententia neque affirmat neque negat an Romanus Pontifex possit suam sedem apostolicam in aliam civitatem definitive transferre. Concilium Vaticanum tamen hæc verba habet: « Qui (S. Petrus) ad hoc usque tempus *et semper* in suis successoribus, *episcopis Sanctæ Romanæ sedis*, ab ipso fundatæ, ejusque consecratæ sanguine, *vivit et præsidet et judicium exercet*. Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is *secundum Christi ipsius institutionem* primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet » (In Const. Dogmat. *Pastor Æternus*). Attamen nec hæc Concilii declaratio videtur negare Romanum Pontificem posse suam sedem apostolicam in aliam civitatem definitive transferre.

Ad Articulum ergo respondeo: « Primatum jure divino, saltem indirecto, Episcopatui Romano *probabilius* annexum esse ». Dico *saltem indirecto*, quia de mandato divino directo nihil certe constat.

Probatur Articulus. — De jure divino est ut successores sancti Petri succedant ei *in eodem primatu*. Atqui, successores S. Petri succedunt ei in sede Romana tantum. Ergo sedes Romana secumfert primatum S. Petri, et quidem jure divino.

Quod autem successores S. Petri succedant ei in sede Romana hoc argumento probatur: — Christus in necessariis Ecclesiæ suæ non deficit. Atqui non declarare *quinam* debet esse successor sancti Petri, esset deficere in necessariis. Nam, mortuo Petro, quisnam debebat primatum ejus accipere? Talis determinatio personæ non poterat fieri ab ipsis apostolis, secus enim hoc fecissent. At nullum documentum habetur ad probandum quod apostoli successorem Petri determinassent. Immo, contrarium patet, quod scilicet mortuo Petro Ecclesia successores ejus statim et sine apostolorum interventu in eodem primatu cognovit. Ergo remanet quod Christus, saltem indirecte, determinavit successores S. Petri. Hi autem sunt, ut diximus, *Romani Pontifices*. Unde, probabilius est connexionem inter episcopatum Romanum et primatum S. Petri esse ex ordinatione Christi. Consequenter nec ipse Romanus Pontifex potest suam sedem in alia sede definitive collocare.

— Nec valet dictum aliquorum, Ecclesiam determinasse sedem romanam pro successoribus S. Petri in primatu. — Etenim, 1° est contra factum historicum. Patet enim ex historia Ecclesiam *accepisse* episcopum Romanum tamquam successorem S. Petri in primatu; non constat autem Ecclesiam connexionem fecisse inter sedem romanam et primatum S. Petri. Nemo sanæ mentis dubitat Linum

successorem fuisse Petri in eodem primatu, tamen ipse non ab Ecclesia, i. e. a populo vel a concilio, fuit collocatus in Sede Romana; verumtamen ab apostolis Petro et Paulo, ut notat Irenæus: « Fundantes igitur et instruentes Beati apostoli Ecclesiam, *Lino* episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt... » (*Adv. hær.*, III, 3). Successor autem S. Petri in Sede, fuit etiam successor ipsius in primatu, non auctoritate Ecclesiæ, sed auctoritate Petri, i. e. Christi. Quod etiam testimoniis Patrum confirmatur. Ita, v. g., *S. Gelasius Papa:* « *Sedis* illius præsulis (inquit) consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus et divinitas summa voluit præeminere » (Ep. 11, *ad Anast. imp.*). Idem, Ep. 14 asseverat Christum « dispensatione mirabili Petrum in dominam gentium, Romam direxisse ». Famosa sunt verba *S. Nicolai I* (an. ob. 858) : « Privilegia illius *sedis* perpetua sunt; *divinitus* radicata atque plantata sunt; impingi possunt, *transferri non possunt* » (Ep. VIII *ad Michaëlem Imp.*). Idem sentiebat *Bonifacius VIII* in Bulla *Sacrosanctæ Romanæ:* « Ecclesiam Romanam imperscrutabilis *divinæ providentiæ* altitudo, universis *dispositione incommutabili* prætulit ecclesiis ». Tandem *Leo XIII* clarius adhuc hanc doctrinam affirmavit. In litteris ad Card. Rampolla, 15 die Junii 1887, scripsit: « Nec sine *speciali Dei numine* ad illam idololatræ Orbis Μετρόπολιν b. Petrus Apostolorum Princeps gressus egit, ut ejusdem Pastor evaderet, eique supremi apostolatus auctoritatem *in perpetuum* transmitteret ». Postea, die 11 Maji 1899: « Unam ex omnibus Romanam Urbem ad munera excelsiora atque altiora humanis delegit sibique sacravit Servator *Perpetuitate Temporum* ». — Hæc evidenter mentem Ecclesiæ manifestant, quod sc. primatus S. Petri cum ejus cathedra romana divina ordinatione inseparabiliter est conjunctus. — 2º Quod si hæc unio auctoritate ecclesiastica facta fuisset, nihil vetaret alicujus Concilii generalis sententia Sedem Summi Pontificis ad alium episcopatum transferri. Hæc autem sententia est Professoris Nuytz, damnata in Syllabo Pii IX (prop. 35).

OBJECTIONES

Objectio I. — Quidam hæretici ponunt primatum annexum fuisse Ecclesiæ Romanæ gratia principum sæcularium. Hoc probant ex vita Constantini ubi legitur ipsum quarta die sui baptismi, Romanæ Ecclesiæ Pontifici hoc privilegium dedisse ut omnes sacerdotes eum haberent caput sicut judices regem: « Atque, inquit, decernentes sancimus ut principatum teneat, tam super quatuor præcipuas, quam etiam super omnes in universo orbe terrarum Ecclesias Dei » (Cap. *Constantinus*, D. 96).

Resp.: Ex his constat Constantinum agnovisse primatum Pontifici Romano esse collatum ab Imperatore Cœlesti: unde, in his

quæ objiciuntur, non instituit ex auctoritate novum jus, sed jus divinum promulgat et asserit, ut nemo obedientiam et reverentiam Romano Pont. debitam exhibere detrectet.

— Ad alias similes objectiones et responsiones cfr. Billuart, *De Reg. Fidei*, Dis. IV, art. 4.

II. — Vel primatus est privilegium locale, vel personale; si primum, semel concessum uni loco in alium transferri non potest, sicque Petrus non potuit illud ex Antiochia Romam transferre; si secundum, nulli loco est annexum. Ergo.

Resp.: Hoc privilegium primo fuisse personale, quippe concessum personæ Petri, non ut privato, sed ut pastori Ecclesiæ, ideoque in successores transmittendum; postea vero probabilius evasisse locale pro urbe Roma, ex mandato Christi facto Petro, sive ante ascensionem, sive cum occurrit illi dicens: *Venio Romam iterum crucifigi* [1].

Instantia I: Si Roma funditus subverteretur, non esset amplius episcopus Romanus, et tamen esset aliquis supremus Ecclesiæ pastor. Ergo...

Resp.: *Nego consequens.* Foret enim adhuc jure Romanus Episcopus, sicut sunt modo episcopi *in partibus infidelium.* Insuper credibile est Deum hanc totalem Romæ eversionem non permissurum.

Instantia II: Quod est juris divini, est de fide; atqui non est de fide quod primatus sit annexus episcopatui Romano: ergo...

Resp.: *Dist. maj.:* Quod est juris divini, est de fide, si sit de fide certum quod sit juris divini, *concedo;* si sit tantum probabilius, *nego.* — Nos autem non dicimus esse de fide certum, primatum esse jure divino annexum episcopatui romano, quia id non habemus revelatum in S. Scriptura vel Traditione, sed esse probabilius tantum, ideoque non est de fide *quoad nos.* Et hoc est notandum, *quod licet sit de fide* Romanum Pontificem, v. g. Pium XI, ab Ecclesia ut pontificem acceptatum, esse successorem S. Petri in eodem primatu (hæc autem particularis propositio includitur tamquam pars in toto in propositione de fide quod omnis homo ab universali Ecclesia acceptus ut supremus Ecclesiæ pastor, est successor S. Petri), tamen non est de fide romanum episcopum esse jure divino successorem Petri et caput Ecclesiæ, *quia est episcopus romanus.* Cfr. Bill., *l. c.*

---

[1] Quamvis hoc factum in nullo primi sæculi documento inveniatur, tamen traditio jam medio sæculo secundo ab Hegesippo scriptis mandatur (*De Exitio Jerosolymitano* lib. III, c. 3). Eamque citant S. Ambrosius in epist. 32, *contra Auxentium*, et S. Greg. M. *in Psal.* 5. — Unde traditio hæc perantiqua est atque a viris summis adprobata.

QUÆSTIO XIV.

De vi et ratione Primatus Romani Pontificis.

Comperto Romanum Pontificem successorem in eodem primatu S. Petri esse ex jure divino (probabilius), quærimus nunc de ipsa potestate Summi Pontificis; et *primo* quidem de ejus origine, an sit a Deo immediate accepta; *secundo*, de extensione et qualitate hujus auctoritatis (art. 2); *tertio*, de relatione hujus potestatis cum illa episcoporum; et circa hoc quærenda sunt duo: 1° quomodo se habet potestas Summi Pontificis in omnes et singulas Ecclesias (art. 3); 2° utrum potestas aliorum episcoporum derivetur a Romano Pontifice (art. 4); — *quarto*, agendum est de infallibilitate Summi Pontificis (art. 5); cui adjungemus duas quæstiunculas: de valore Syllabi Pii IX, et de auctoritate Congregationum Romanarum in materia fidei et morum.

Articulus I.

UTRUM ROMANUS PONTIFEX POTESTATEM SUAM A DEO IMMEDIATE ACCIPIAT

Status et sensus quæstionis. — Statuimus Romano Pontifici potestatem divinitus datam fuisse; quærimus utrum immediate eam accipiat a Deo; vel ab Ecclesia. — Omnes admittunt Ecclesiæ competere jus designandi personam ad Summum Pontificatum; sed quæstio est *de collatione potestatis.*

Adversarii sunt fautores *systematis democratici*, qui docebant Romanum Pont. suam potestatem jurisdictionis *a communitate fidelium* accipere. Cujus erroris Richerius et Febronius auctores præcipui fuerunt. Cfr. Marx, *Hist. Eccl.* ed. Ital., p. 575.

Ad Articulum respondetur *aff.* de fide. — Concilium Vaticanum anathematizat propositionem negantem S. Petrum a Christo jurisdictionem accepisse *directe et immediate* (Denz. 1823). In hoc canone non habetur mentio Romani Pontificis, sed de fide est Romanum Pontificem in persona Petri a Christo, non vero ab Ecclesia, accipere primatum. Ita Pius VI: « Sententia quæ statuit, Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ ministeriale; sic explicata ut Romanus Pontifex non *a Christo in persona Beati Petri*, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiæ caput pollet in universa Ecclesia: — *hæretica* » (Denz. 1503). — Tandem, Concilium Vat. declaravit:

« (Christus Romano Pontifici) in Beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro J. C. plenam potestatem tradidit... » (Denz. 1826) [1].

Probatur Articulus. — Summus Pontifex potestatem accipit aut a Christo immediate, aut mediante Ecclesia. Atqui non mediante Ecclesia. Ergo...

Major satis clara est. — *Probatur minor* multiplici ex capite:

1) quia Romanus Pontifex est vicarius Christi et Dei; vicarius autem alicujus non a subditis eligitur, sed ab eo cujus vices gerit. Si vero hoc universaliter verum est in rebus humanis, quanto magis in divinis, i. e. in casu nostro?

2) quia potestas jurisdictionis in Ecclesia nunquam confertur a fidelibus, sed a superioribus, et originative a Papa, et primo a Christo. Ergo a fortiori potestas maxima Summi Pontificis non confertur a fidelibus;

3) quia eo ipso quod Ecclesia eligit episcopum Romanum, etiam ipso refragante, ipse est Summus Pontifex, successor S. Petri in eodem primatu, auctoritatem habens in universam Ecclesiam. Unde, potestas Summi Pontificis non dependet ab Ecclesia nisi quantum ad designationem personæ;

4) quia traditio apostolica semper intellexit Christum in persona Petri successoribus ejus in primatu dedisse potestatem.

— Sicut igitur vis sacramentalis, character sacerdotalis et alia hujusmodi habentur immediate a Deo, ministerialiter vero per Ecclesiam; ita etiam auctoritas Romani Pontificis jurisdictionis, quæ est potentia activa cum maxima præeminentia, secundum illud: « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ». « Pasce agnos et oves meas ». « Confirma fratres tuos ».

Scholion I: *Utrum Summus Pontifex possit sibi designare successorem.*

Resp.: Probabilius talis designatio non esset decisiva, sed *consultiva* dumtaxat. Nam, 1º in viginti sæculis semper viguit consuetudo ipsam Ecclesiam designare successorem S. Petri in persona Romani Pontificis. Talis autem consuetudo videtur vim legis habere. — 2º Nullus Romanus Pontifex unquam hoc sibi jus competere declaravit, sive explicite sive implicite. — 3º Talis designatio decisiva destrueret formam Ecclesiæ democraticam, nihil enim prohiberet Summum Pontificem creari jure hæreditario. — 4º Si in mente Christi esset talis designatio, cur usque nunc nunquam habuit effectum?

---

[1] Idem habetur in Conc. Florentino.

Scholion II: *Utrum revelatum fuerit Summum Pontificem immediate a Christo potestatem suam accipere.*

Resp.: Opinio communis apud Patres et Doctores Ecclesiæ hæc est: quod hoc revelatum habetur ut implicitum in explicito, sc. in verbis Christi ad Petrum. Audiatur Joannes a S. Thoma: «Collatio pontificatus (inquit) facta huic, qui de novo eligitur, non constat per aliquam revelationem factam de hac persona, *constat tamen ex prima illa institutione pontificatus, et collatione illius a Christo Domino ipsi Petro, et successoribus*, ut notat pater Suarez... nam hoc ipso quod legitime eligitur et designatur ad succedendum Petro, ex vi illius primæ collationis ei debita est potestas illa, quæ Petro data est, ut remaneret in successoribus, nec indiget nova alia collatione sed sola Ecclesiæ designatione» (In II-II *de auct. Summi Pont.*, II, art. 1, n. 16).

Articulus II.

UTRUM ROMANUS PONTIFEX HABEAT TOTAM PLENITUDINEM POTESTATIS SUPREMÆ

Sensus quæstionis. — Agitur de qualitate extensiva potestatis Summi Pontificis, de potestate, ut patet, jurisdictionis, non vero ordinationis. Quæritur, utrum *tota* potestas jurisdictionis Ecclesiæ, sive in foro interno, sive externo, resideat in Romano Pontifice; et ab ipso in alios Ecclesiæ ministros derivetur, immo in universam Ecclesiam. Aliis verbis, agitur *de objecto* potestatis Romani Pontificis, quæ sunt res fidei et morum, disciplinæ et regiminis, et *de subditis.*

Momentum quæstionis hodie, cum omnes et singuli Ecclesiæ episcopi plenam auctoritatem in Romano Pontifice residere agnoscunt, non est tam grave sicut fuit tempore Febronianismi et Gallicanismi. Attamen speculative satis grave est ut de se patet.

Adversarii. — Jam tempore Concilii Pisani (1409) perhiberi cœptum est, Papam superiorem esse Ecclesia *distributive* non *collective* sumpta. Hæc autem theoria ad culmen pervenit sæculis XVIII et XIX per Febronianismum et Gallicanismum. *Febronius* (Nicolaus Hontheim † 1790), contra Papam agens distinxit jura pontificia in *essentialia, accidentalia* et *præsumpta. Prima* procedunt a natura ipsius Pontificatus Romani, et sunt jus supremæ inspectionis, jus vindicandi canonum observantiam, convocandi concilia generalia et alia hujusmodi; *accidentalia* autem, quorum origo habetur in decretalibus falsis, ut aiunt, Isidori Mercatoris, sunt jus confirmandi electionem episcoporum, jus deponendi episcopos, canonizatio sanctorum etc.; *præsumpta* tandem dicebantur illa quæ magis a statu

civili opponebantur, uti infallibilitas Romani Pontificis, jus in temporalia, jus casus reservandi, etc. (de his cfr. *Historiam Eccl.* apud Marx, *l. c.*, p. 576). — *Gallicanismus* autem ponit Concilium supra Papam, et in hoc differt a febronianismo quod jura Romano Pontifici negata Statui attribuit, dum febronianismus hæc episcopis attribuit [1].

Prænotamina: 1. Quantum ad *objectum* potestatis Romani Pontificis, notandum est cum S. Thoma, quod Papa non potest dispensare « quantum ad ea, quæ sunt de jure naturali et quantum ad ea quæ sunt de necessitate sacramentorum et fidei; sed in aliis quæ sunt de institutione apostolorum, cum Ecclesia habeat nunc eamdem potestatem statuendi et destruendi, potest *per eum, qui primatum* in Ecclesia tenet, dispensari » (In IV Sent., D. XXII, q. 3, a. 3; *Summa Theol.* II-II, q. 89, a. 9 ad 3; *Contra Impugn.*, C. IV; *Quodl.* IV, 13).

2. Similiter, ad subditos quod attinet hujus potestatis, hi sunt universalis Ecclesia, fideles et pastores tam seorsum singuli quam simul omnes. Ita S. Thomas: « Papa habet plenitudinem *pontificalis* potestatis, quasi *Rex in regno;* sed Episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, quasi judices singulis civitatibus præpositi » (In IV Sent., D. XX, a. 4). « Prælatio (apud Romanum Pontificem est) *indistincte in omnes* » (*l. c.*, D. XIX, q. 1, a. 3). « Hoc autem privilegium Christus Romanæ Ecclesiæ contulit, *ut omnes ei sicut Christo obediant* » (*C. Impugn.* III); ex quo sequitur ut, « subesse Romano Pontifici, sit de necessitate salutis » (*Contra Errores Græc.* c. LXVIII).

Ad Articulum respondetur *aff.* de fide. Concilium Vat. (quod jam a Conc. Flor. declaratum fuit) definivit: « Si quis igitur dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis, quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffuse pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis;

---

[1] Nota historica. — Nemo inter Patres unquam dubitaverat Summo Pontifici plenam i. e. perfectam et totalem potestatem competere. Diuturna tamen sæculorum luctatio inter imperium vel regnum et Papatum, præstigium hujus depressit temporale. Imperatores et reges non pauci independentiam a Papa omnimodam volebant. Episcopi ex nobilibus eligebantur, et ingentes divitias possidebant, quibus ad pompam sæculi utebantur. Multa jura exercebant, quæ independentiam a Romano Pontifice fovebant, uti canonizare sanctos in propria diœcesi, reservare peccata, pœnas incutere aliaque hujusmodi. Ex altera parte, autem, haud semper, illo tempore, viri optimi in cathedra Petri sedebant. Unde, purgata Ecclesia persecutionum igne, collapsaque principum atque superborum episcoporum vanitate, fideles omnes et pastores magna cum devotione ad crepidem Totius Ecclesiæ humiliter confluerunt. Quæ perfecta devotio universalis Ecclesiæ quam maxime tempore anni sancti refulget, scilicet anno 1925.

aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles, A. S. » (Sess. IV, c. III).

Probatur Articulus. — I. Ex Sacra Scriptura. — Nam ex famosis textibus quibus auctoritas S. Petri a Christo ei data probatur, omnino indicatur tota Ecclesia, fideles sc. et pastores omnes, sub *una* sunt rupe fundati, sub directione *unius* pastoris, cui datum est confirmare alios apostolos, unde a fortiori *totam* Ecclesiam. Unde tota in uno est potestas Ecclesiæ jurisdictionis.

II. Ex Traditione. — Patres enim dicta Christi de Petro ad ipsius successores applicarunt. Ex quibus probatur Romanum Pontificem habuisse potestatem in *omnes* fideles, et in *omnia* ad Ecclesiam spectantia. Hoc autem manifestatur tum *dictis* tum *factis* [1].

A) *Dictis.* — Papa irridetur a *Tertulliano* hæretico tamquam *episcopus episcoporum* (*De Pudic.*, I); honorat *S. Augustinus pastorem pastorum* (*Contra duas epist. Pelagian.*, I. IV, 12); a Conc. œcum. sexto vocatur *Antistes universalis Ecclesiæ.* — *Chrysostomus:* « Filius, quæ Patris est et ipsius Filii, potestatem Petro ubique terrarum concessit » (*In Mt.*). Item, « Jacobum localiter in loco terminat, Petrum autem totius orbis ordinat magistrum et doctorem » (*In Jo. Homil.* 85). Item in *Act. apost.:* « Petrus a Filio super omnes qui filii sunt, potestatem accepit, non ut Moyses in gente una, sed in universo orbe... ». — *Cœlestinus I:* « Nos præcipue *circa omnes* cura constringimur, quibus necessitatem *de omnibus* tractandi Christus in S. Petro apostolo, cum illi claves aperiendi claudendique daret, indulsit » (*Ad episc. Illyric.*, ep. 3).

B) *Factis.* — Romani Pontifices etiam alias Ecclesias correxerunt. Ita *Clemens Romanus* per epist. ad Corinthios. — Ad ipsos appellationes causarum factæ sunt. — Ipsi episcopos et patriarchas reos deposuerunt, insontes restituerunt, puta in causa S. Athanasii, cum omnis Ægyptus ac Alexandria litteras ad Romanum Pont. daret, ad Julium prius de *reddenda* exsulanti Athanasio communione, dein ad Liberium de *tuenda* (S. Hil. *Frag.* IV, 2). Unde dicit *S. Cœlestinus* Papa: « Inter ceteras *curas* et *diversa negotia*, quæ ad nos ex *cunctis* veniunt semper *Ecclesiis*, propensiorem nos etiam vestri sollicitudinem gerere... poteritis advertere » (Ep. 3 *ad episcopos Illyricos*). Item, *Greg. M.*, ut Joannis Jejunatoris, episcopi Cpolitani, superbiam humilitatis exemplo corrigeret, *titulum* episcopi œcumenici respuit, sed *rem* affirmat, dicens: « Claves regni cœlestis accipit (S. Petrus), *cura ei totius Ecclesiæ* et principatus com-

---

[1] S. Thomas: « Hoc (plenitudo potestatis in Petro) trahitur etiam ex auctoritate Sacræ Script.: nam Petro indistincte oves suas Christus commisit, dicens, Joan. ult. 17: Pasce oves meas — Ut sit unum ovile et unus Pastor (Joan. x, 16) ».

mittitur » (Ep. V, 20, *ad Maurit. Imper.*). Rursus archimandritæ et monachi secundæ Syriæ ad Hormisdam: « *Christus* Deus noster *principem pastorum*, doctorem et medicum animarum constituit nobis vestrum sanctum angelum ». — Quare Romani Pontifices summa auctoritate usi sunt in Ecclesias Orientales et Occidentales; in patriarchas Cpolitanum et Antiochenum, etc.; in œcumenica concilia, *præcipiendo*, ut Cœlestinus, patribus ephesinis, qui agunt « coacti per canones et epistolam patris ac ministri Romanæ Ecclesiæ episcopi » (Mansi VI, 1211). Alia similia documenta in hist. eccl. occurrunt.

Confirmatur ex fine ecclesiastici regiminis. Ecclesia enim ad instar ovilis per unum pastorem gubernatur, ad unitatem et pacem servandam. Ad hoc autem quam maxime confert quod tota potestas in uno resideat.

Nota: Ad objectiones quod attinet, cum hæ sint ex historia ecclesiastica depromptæ, studentes ad istam disciplinam remittimus. Hic autem hoc unum notamus quod, quamvis tota Ecclesiæ auctoritas in uno resideat, tamen Romanus Pontifex Ecclesiam gubernat auxilio Spiritus Sancti speciali, atque humanis auxiliis minime despectis.

Articulus III.

UTRUM POTESTAS ROMANI PONTIFICIS IN OMNES ET SINGULAS ECCLESIAS SIT ORDINARIA ET IMMEDIATA

Status et sensus quæstionis. — Potestatem *ordinariam* intelligimus illam, quæ principi *vi muneris* competit, ob eamque rem pro semper et non tantum pro casibus extraordinariis; *immediatam* autem dicimus, qua quis nullius potestate interposita utitur in subditos *proprios*. Ideo hic agitur, utrum Romani Pontificis potestas in omnes et singulas Ecclesias ordinaria sit ac immediata. Quid autem voce *immediatæ* significetur, rectius intelligitur ex auctoritate S. Thomæ, explanantis, quare *et* Papa *et* episcopus habeant potestatem immediatam in diœcesin, archiepiscopus vero non habeat in illos, qui sunt de diœcesi episcopi. S. Thomas enim ad quæstionem, utrum et Papæ et episcopo potestas immediata in diœcesin competat, ita respondet: « Constat enim quod archiepiscopus non habeat immediatam jurisdictionem in illos qui sunt de diœcesi episcopi, nisi causa ad eum deferretur; sed episcopus habet *immediatam* jurisdictionem in parochianos sacerdotes, cum possit quemlibet coram se citare et excommunicare; quod archiepiscopus non potest in subditis episcoporum, ut dictum est. Cujus ratio est, quia potestas sacerdotis *naturaliter et ex jure divino* subditur potestati episcopi, cum sit imperfecta respectu illius, ut Dionysius probat; sed episcopus subditur archiepiscopo solum *ex ordinatione Ecclesiæ*. Et ideo

in quibus Ecclesia statuit episcopum archiepiscopo subjectum, in illis tantum subjectus est ei. Sacerdos autem qui ex jure divino episcopo subditur, in omnibus est ei subjectus; sicut etiam Papa habet *immediatam* jurisdictionem in omnes Christianos; quia Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis ceteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica *voce Domini* et Salvatoris nostri primatum obtinuit » (*Contra Impugn.*, cap. IV).

Adversarii. — Inter Richerianos et Febronianos convenit, Papam in negotiis diœceseon intervenire non posse *nisi extraordinario.* Cui opinioni Febroniani ita favent, ut negent Pontificem Maximum in diœcesibus eximere posse regulares ordines, dispensationes sibi reservare vel quicquam agere hujusmodi, non consentiente episcopo. Nostra ætate viri aliquot, uti « *Janus* », insolentes sensus ecclesiastici, de Vaticanis decretis declamitarunt, conquesti Papalem *omnipotentiam* atque deturbatos dignitate sua præsules.

Ad Articulum resp. *aff.* de fide. Conc. Vat.: « Si quis igitur dixerit... ejus (Romani Pontificis) potestatem non esse *ordinariam et immediatam* sive in omnes et singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles, A. S. » (Sess. IV, c. III). — Cfr. *Syll.* prop. 34.

Probatur Articulus. — *a*) *Potestas ordinaria* est, quæ principi vi muneris pro semper competit et pro quibusvis casibus. Hæc autem in Pontifice Romano residet. Nam Dominus noster S. Petrum *fundamentum* Ecclesiæ, *clavigerum* cœli, *pastorem* gregis, *confirmatorem* fratrum creavit; quæ munera sane simpliciter et pro casibus quibuscumque concredita sunt, non pro casibus extraordinariis tantum. Nullum enim discrimen a Christo factum est.

b) *Potestas immediata* est, quæ, nullius interposita potestate, in subditos proprios exerceri potest. Jam ex argumentis ante positis facile intelligitur, totam Ecclesiam, omnes fratres, agnos et oves, fideles et pastores, Petro ejusque successoribus directe et jure divino commissos esse. Ergo Summus Pontifex, « solus habet totam plenitudinem auctoritatis, quam Christus Ecclesiæ contulit... ubique in omnibus Ecclesiis habet illam sicut in speciali sua sede romana ». S. Bonaventura, *Quare fratres Minores prædicent.*

Corollarium. — Consequentia supremæ potestatis patres Vaticani sequentibus docuerunt:

a) « Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiæ, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite

impediri posse dicunt, aut eandem reddunt sæculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quæ ab apostolica sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis sæcularis placito confirmentur ».

b) « Et quoniam divino apostolici primatus jure Romanus Pontifex universæ Ecclesiæ præest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri; sedis vero apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad œcumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare » Sess. IV, c. 3.

OBJECTIONES

Objectiones quæ apud P. De Groot habentur sic breviter exponuntur:

1. Plures in una diœcesi præpositos ordinarios et immediatos esse, absurde dicitur.

Resp.: Si plures qui ita præsunt non sunt *subordinati, conc.;* si subordinati, *nego.*

Instantia: Sed altero constituto in diœcesi ordinario, proprii episcopi dignitas læditur.

Resp.: Si alter constituitur eadem ratione, *concedo;* si diversa ratione, *nego.* Auctoritate Romani Pontificis magis ac magis firmatur episcoporum auctoritas. Romanus Pontifex tamen non præficitur cuilibet Ecclesiæ ut proprius et specialis illius Ecclesiæ rector, quia sic cessarent omnium aliorum Pontificum potestates. Ita S. Thomas (*Cont. Impugn.*, c. IV).

ARTICULUS IV.

UTRUM JURISDICTIONIS POTESTAS MEDIANTE PONTIFICE MAXIMO AN IMMEDIATE A DEO IN EPISCOPOS DERIVETUR

Status et sensus quæstionis. — Posito Romanum Pontificem habere in universam Ecclesiam ordinariam et immediatam jurisdictionem, ponitur nunc quæstio, utrum episcopatus, in particulari consideratus, secumferat necessario, virtute consecrationis, independenter a Romano Pontifice, *potestatem jurisdictionis*, i. e. jus alios gubernandi; vel hoc jus accipiat non virtute consecrationis, sed virtute confirmationis a Maximo Pontifice. Si igitur Romanus Pontifex denegaret confirmationem alicujus episcopi jam consecrati, iste episcopus haberetne jus *valide* gubernandi suos subditos?

Sententiæ Catholicorum in hac quæstione duæ habentur. S. Thomas affirmat dicens: « Papa, qui est loco S. Petri, habet plenariam potestatem, *alii vero ab ipso* » (*Exp. in Mt.* xvi, n. 2; cfr. in II Sent., D. 44, q. 2, art. 3; *C. Gent.* IV, 76; II-II, q. 39, a. 3). Id est alii, qui a Christo habent jurisdictionem tamquam a *causa principali*, in ipsos derivat *mediante* Romano Pontifice. Hanc sententiam tenent etiam S. Bonaventura (*Quare fratres Minores prædicent*), S. Antoninus (*Summa*, p. II, tit. XXII, c. III, par. 3), Suarez (*De leg.*, l. IV, 4), omnesque fere summi theologi.

Altera sent., quæ docet episcopos *immediate* a Christo, i. e. non mediante Romano Pontifice accipere potestatem jurisdictionis, est Vasquez, Alphonsi de Castro, et aliorum.

Sententiam S. Thomæ, quæ communior est et traditionalis, eligendam ducimus, propter sequentes rationes:

Arg.: — 1) quia etiam episcopi fundati sunt supra *Petram;* Petra est enim fundamentum totius Ecclesiæ; — 2) quia etiam episcopi pascendi sunt, pertinent enim ad ovile, cujus unus est Pastor, scilicet cui datum est pascere universum gregem; — 3) quia Petrus habet claves in illo sensu quo habet curam gregis, et quo est Petra; — 4) quia sine Maximi Pontificis confirmatione, seu injunctione episcopi, subditos habere nequeunt; cujus enim diœcesis sunt episcopi sine mandato Romani Pontificis? — 5) quia si episcopi haberent potestatem jurisdictionis independenter a Papa, unitas Ecclesiæ periclitaretur.

Ex his igitur videtur, auctoritate summorum theologorum corroboratis, potestatem episcoporum jurisdictionis provenire quidem a Christo ut a causa principali, sed tamen *mediante* Capite Ecclesiæ visibili, ad quod tota Ecclesiæ cura pertinet, per injunctionem; ac ab ipso dependet hæc potestas nedum quoad exercitium, verum etiam quoad jus. Secus enim actus episcoporum non confirmatorum essent illiciti quidem sed non invalidi.

Difficultates. — Alii qui alteram sententiam præferunt, sequentia habent argumenta:

I. — Christus immediate apostolis dedit claves, i. e. independenter a Petro.

Resp.: Tamen Christus soli Petro speciali modo claves dedit, ut ostenderetur (dicit S. Thomas) potestas clavium *per eum ad alios derivanda* (*Contra Gent.* l. IV, c. 76). Item, recolendum est Ecclesiam societatem monarchicam esse.

II. — Spiritus Sanctus posuit episcopos *regere* Ecclesiam Dei (Act. Ap. ii).

Resp.: Nihil probatur ex hoc contra thesim nostram, quod scilicet hæc potestas regendi non habetur *mediante* Romano Pontifice.

III. — Si potestas jurisdictionis in manu Romani Pontificis esset, tyrannidis periculum adduceret.

Resp.: Et si episcopi potestatem haberent independenter a Romano Pontifice *probabilius* esset hoc periculum, et frequentius. Attamen Romanus Pontifex habet assistentiam specialem Spiritus Sancti, cum qua tyrannis existere nequit. Et de facto in viginti sæculis nunquam Ecclesia vel episcopi in tyrannidem Romani Pontificis inciderunt; neque unquam Romani Pontifices tyranni fuerunt.

Articulus V.

ROMANUS PONTIFEX EX CATHEDRA LOQUENS EST INFALLIBILIS [1]

Status et sensus quæstionis. — Ante omnia revocanda sunt illa quæ in quæstione VII^a^ statuimus de infallibilitate Ecclesiæ. Agitur hic de subjecto principali infallibilitatis activæ. Quæstio est quam intime connexa cum illa de primatu S. Petri. Quæritur enim, ut Billuart notat, an iste primatus contineat privilegium infallibilitatis. Summus Pontifex autem est successor S. Petri in eodem primatu; ipsi competit plena in Ecclesiam potestas a Deo immediate, quoad docendam et gubernandam Ecclesiam in ordine ad finem proximum (salutem animarum), atque ultimum (beatitudinem æternam). Quæritur, igitur, utrum potestas maxima seu primatus Romani Pontificis secumferat personale charisma infallibilitatis, sc. « *charisma, quo Romanus Pontifex, cum ex cathedra loquitur, per assistentiam divinam in definienda doctrina de fide vel moribus errare non possit* » (Conc. Vat. Sess. IV, c. 4).

Momentum quæstionis gravissimum est ut omnibus evidenter patet.

Adversarii. — Omnes protestantes et omnes schismatici hanc Romani Pontificis prærogativam negant, immo despiciunt. Inter Catholicos quosdam quæstio agitari cœpit tempore schismatis occidentalis, ad schisma finiendum quidam concilium supra Papam posuerunt, uti Petrus d'Ailly et Joannes Gerson. Nec Gerson in systemate suo semper idem fuit, immo Canus anno 1562: « Nolumus - inquit - hic nos Ecclesiæ sententiam prævenire, sed si ad generale concilium referatur, *hæreseos* nota errori illi inuretur », addit sese *tuto* sententiam infallibilitatis pontificiæ sequi, « quoniam *communis* catholicorum est » (*De Loc. Theol.*, lib. VI, 7). — Gallicani hanc theoriam resuscitaverunt. Sed tandem in Conc. Vat., post animosam disputationem, fere unanimi suffragio, definita fuit

---

[1] Bibliographia: De Groot, pag. 603 seqq.; Melchior Canus, *De loc. theol.* lib. VI, c. 7. Billuart, *De regulis fidei*, D. 4, a. 5; Tanquerey, ed. XV, pag. 470 seqq.; Gatti, *l. c.* p. 656; etc.

quæstio. — Döllinger (*Janus*), Gladstone (*The Vatican Decrees*) et alii inerrantiam pontificiam impugnarunt. Et sic orta est secta Neocatholicorum, quæ tantum non tabuit.

Prænotamina. — I. Assistentia Spiritus Sancti qua Summus Pontifex, ex cathedra loquens, infallibilis efficitur, non est nova revelatio, neque proprie inspiratio, in sensu biblico, sed est *nova illuminatio*, qua, veritatem in Ecclesia depositam infallibiliter cognoscit atque declarat.

II. Ergo, non agitur de infallibilitate quoad *rationem* proponendi seu conclusionis, sed quoad ipsam conclusionem et sensum ipsius.

III. Dicitur « *ex cathedra* » per metonymiam (quæ utitur uno nomine pro alio) ad significandam auctoritatem et plenitudinem potestatis, secundum Mt. xxiii, 2: « Super cathedram Moysi sederunt ». — Unde, ex cathedra loquitur Summus Pontifex cum non ut persona privata, *sed formaliter ut Pontifex Maximus*, suum officium summi Pastoris adimplens, *cum voluntate sufficienter expressa, libera et cognita definiendi, obligandi omnes fideles præsentes et futuros, omnium Ecclesiarum particularium retinendi veritatem definitam quoad credenda et facienda, immo et quoad necessario cum istis connexa, in ordine ad vitam æternam consequendam.*

Ad Articulum resp. *aff.*, secundum explicationem supra datam, de fide. Conc. Vat. Sess. IV, c. 3.

Probatur Art. — **I.** Ex ratione primatus, dupliciter:

a) Ratione primatus Ecclesia parere debet Maximo Pontifici, sicut ovilis pastori. Unde, ponitur dilemma: aut Ecclesia non paret Pontifici, aut ipsi paret et sequitur. Si pareret erranti, una cum ipso periclitaretur, immo jam aberrata est, credendo nostram sententiam; et hoc esset contra indefectibilitatem et infallibilitatem Ecclesiæ. Si vero Ecclesia non sequeretur Pontificem, tunc ipsius plenitudo potestatis evacuaretur.

b) Verba Christi ad Petrum de primatu, privilegium infallibilitatis continent. Atqui hæc verba referuntur etiam ad successores S. Petri in eodem primatu. Ergo nedum S. Petrus, verum etiam Successores ejus gaudent charismate infallibilitatis.

Probatur major. — 1. Supra probavimus ex istis verbis Christi Ecclesiam esse infallibilem. Atqui Ecclesia fundata est supra Petram, seu Petrum (Kepha). Ergo a fortiori fundamentum ipsum debet esse immobile, indefectibile et infallibile. Item, portæ inferi non prævalebunt. Ergo...

2. Christus, cujus ratio efficacissima est, pro Petro rogavit ut non deficeret in fide sua, et ut conversus confirmaret fratres suos. Sine ullo errore in fide, ergo, confirmare poterat et debebat fratres. Secus oratio Christi non esset exaudita.

3. Similiter, officium Petri erat pascere agnos et oves. Si autem Pastor errare posset in rebus ad vitam æternam necessariis, totum ovile corrueret.

Unde, ex his et similibus arg. patet Petrum fuisse infallibilem *ut caput Ecclesiæ*, i. e. infallibilitas ei competebat ordinario modo, ratione officii, non autem modo extraordinario, sicut ceteris apostolis.

Major probatur etiam ex Traditione. — Nam, omnes Patres admittunt Petrum esse petram, quam non vincunt superbæ infernorum portæ (*S. Aug.*).

S. Leo († 440): « In Petro omnium fortitudo minatur, et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut *firmitas* quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis conferatur » (Serm. 3, *in Luc.* XXII). — *S. Agatho papa* († 678), ad Constantinum IV imperatorem: « Consideret itaque vestra clementia quomodo Dominus et Salvator omnium, qui fidem Petri *non defuturam* promisit, confirmare eum fratres admonuit, quo apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse cunctis est manifestum » (ex his ultimis verbis etiam *minor* nostri arg. probatur). — *S. Hippolytus* († 330): « Princeps Petrus, *fidei petra*, quem beatum judicavit Christus Deus Noster, ille *doctor Ecclesiæ*, ille primus discipulorum, ille qui regni claves habet » (*Oratio de Consumm. Mundi*). — *S. Ambrosius* in Psal. 40: « Ipse est Petrus cui dixit (Christus): « Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, *ibi nulla mors, sed vita æterna;* et portæ inferi non prævalebunt ei ». Hæc pro nobis sufficiunt. Si quis alios textus desiderat, conferat apud Billuart, *l. c.*

Minor vix probatione indiget. Jam probatum est Romanos Pontifices esse successores S. Petri in eodem primatu. Unde, omnia charismata quæ Petro competebant ratione primatus, hæc pariter competunt Romano Pontifici. Et evidens est charismata hæc data esse Petro ad utilitatem, immo necessitatem Ecclesiæ. Hæc autem duratura erat usque ad finem mundi. Consequenter charismata Petri semper existunt in Ecclesia, sc. in suis successoribus in *eodem* primatu.

Probatur II. Ex Traditione. — Ante omnia revocamus quod quondam diximus: sc. non sunt petenda testimonia explicita et adæquata in primis sæculis, sed præ oculis habenda est notio de evolutione dogmatum. Notamus ergo cum Tanquerey: « Quatuor prioribus sæculis infallibilitas Romano Pontifici implicite traditur, dum docetur aut supponitur Ecclesiam Romanam ejusque caput esse *centrum unitatis fidei et tutam orthodoxiæ normam, sive ad delendas hæreses, sive ad solvendas quæstiones ortas de fide et moribus* » (*l. c.*, p. 478).

Sequimur P. De Groot a pagina 613 usque ad paginam 619. Ibi optime doctrinam traditionalem exponit A., argumentum probans ex textibus Patrum, Conciliorum et ex Factis.

I. Ex textibus Patrum. — *a*) *S. Clemens Romanus* († 101) et *S. Ignatius Antioch.* († 127) non ad probandum sed ad confirmandum aliquid testimonii præbere videntur. Nam Clemens suam ad Corinthios epistolam tanta auctoritate scripsit, ut virum infallibili magisterio donatum valde deceat; unde *S. Irenæus* de illa epistola: « scripsit, quæ est Roma, Ecclesia potentissimam epistolam, *reparans fidem* illorum et annuntians, quam in recenti ab apostolis acceperat traditionem » (*Adv. Hær.* III, 3). — *S. Ignatius* ad Rom. c. III: « Neminem unquam fascinastis; alios docuistis. Ego vero illa quoque firma esse volo, quæ docetis et præcipitis ». Hæc verba sumpta cum illis jam a nobis expositis in quæst. de primatu Romani Pontificis, evidenter hic de firmitate doctrinæ significant.

b) *S. Irenæus* († 202): « Ad hanc enim Ecclesiam *propter potentiorem principalitatem* necesse est omnem convenire Ecclesiam, i. e., qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab apostolis traditio » (*Adv. Hær.* III, 3). — Hæc verba, ut alibi vidimus, indicant Ecclesiam Romanam ut normam fidei, quod etiam quidam inter meliores protestantes admittunt. Hanc autem prærogativam habet Ecclesia Romana non ob aliam rationem nisi propter sedem S. Petri ibi collocatam. Non autem urbs civilis agat de fide et moribus. Ideoque, continuo enumeratis Romanis Pontificibus usque Eleutherium sanctus Irenæus concludit: « est plenissima hæc ostensio, unam et eamdem vivificatricem *fidem* esse, quæ in Ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate » (*l. c.*). — Quibus positis efficitur, Ecclesiæ Romanæ auctoritatem in rebus fidei tantam esse, ut ea *sola* contra *omnes* errores sit *plenissima ostensio.*

c) *S. Cyprianus* docet communicationem cum Romano Pontifice idem significare ac « cum Ecclesia Catholica communicare ». — *S. Ambrosius:* « Ubi Petrus, ibi Ecclesia: ibi nulla mors, sed vita æterna... » (*In Ps.* xl, 30). — *S. Hieronymus:* « Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, i. e. Cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est ». Atque: « Quicumque tecum non est, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est » (Ep. 15 *ad Damasum*). — *S. Augustinus:* « In hac cathedra unitatis posuit Deus doctrinam veritatis » (Ep. 105). Item, « ... inde (a Sede Apost.) rescripta venerunt, *causa finita est* » (Serm. 131, 10). — *S. Petrus Chrysologus* ad Eutychen, abbatem Cpolitanum, hæc verba direxit: « In omnibus hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ a beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam Beatus Petrus, qui in propria

sede et vivit et præsidet, *præstat quærentibus fidei veritatem*». — *S. Leo M.*: «*Soliditas illa fidei*, quæ in apostolorum principe est laudata, *perpetua est*» (Serm. 3 *in Hebdom.*). Rursus: «*Soliditas* enim illa, quam de Petra Christo (Petrus) petra factus accepit, in suos quoque se transfudit hæredes» (Serm. 5).

d) *Formula Hormisdæ* (514-523), quam subscripserunt circiter 2400 episcopi, inter quos Epiphanius, Joannes et Mennas, patriarchæ Constantinopolitani [1], inter alia habet: «... quia in sede apostolica immaculata est semper catholica servata religio... in qua (Sede) est *integra et verax* Christianæ religionis *soliditas*».

Patet, ex his, universalem et constantem in Ecclesia traditionem hanc fuisse, quod auctoritas Petri et infallibilitas in rebus fidei et morum, quæ in primatu includuntur, transferuntur quidem in S. Petri successores in eodem primatu. Consequenter, Romanus Pontifex ex cathedra loquens est infallibilis. Quod magis magisque confirmatur tum ex declarationibus conciliorum, tum ex factis quibusdam historicis. Quæ sic breviter exponuntur:

II. Ex Conciliis. — *a*) *In Synodo Ephesina* patres sententiam ferentes: «Coacti, inquiunt, per sacros canones et *epistolam sanctissimi Patris Nostri*... Cœlestini Romanæ Ecclesiæ episcopi...». Item, Philippus demum Pontificis Romani legatus: «Gratias, inquit, agimus sanctæ... Synodo, quod litteris... Papæ nostri vobis recitatis sancta membra... sancto capiti... vos adjunxeritis. Non enim ignorat vestra Beatitudo, *totius fidei*, vel etiam apostolorum *caput esse b. Apostolum Petrum*» (Hard. I, 1471-1506).

b) Patribus *Conc. Chalcedonensis* S. Leo M. *quid sit credendum* præscribit. Inter alia famosum est patrum dictum: «*Petrus per Leonem locutus est*». Denique synodus ad Leonem scribit: «(fidem) ex præcepto legislatoris venientem usque ad nos ipse servasti, *vocis B. Petri* omnibus constitutus interpres et ejus fidei beatificationem super omnes adducens... Quibus tu quidem, sicut membris caput, præes» (*Inter. ep. Leon.* 98).

c) Similiter, *Conc. Cpolitanum III* (Œcum. VI) ad Agathonem Papam scripsit: «Tibi ut primæ Sedis antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit relinquimus, *stanti super firmam fidei petram...*». Item, jussit Summus Pontifex definitiones suas de Sergii errore, ad concilium missas, illibatas custodiri, quia «Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, *utpote* apostolorum omnium principis, semper omnes catholicæ Ecclesiæ et universales synodi fideliter amplectentes, *in cunctis* secutæ sunt». Patres acclamarunt: «Charta et atramentum videbatur, *et per Agathonem Petrus loquebatur*». Act. XVIII. — Hæc sufficiunt, alia prætermittimus.

---

[1] Rusticus diac., *Disp. adv. Acephalos;* Döllinger, *Kirchengesch* (2 Aufl.) B. 1, 177; Granderath, *Constit. dogmaticæ Conc. Vatic.*, p. 164 seqq.

III. Ex factis. — Facta particularia ad hist. ecclesiasticam remittimus, hic autem quædam generica revocamus, et hæc sunt:

a) Romani Pontifices ad Ecclesias tam Orientales quam Occidentales suas de rebus fidei epistolas summa auctoritate scripserunt, disertim affirmantes, Salvatorem promisisse fidem Petri *non defecturam*... Ita v. g. Leo M.

b) Veteribus fides Romana et fides Catholica sunt res prorsus una. S. Hier. (*Apol. adv. Rufin.* l. 4): « Fidem suam quam vocat? Si *Romanam*, Catholici sumus ».

c) Si qua de fide movebatur quæstio, patres scribendo, adeundo, appellando, parendo, *rem Romæ definiendam esse probarunt.* De his plena est hist. Ecclesiæ.

d) Plures hæreses solius Pontificis Romani sententia damnatæ sunt, velut Montanismus.

e) Tot volventibus sæculis, cum sedes patriarchales omnes in fide erraverint, Pontifices Romani, ad quos innumeræ propemodum controversiæ delatæ sunt, nullum unquam errorem ex cathedra docuerunt. Profitemur ergo: « *digitus Dei est hic* ». Exod. VIII, 19.

Confirmatur: 1. *Ex necessitate infallibilitatis Summi Pontificis.* — Sine hac infallibilitate *a*) Unitas Ecclesiæ conservari nequit; patet hoc ex divisionibus aliarum Ecclesiarum. — *b*) Synodus universalis *pro singulis erroribus* congregari nequit. Unde necesse est ut habeatur alia regula infallibilis in Ecclesia, præter concilium.

2. *Ex absurdis.* — *a*) Si sententia Romani Pontificis infallibilis efficeretur ex consensu Ecclesiæ, non ipse esset Pastor Ecclesiæ, seu Pastor a grege duceretur, et Petra esset super Ecclesiam, non Ecclesia supra Petram fundata.

b) Si Romanus Pontifex non haberet infallibilitatem ex cathedra loquens, ipse esset sicut ceteri Ecclesiæ theologi fallibilis quidem. Atque ubi sisteret magisterium Ecclesiæ, si in dirimendis quæstionibus Papa non haberet sententiam irrevocabilem?

c) Interim nullus fidelis tenebitur assensum fidei præbere decretis pontificiis.

OBJECTIONES

Objectio I. — Solus Christus est auctor fidei. Ergo...

Resp.: Auctor fidei efficiendæ, *concedo;* proponendæ, *subdist.:* auctor principalis, *concedo;* exclusa causa instrumentali magisterii Pontificii, *nego.*

Inst.: S. Petrus fidem negavit in atrio Caiphæ. Papa ergo non est magis infallibilis quam B. Petrus.

Resp.: Tunc S. Petrus non erat ex cathedra loquens.

Inst.: Non est congruum quod quidam homines pravi Pontifices sint infallibiles.

Resp.: Romanus Pontifex, ex cathedra loquens, per assistentiam divinam excedit seipsum, propter Ecclesiam.

II. — Ecclesia non potest facere dogmata nova.

Resp.: Sed potest antiqua dogmata *nunc* declarare.

III. — Pontifici Summo, si errare in judicio fidei nequit, inquisitio nulla veritatis adhibenda est. Pontifices autem non nisi post diligentem inquisitionem decreta sua edere consueverunt. Ergo non sunt infallibiles.

Resp.: *Dist. maj.:* Nihil inquirendum esset pontifici, si inerrantiam haberet per revelationem divinam, *conc.;* per assistentiam divinam, *nego.* — Item *dist. min.:* Pontifices inquirunt, quia diligens inquisitio est *causa* sententiæ infallibilis, *nego;* quia est *medium* assistentiæ Spiritus Sancti ordinatum, *conc.*

Inst.: Judicium pontificium *iterum* concilia examinaverunt. Ergo...

Resp.: *Dist.:* Examinaverunt, examine dubitativo, *nego;* confirmativo, *subdistinguo:* ut veritas proponatur majori auctoritate extensive, *concedo;* intensive, *nego.*

Nota: Aliæ plures objectiones, quæ ex historia ecclesiastica hauriri solent, ad ipsam disciplinam relinquimus.

APPENDICES

I. De valore Syllabi Pii IX. — Hic est « Syllabus complectens præcipuos nostræ ætatis errores, qui notantur in Allocutionibus consistorialibus, in Encyclicis aliisque apostolicis Litteris sanctissimi Domini nostri Pii Papæ IX ». Complectit octoginta propositiones.

Omnes hæ propositiones habendæ sunt ut *notatæ.* Ad notam autem determinandam quam aliquis negans unam vel aliam istarum propositionum, vel contra sententiam Summi Pontificis aliquid tenens, recurrendum esset ad originale, ex quo talis propositio negata vel affirmata contumaciter sit deprompta. Quædam tamen sunt propositiones quæ evidenter sunt hæreticæ, uti prima, quæ existentiam Dei negat.

II. De auctoritate congregationum romanarum in doctrina fidei et morum. — Congregationes Romanæ sunt cœtus cardinalium, a Pontifice Romano instituti tamquam tribunalia suprema ad certa Ecclesiæ negotia dirigenda, discutienda et decernenda. — De

doctrina ad Congregationem Inquisitionis et Indicis præcipue pertinet decernere. Notandum est quantum ad hanc Congregationem:

a) quod *Indicis* decreta sine assensu Pontificis non publicantur;

b) quod approbatio Pontificis potest esse *communis*, si decretum actus congregationis esse non desinat, — vel *solemnis*, si Papa rem totam suam faciat. In hoc secundo casu propositiones infallibiles haberi debent;

c) quod Decretis Congregationum debemus non solum *obsequium silentii*, verum etiam *assensus et externus et internus religiosus;*

d) quod tota Congregationum auctoritas a Summo Pont., cujus organa sunt, repetitur.

Quantum ad objectionem de condemnatione Galilæi observandum est quod documentum Congregationis non fuit *solemne*. Scilicet, ordinavit Pontifex publicationem decreti; sed non sibi sumpsit eam rem, ut *ipse* loqueretur ex cathedra, suprema sua usus auctoritate. Unde decretum editum est ut actus Congregationis. — Illud « Eppur si muove », fabula est cujus prima mentio fit in opere abbatis Irailh, *Querelles Littéraires.*

DE CONCILIIS

Agitur hic de alio *Loco Theologico* ex quo argumenta certa theologi deducunt, sc. de auctoritate Conciliorum Œcumenicorum.

Quærimus 1. de ipso concilio, quid sit et quotuplex. Et cum quæstio sit de convocatione prælatorum, quærendum est 2. de auctoritate vocante concilium; 3. de valore sententiæ concilii: utrum, sc. sit infallibilis; 4. de relatione Papæ ad concilium; 5. de necessitate conciliorum.

I. Quid et quotuplex est Concilium. — *a*) Concilium est *congregatio* seu *conventus episcoporum sub auctoritate legitima ad judicandum et statuendum de rebus ecclesiasticis.*

b) Concilia sequenti modo dividuntur:

Concilia dividuntur
- 1. In Generalia seu Œcumenica
  - 1. Congregata, vel non congregata, a R. Pont.
  - 2. Confirmata, vel non confirmata, a R. Pont.
  - 3. Œcumenica *actione*, vel *acceptatione*.
- 2. In Particularia
  - Nationalia.
  - Plenaria — (plurium provinciarum. Can. 281).
  - Provincialia.
  - Diœcesana.

c) Quinam sunt vocandi ad concilium œcumenicum?

Vocandi sunt ad Concilium

Ad votum decisivum

1. *Jure Ordinario et Divino.* — Episcopi diœcesani, et (juxta multos) episc. diœcesani nondum consecrati.
2. *Ex Concessione, seu Consuetudine* — Cardinales etiam non episcopi [1]. — Abbates vel prælati nullius — Abbas Primas. Abbates superiores Congregationum monasticarum, ac supremi moderatores religionum clericalium exemptarum [2], can. 223. — Episc. Titul. [3].

Ad votum consultivum - Theologi ac Sacrorum Canonum Periti.

d) *Qualis numerus episcoporum requiritur ad concilium œcumenicum formandum?*

Resp.: Talis numerus episcoporum requiritur quo sufficienter tota Ecclesia (moraliter) repræsentetur. Ita fere omnes theologi. Attamen notandum est: concilium ut sit œcumenicum oportet ipsum se tale declarare, ad ipsum omnes episcopos convocari, et Summum Pontificem ipsi præesse, sive personaliter, sive per legatos. — « Neque dicitur Concilium Generale, ait Billuart, ex eo quod omnes corporaliter adsunt, sed ex eo quod omnes adsunt repræsentative, ut fit in comitiis generalibus alicujus regni, quibus non est necesse quod omnes omnino jus suffragii habentes corporaliter intersint, sed sufficit quod plures ex præcipuis provinciis aliqui repræsentantes adsint » (*l. c.*).

e) *Utrum origo conciliorum sit Divina.*

« Conciliorum origo non mere humana est, sed probabiliter divina, et sine dubio apostolica. Pro origine divina afferuntur: 1. Verba Domini: « *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* » (Mt. c. 20) quibus utuntur concilium Chalcedonense (ep. *ad S. Leonem M.*), S. Cœlestinus (ep. *ad Conc. Ephes.*) et concilium œcumen. VI *act. VII*, ut concilia a Christo

---

[1] Disputatur utrum Cardinales convocentur de jure divino, an vero ex privilegio et consuetudine. — Billuart in tractatu *de Conciliis*, ne mentionem quidem facit de cardinalibus. Respondet sempliciter: solos episcopos esse de jure convocandos ad concilium generale. Et ratio ejus est, quia, inquit, ii soli sunt de jure convocandi ad concilium generale, qui habent jurisdictionem non solum in foro interno, sed etiam in foro externo. Soli episcopi autem habent hujusmodi jurisdictionem. Ergo... (Cfr. *De Reg. Fidei*, Dis. V, art. 2). Unde secundum Billuart etiam episcopi *residentiales* nondum consecrati de jure convocantur.

Propterea Tanquerey clarius observat: « Vocandi sunt autem ad concilium tanquam *judices fidei* cum voto decisivo omnes qui a Christo acceperunt missionem docendi ac regendi: videlicet omnes episcopi residentiales...; etiam, juxta multos, si nondum fuerint consecrati... Ex consuetudine autem et jure ecclesiastico convocantur cardinales, etiam non episcopi, generales ordinum, etc. » (Cfr. *De Ecclesia*, ed. XV, pp. 578, 579).

[2] Etenim non sunt ipsi sub jurisdictione episcoporum (Bill. *l. c.*).

[3] Certe episcopi titulares convocantur non de jure. Nam can. 223 habet: « Etiam episcopi titulares, vocati ad concilium, suffragium obtinent deliberativum, *nisi aliud in convocatione expresse caveatur* ». Si autem jus haberent ut convocarentur, haberent etiam votum deliberativum, semper.

manasse significent. — 2. Verisimile est apostolos, utpote plenos Spiritu Sancto, eo Spiritu admonente sua concilia celebrasse ». — De Groot, p. 457.

f) Sequens schema perutile existimamus studentibus hujus materiæ:

CONCILIUM	SUB PAPA	ANNO	PRÆSENTES	DEFINITIONES
Nicænum I	S. Sylvestro	325	318 episc.	Contra Arianos. - De Divinitate Christi.
Cpolitan. I	S. Damaso	381	150 »	» Macedon. - De Divinitate Spiritus Sancti.
Ephesinum	S. Cœlest.	431	200 »	» Nestorian. - De unit. pers. Christi.
Chalcedon.	S. Leone M.	451	630 »	» Eutychen. - De duabus nat. in Christo.
Cpolitan. II	Vigilio	553	165 »	» Ibam.
Cpolitan. III	Agathone	680	170 »	» Monothelitarismum.
Nicæn. II	Adriano I	787	367 »	» Iconoclastiam.
Cpolitan. IV	Adriano II	869	102 »	Condemnatio Photii.

II. Utrum Concilium Œcumenicum celebrandum sit auctoritate Summi Pontificis.

Affirmative, de fide. Conc. Vat. Sess. IV, c. 3. Denz. n. 1826, 1831.

Romanus Pontifex enim est *Petra* supra quam ædificata est universa Ecclesia, et ipse habet plenitudinem auctoritatis: est *Pastor* totius Christi ovilis, *Confirmator* omnium fratrum, etc. Consequenter quæ ad universam Ecclesiam pertinent, sub ejus officio cadunt.

Ad Romanum Pontificem, igitur, pertinet *Convocare* concilium, ipsi *Præsidere*, et ipsum *Confirmare*. — Quantum ad *convocationem* concilii, patet quod neque episcopi, neque imperatores, Papa existente, jus habeant, sive singuli, sive omnes simul, convocare totam Ecclesiam, vel ipsummet Pontificem Maximum ad concilium. Non esset amplius Ecclesia super fundamentum, sed fundamentum supra Ecclesiam. Item, Maximus Pontifex non haberet plenitudinem potestatis, quam (ut probavimus) ipse accipit immediate a Christo. Uno verbo: primatus non esset *jurisdictionis*, sed honoris tantum. — Consequenter Summo Pontifici æqualiter competit jus, et quidem ipsi soli, *præsidere* concilio. — Deinde nihil valerent decisiones concilii, sine approbatione seu *confirmatione* Romani Pontificis. Neque tenetur Summus Pont. approbare *quæcumque* Patres decernunt. Ratio est quia ipsi omnium cura commissa est, etiam episcoporum congregatorum. Item, ut notat P. Bil-

luart, Concilium Generale non est ratum et firmum in suis decretis, nisi quatenus repræsentat Ecclesiam universam: Atqui non repræsentat universam Ecclesiam nisi Caput suum, Romanum Pontificem, secum judicantem habeat; nec censetur Romanum Pontificem judicare nisi dum concilii decreta confirmat. Hæc omnia ex traditione, praxi Ecclesiæ et conciliis meridiana luce omnibus patent, prout jam supra in tractatu de Romano Pontifice exposuimus.

Dubium: *Utrum sufficiat confirmatio facta a Legatis Papæ.*

Resp.: *Distinguo:* Si Legati instructionem habeant a Romano Pontifice, et *secundum hanc* instructionem decreta concilii firmant, concilium est revera firmum et ratum atque infallibile, quia sententia Legatorum, hoc in casu, est Summi Pontificis sententia. — Si vero Legati secundum instructionem non agerent, sive in parte sive in toto, confirmatio eorum nihil valeret, ut Legati. — Denique, si Legati nullam habent instructionem, sicut accidit quando concilium multa definit, tunc, ut patet, a fortiori requiritur confirmatio Romani Pontificis. Etenim, concilii decreta vim definitivam obligandi non habent, nisi a Romano Pontifice fuerint confirmata et ejus jussu promulgata (can. 227).

NOTANDA: 1. « Si contingat Romanum Pontificem durante Concilii celebratione, e vita decedere, ipso jure hoc intermittitur, donec novus Pontifex illud resumi et continuari jusserit » (can. 229).

2. Sequentia notanda sunt ex Billuart, *De Reg. Fidei*, D. IV, art. VIII:

a) In casu hæresis Pontifex desinit esse caput Ecclesiæ, quia desinit esse ejus membrum, et ideo potest a concilio damnari. — *b*) Concilia Pisanum et Constantiense deposuerunt dubios pontifices, non certos; dubius autem pontifex non est pontifex, quia non est caput visibile Ecclesiæ, et apud Ecclesiam non esse et non apparere idem sunt. — *c*) In casu schismatis in quo parent dubii pontifices, ut tempore Concilii Constantiensis, posset Ecclesia per suos prælatos convocare concilium, ad succurrendum præsenti necessitati, nimirum ad providendum sibi de certo pontifice; quod si ulterius aliquid definiat in materia fidei et morum, aut in his quæ spectant ad universam Ecclesiam, non erit ratum et firmum, nisi a sequente pontifice confirmatur.

III. DE VALORE SENTENTIÆ CONCILII. — Ex his positis clare sequitur, quod sententia definitiva concilii, circa fidem et mores, necnon et ea quæ connexionem cum istis habent necessariam, et a Summo Pontifice certe approbata et confirmata, est omnino *de fide*. Hoc constat 1) quia hæc sententia est Maximi Pontificis; 2) et est sententia magisterii universalis Ecclesiæ; 3) ex praxi Ecclesiæ.

Notandum est tamen quod infallibilitas concilii non est diversa ab illa Romani Pontificis, sed est eadem. Auctoritas, igitur, infallibilitatis non est major in concilio quam in Papa, nisi *extensive; intensive tamen est eadem.* Concilium enim cum Papa efficit unam personam moralem. Propterea, episcopi *veri judices* sunt competentes una cum Summo Pontifice, et cum ipso vere definiunt. Quod ex modo subscribendi episcoporum in conciliis manifestum est. Attamen, ut optime notat P. Billuart, concilium congregatur in Spiritu Sancto, quantum ad *inchoationem;* non vero quantum ad consummationem, nisi accedat confirmatio Pontificis. Propterea, non est impossibile, quod concilium aliquando erret; impossibile tamen quod Summus Pontifex talem errorem confirmet.

Dubium I: *Utrum sit de fide aliquod concil. in particulari, v. g. Nicænum, esse legitimum.*

Resp.: De fide est quod *omne concilium* ab Ecclesia acceptatum sit legitimum, quia Ecclesia non potest errare in acceptanda fidei regula. De fide est igitur concilium esse legitimum in quantum acceptatur ut fidei regula. Quoad alia quæ ad historiam pertinent quantum ad legitimitatem, non videtur esse de fide divina tenendum concilium, v. g. Nicænum, esse legitimum, quia sub hoc aspectu non cadit sub objectum fidei primarium, tamen tenendum est legitimum fide ecclesiastica. Cfr. Billuart, *l. c.*, art. 4, objectione 3.

II. *Utrum verba concilii sint inspirata.*

Resp.: *Negative;* sc. in sensu proprio non sunt inspirata. *Ratio:* quia charisma infallibilitatis, non est inspiratio proprie dicta; sed assistentia inerrantiæ. Propterea decreta concilii approbata et promulgata a Romano Pontifice errore circa fidem et mores carent, tamen non sunt verba Dei, sicut Ss. Scripturarum.

IV. De superioritate Papæ Concilio. — Jam doctrinam Ecclesiæ statuimus in hac quæstione contra Gallicanos. — Solent adversarii famosam difficultatem ex IV et V sess. Conc. Constantiensis exortam evocare. Sed frustra. Nam 1) Valde probabile est decreta illa concilii respexisse dubios pontifices; — 2) Nullibi apparet sententiam concilii de superioritate concilii fuisse ab aliquo Romano Pontifice approbatam. Etenim, *a*) Martinus V omnia et singula approbavit decreta concilii quantum ad materiam fidei dumtaxat; *b*) In ipso conc. die 10 Martii Martinus V declaravit: « Nulli fas est a supremo judicio videlicet apostolica sede seu Romano Pontifice Jesu Christi Vicario appellare, aut illius judicium in causis Fidei, quæ tamquam majores ad ipsum et sedem apostolicam deferendæ sunt, declinare » (cfr. Brück, *H. E.*, ed. IV, p. 145); *c*) Eugenius IV sententiam adversariorum jam damnaverat ut impiam et scandalosam. — 3) Decretum concilii esset contra alia decreta præcedentia.

Dubium: *Utrum Concilium generale sit absolute necessarium.*

Resp.: *Neg.*, sc. neque necessitate præcepti, neque medii, quod patet. — Attamen, nonnunquam est *moraliter* necessarium ut melius, facilius, expeditius, perfectius dirimantur difficultates in quibus Ecclesia aliquando se invenit, et sic pro tota Ecclesia simul, et quantum humana facultas præstare potest, provideatur.

NOTA: Concilia particularia de se infallibilia non sunt, et hoc est de fide. (*Auctorem fidei*, prop. 85). Attamen decisio eorum, ordinarie saltem, est *probabile* argumentum veritatis. Gradus autem probabilitatis dependet ex extensione universalitatis talium Conciliorum.

DE TRADITIONE

Tractatus de Ecclesiæ Christi quæstionibus, de relatione inter Ecclesiam et Statum, de Romano Pontifice et de Conciliis, completus est. Nunc igitur ad alios *locos theologicos* transeamus. Cum vero finis noster sit ut studentibus Theologiæ Sacræ hoc opus nostrum præbeamus, superflua, vel quasi talia, duximus evitare, atque illa quæ in aliis disciplinis traduntur tacere. Ideoque, non de omnibus ceteris locis tractamus, sed tantum de Traditione, de auctoritate Patrum et Theologorum, præsertim de auctoritate S. Thomæ. De auctoritate Sacrarum Scripturarum agitur in Introductione ad Sacram Scripturam. Unde nobis est incipere a tractatu de Traditione.

Secundus Locus Theologicus efficacissimus quoque et primarius, qui *ex sese* argumenta necessaria et infallibilia præbet, est *Traditio*, i. e. *Doctrina revelata, Sacris Scripturis non consignata, sed a Christo ore tenus Ecclesiæ transmissa.* Agitur de Traditione Divina, et divino-apostolica, independente a Sacra Scriptura. — Non agitur proprie de Traditione Ecclesiastica. Traditio enim Ecclesiastica habetur a successoribus apostolorum, ut propria ipsorum successorum, non autem divinitus eis tradita. Neque agitur de Traditione *mere Apostolica*, quæ originem habet ab apostolis, non vero a Christo.

Agitur de existentia Traditionis in sensu Catholico. *Protestantes* admittunt traditionem sic dictam *inhæsivam* et declarativam, seu *hermeneuticam*, illam sc. quæ est in Sacra Scriptura, vel aliis vocabulis declaratur. *Schola Tubingensis* traditionem admittit mere *ecclesiasticam*. Unde Protestantes et Rationalistæ nostram sententiam, fidei veram, negant. Contra quos ponitur thesis

Traditio in sensu catholico revera existit.

Probatur. — I. « A priori ». Thesis enim nostra est de fide (Conc. Trid.); unde infallibiliter vera. Jam autem probavimus Ecclesiam et Romanum Pontificem infallibilem esse.

II. Ex Sacra Scriptura. — *a*) Ipsamet Sacra Script. supponit traditionem; neque totam traditionem seu revelationem continet; quod probatur: 1. Requiritur auctoritas quæ declaret quales sint libri canonici; canonicitas, saltem *omnium* librorum, non cognoscitur nisi per traditionem legitimam et infallibilem. Ergo, ut jam supra probavimus, Sacra Scriptura non est *sola* regula Fidei. Consequenter non continet omnia quæ sunt fidei.

b) Ex textibus Sacræ Scripturæ. — *Sancti Joannis* ultima verba Evangelii: « Sunt autem et alia multa, quæ fecit Jesus; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros ». — Item, *S. Paulus* ad Tim. II epist. c. II, 1-2: « Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu: et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere ». Similiter, in II *ad Thessal.* II, 15: « Tenete *traditiones* (τὰς παραδόσεις), quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram ».

III. Ex testimoniis Patrum. — Ipsi Patres apostolici hoc tradunt. *S. Ignatius* (apud Eusebium *H. E.* l. III, 36): « Tenaciter adhærendum est traditionibus ». — *S. Polycarpus:* « Relinquentes vanitatem multorum et falsas doctrinas ad traditam nobis doctrinam ab initio revertamur » (*Ad Philipp.* c. VII). In *Epist. ad Diognetum:* « ... et evangeliorum fides stabilitur, et apostolorum traditio custoditur ». — *S. Irenæus:* Hæreticos reprehendit his verbis: « Evenit itaque *neque* Scripturis jam *neque* traditioni consentire eos » (*Adv. Hær.* III, 2). Subjungit, cap. 3, quoscumque confundi hæreticos per eam, « quam (vel sola Romana Ecclesia) habet ab apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos ». — Item, tota doctrina tradita est Ecclesiæ: « non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum apostoli quasi in depositorium dives, plenissime in ea contulerint *omnia*, quæ sunt veritatis, uti omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ ». — *Hinc*, « oportet... apprehendere veritatis traditionem... quid autem si neque apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Christum credunt, *sine charactere vel atramento* scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterum TRADITIONEM diligenter custodientes », cap. 3. — Hæc pro nobis sufficiunt, cum sint documenta primi et secundi sæculi. Alii autem similes, et magis expliciti textus habentur apud *Clem. Alex.* (Strom. l. VII, 16); *Origenem* (In Luc. Hom. I); *S. Basilius* (De Sp. Sancto c. XXVII); *S. Chrysostomus* (In II ad Thess. Hom. IV) etc. Cfr. De Groot, pp. 758-760.

— Jure, ergo, meritoque retinendæ sunt Traditiones Divinæ in Ecclesia, quæ a Patribus et ab Ecclesia admittuntur non ut mera *facta* quædam historica dumtaxat, sed formaliter ut traditiones, sc. ut doctrina divina a Christo et ab apostolis *divinitus* nobis tradita, extra Sacram Scripturam.

— Attamen, ad complementum hujus loci tria alia consideranda sunt; videlicet: 1º Quomodo *omnes* traditiones transmissæ sunt usque ad nos? — 2º Quibus regulis discernuntur traditiones divinæ ab humanis? — 3º Quomodo explicatur evolutio doctrinæ fidei?

1º *Quomodo Traditiones transmittuntur.* — Agens principale et conservans omnes veritates revelatas est Spiritus Sanctus. Agens vero instrumentale est Ecclesiæ magisterium universale. Revera, Spiritus Sanctus docet Ecclesiam omnem veritatem et omnia, quæcumque Christus ei mandavit. Christus autem cum Ecclesia est semper et quotidie usque ad consummationem sæculi. Unde est quod objectum primarium infallibilitatis Ecclesiæ sunt *omnia* immediate revelata; et hæc credenda sunt fide divina, sive implicita, sive etiam explicita, quando sc. sufficienter et legitime declarantur, ut alio loco diximus. *Traditiones* autem divinæ conservantur et conservabuntur usque ad finem mundi per Ecclesiæ infallibilitatem passivam, atque custodiuntur infallibilitate activa, cum negativa tum positiva (cfr. quæst. *de dotibus Ecclesiæ*). Indefectibilitas autem Ecclesiæ consistit non solum in non acceptando quidquam contra fidem, sed etiam in conservando *omnia* illa quæ Deus Ecclesiæ tradidit conservanda, tum ad salutem necessaria, tum etiam ad perfectam et decorosam Ecclesiæ vitam utilia.

Hæc fuit constans Patrum doctrina a primordiis Ecclesiæ. Præter textus hic et in quæstionibus *de dotibus* et *de magisterio* Ecclesiæ allatos, notanda sunt verba *S. Ignatii Ant.* ad Ephesios: « Jesus Christus, inseparabilis nostra vita, sententia Patris est, ut et episcopi, per tractus terræ constituti, in sententia Jesu Christi sunt. *Unde* decet vos in episcopi sententiam concurrere » (Cap. III). — Similiter, *S. Irenæus* hæreticos perstringit, qui dicunt se etiam apostolis sapientiores, necnon ob suas privatas traditiones, negligunt « traditionem, quæ est ab apostolis, quæ *per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur* » (*Adv. Hær.* III, 2). — Et *Origenes* affirmat: « illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione » (*De princ.*, Præf. n. 2).

2º *Quibus regulis discernuntur Traditiones.* — Prima et propriissima regula proxima et viva est Ecclesia, sicut alibi diximus. Præter hanc tamen sequentes quatuor regulæ M. Cani ab omnibus admittuntur:

1) « Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum

rectissime creditur» (Cfr. S. Aug. *contra Donatistas*, l. IV, 34). V. g. numerus sacramentorum ante definitionem conciliorum. — Hæc regula tamen, ut recte notat Billuart, *De Reg. Fidei* D. II, est communis, i. e. non declarat quales traditiones sunt mere apostolicas, vel divinas. Consequenter hæc sola non sufficit.

2) Quod Patres ab initio unanimiter tenuerunt, ita quod contrarium hæreticum judicavere, certe tenendum est revelatum. — *Ratio:* quia hæc est vox Ecclesiæ authentica.

3) Quod ab Ecclesia nunc ut certissimum tenetur, quodque humana potestas efficere nequivit, non potest habere originem nisi divinam; si tamen ita Ecclesia sentit. V. g. quod dona Spiritus Sancti sunt septem.

4) Si viri Ecclesiastici aliquod dogma, vel unam quamlibet consuetudinem uno ore testentur nos ab apostolis accepisse, sine dubio certum argumentum est, ut ita esse credamus. Cfr. *De Locis Theol.*, l. III, 3.

Regula Lerinensis († 450): «Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus» — est regula communis, qua tamen non satis discernitur traditio mere apostolica vel ecclesiastica a divina. Unde requiritur etiam consensus Ecclesiæ, quod contrarium sit hæreticum, vel aliquid simile. — Item, Ubique, Semper et ab Omnibus, non sunt accipienda litteraliter, sed moraliter; et quod semper non significat *explicite*.

3º *Brevis explicatio evolutionis Doctrinæ Fidei.* — Doctrina divina adeo evolvitur progressu temporum, ut nonnisi *accidentaliter* mutetur; eo modo, sc. sicut diximus in art. «utrum numerus credendorum per Ecclesiæ magisterium augeri possit» (Quæst. IX, art. 4) [1].

Adversarii errant ab ovo in hac quæstione, quia existentiam traditionis catholicæ non admittunt. Consequenter evolutionem mere humanam intelligunt, et omnia confundunt. Ita Hegel, Marx, Harnack, etc. [2]. Unde necesse est quod ipsi negent tum traditionem divinam, tum etiam doctrinam Patrum.

S. Aug. enim clare de evolutione in sensu catholico loquitur, *In Psal.* LIV, 22: «Multa enim latebant (ait) in Scripturis, et cum præcisi essent hæretici, quæstionibus agitaverunt Ecclesiam Dei: *aperta sunt quæ latebant*, et intellecta est voluntas Dei». Idem, *De Civ. Dei*, XVIII, 51: «Inimici enim omnes Ecclesiæ, quolibet errore cæcentur vel malitia depraventur, si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent ejus patientiam, si tantummodo male

---

[1] Perutile est hic legere totum art. V P. De Groot, p. 774 et seqq.

[2] Sententia eorum qui contendunt doctrinæ catholicæ evolutionem ab unica primævæ Ecclesiæ procedere idea: «*Appropinquavit regnum Dei*, nulla ratione intelligitur, mysterium SS. Trinitatis, aliaque fidei catholicæ mysteria, *a quo fonte* supernaturali manaverint».

sentiendo adversantur, exercent ejus sapientiam ». — *Leo M.* Ep. 102: « Catholica fides nulla sui parte est mutabilis... per ipsas adversantium exercitationes et validior semper efficitur et clarior ». — *Vincentius Lerinensis*, in *Commentario*, cap. XXIII, evolutionem in hunc modum describit: « Imitetur animarum religio rationem corporum, quæ, licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen, quæ erant, permanent. Multum interest inter pueritiæ florem et senectutis maturitatem, sed iidem ipsi fiunt senes, qui fuerant adolescentes... Quod si humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem, aut certe addatur quidpiam membrorum numero vel detrahatur, necesse est, ut totum corpus vel intercidat vel prodigiosum fiat vel certe debilitetur. Ita etiam christianæ religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate, incorruptum tamen illibatumque permaneat et universis partium suarum mensuris cunctisque quasi membris ac sensibus propriis plenum atque perfectum sit, quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam definitionis sustineat varietatem... Quodcumque in hac Ecclesiæ Dei agricoltura fide Patrum doctum est, hoc idem floreat et maturescat, hoc idem proficiat et perficiatur ». — *S. Thom.*, I-II, q. I, art. 9 ad 2: « In omnibus symbolis eadem fidei veritas docetur. Sed ibi oportet populum diligentius instrui de fidei veritate ubi errores insurgunt, ne fides simplicium per hæreticos corrumpatur. Et hæc fuit causa quare necesse fuit edere plura symbola. Quæ in nullo differunt nisi quod in uno plenius explicantur quæ in alio continentur implicite, secundum quod exigebat hæreticorum instantia ». — Atque ut aliarum, quibus idem exponitur, sententiarum summam faciam, doctrinam affero Vaticanam: « Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ, ætatum et sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia » (Const. *Dei Filius*, c. IV). Hic Vaticanum Conc. usus est iisdem verbis S. Vincentii Lerinensis (*l. c.*, cap. II).

Doctrina, igitur, Ecclesiæ hæc est: — Primitiva Ecclesia accepit verbum Dei revelatum, in quo quædam *explicite* cognoscebantur et credebantur, alia vero *implicite* et *obscure*. Hoc autem Dei verbum est supernaturale, et supernaturaliter accipitur per fidem. Consequenter non accipitur viribus humanis, divinis exclusis; sed præcipue virtute Dei supernaturali. Inde est quod verbum Dei revelatum in mentibus fidelium existens, vivum est, atque incessanter vivificatur a Spiritu Sancto, qui est cor Ecclesiæ, et hoc facit in ipsa quod anima in corpore. Data, igitur, evolutione intellectuali in vita humana, præsertim evolutione scientifica, necesse accidit quod mysteria magis magisque clare penetrentur, cognoscantur et pronun-

tientur. Et hoc evenit, peculiari modo, sub influxu Spiritus Sancti, quando dubia circa veritates fidei oriuntur vel ab hæreticis proponuntur. Tunc enim *necesse est* quæ obscura prius videbantur, distinctius cognoscere et rationem reddere de ea quæ in nobis est, fide et spe; quod pertinet ad dotem indefectibilitatis Ecclesiæ, ejusque magisterium. Talis processus evolvitur usque ad sanctionem et declarationem Ecclesiæ solemnem, quæ soli Vicario Christi competit. Hic est *ordinarius processus* evolutionis dogmatum. Quapropter Summus Pontifex antequam definiat, sententiam seu sensum Ecclesiæ diligenter perquirit. Attamen, ipse *novum lumen* accipit ad agnoscendum talem sensum Ecclesiæ esse authenticum, i. e. secundum veritatem revelatam, et ad infallibiliter definiendum.

Ex his duo corollaria sequuntur: — 1. Conversio infidelium et hæreticorum ad fidem est opus essentialiter et non solum principaliter supernaturale. Propterea oratio quam maxime utilis est ad conversionem ipsorum obtinendam. — 2. Dogmata evolvuntur speciali modo apud Sanctos, præsertim apud Sanctos Doctores, qui propter intimam cum Deo unionem, necnon propter officium ipsorum in Ecclesia, mysteria fidei penetrant et capiunt, per quamdam connaturalitatem ad ipsa, donis sapientiæ et intellectus (Cfr. II-II, q. 45, art. 2, ad 4um; q. 8, a. 2).

DE SANCTIS PATRIBUS

Hucusque de Locis tractavimus qui *ab auctoritate* fundantur in Revelatione Divina; nunc autem de primo loco agendum est qui in Lumine Theologico seu divino-humano fundatur. Est hic, igitur, locus secundarius, qui non ex sese necessario probat, sed necessario probat si ad locos superiores refertur. — Iste locus (de auctoritate Ss. Patrum) connexionem intimam habet cum Traditione de qua jam locuti sumus. Nam, Traditio seu Doctrina Revelata quæ in Ecclesia extra S. Scripturam conservatur, apud Patres invenitur uti in thesauro peculiari. Ipsi enim sunt Sancti simul et Doctores; pleni, igitur, Spiritu Sancto et scientia Sanctorum. In ipsis, ergo, et per ipsos Spiritus Dei doctrinam divinam manifestat. — Unde jam patet quam immerito Protestantes, sequentes Lutherum et Calvinum, impugnant locum hunc, ac si Patres, etiam unanimiter, in rebus fidei et morum aliquid contra Christum potuissent docere. Alii vero auctoritatem mere humanam Patribus tribuunt. Contra quos omnes dicimus

Unanimis Patrum consensus de Doctrina Fidei theologo certum argumentum præstat.

Probatur. — I. « A priori »: Hanc veritatem definivit Conc. Trid. Sess. IV. — Ecclesia autem est infallibilis in regulam fidei proponendo, ut jam probatum est. Ergo...

Dices: Infallibilitatem Ecclesiæ probavimus ex Patribus. Ergo habetur circulus vitiosus.

Resp.: Probavimus ex Patribus, arg. principaliori, *nego;* secundario, *subdistinguo:* ut ex textibus historicis, *concedo;* ut ex textibus jam ab Ecclesia infallibiliter approbatis, *nego*. (Cfr. De Groot, p. 790.)

II. Ex Sacra Scriptura. — *a*) *Ex Verbis Christi:* « Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi ». Hæc verba quamvis immediate ad discipulos Christi referantur, et probabile significent de bono exemplo præbendo, tamen nequeunt excludere interpretationem nostram, sed eam implicite includunt, quia necessitas hujus evangelici salis et luminis in Ecclesia est semper, in omnibus sæculis. Quod quidem iterum apparet apud S. Paulum.

b) S. Paulus cum pastores doctoresque Ecclesiæ nominat una cum prophetis et evangelistis, dicit quod Deus dedit eos ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi (*Ad Ephes.* iv, 11-12). Ex quo clare apparet: 1) quod origo doctorum in Ecclesia est secundum institutionem divinam; 2) quod doctores quoddam charisma Spiritus Sancti participant; 3) quod Deus eos posuit ad illuminandam Ecclesiam; 4) et hoc perdurare oportet usque ad consummationem mundi. — Unde sine dubio est unanimem Patrum consensum de doctrina fidei certum argumentum theologo præstare.

III. Probatur etiam ex eo quod unanimis Patrum doctrina fidei, Ecclesiæ doctrinam exprimit. Nam *a*) singuli Patres lumen habent Spiritus Sancti, ut supra annuimus, quid ergo si omnes (moraliter sumpti quoad numerum, sed cum universam Ecclesiam repræsentant) simul conveniunt? — *b*) Ipsi erant docti et tenaces fidei investigatores. Ecclesiæ doctrinam *exposuerunt*. Ecclesia autem hanc doctrinam approbavit.

IV. In fine confirmatur hæc nostra thesis ex auctoritate ipsorum Patrum, ubi manifestatur Ecclesiam semper eos tenuisse tamquam organa Spiritus Sancti. Sufficit ad hoc recordari verba *S. Hieronymi:* « Doctores Ecclesiæ non tam ipsi docent, quam in ipsis Deus, rector et habitator illorum, qui sibi eos utilia vasa formavit et sancta templa construxit » (In Ep. *ad Gal.* cap. i, 11-12). — Similiter *S. Au-*

gustinus: « Qui vero ab unanimi Patrum consensu discedit, ab universa Ecclesia discedit ». Et iterum: « Qui sanctos Patres rejicit, fatetur, se universam Ecclesiam rejicere » (*Contra Julian. Pelag.*, lib. II, 38). — Similia verba repetuntur, quamvis indirecte, apud *S. Athanasium* (*De decr. Nicæni Syn.*, c. 27). Et *S. Basilius* addit: « Patrum vestigiis non insistere nec sua sententia vocem illorum potiorem ducere, res est, reprehensione digna, *ut plena arrogantiæ* » (Ep. 52, n. 1). Cfr. De Groot, p. 787. — Immo etiam Concilia hanc auctoritatem Patrum haud raro affirmarunt. Patres *Ephesini*, ut exemplum adducam, id credendum affirmant « *quod sacra sibi consentiens Patrum tenuisset antiquitas* ». Act. I. Patres vero *Chalcedonenses* decreta sua firmissima esse his verbis significant: « *Docuerunt enim Patres*, et in scriptis custodiuntur, quæ ab eis sunt exposita, et citra ea dicere non possumus » (Act. II). Cfr. Conc. Nicæn. II, act. IV; Cpolit. IV, act. X, can. I.

Quæres I: *Quando communis Patrum consensus adesse censeatur.*

Resp.: *a*) cum singularum nationum eminentissimi in alicujus rei assertione consentiunt, ita ut inter illos nemo, qui semper orthodoxus orthodoxis semper adhæsit, dissentiat; — *b*) si Patres citati sunt tales, ut illos non aliud vere sensisse quam ceteri omnes collegæ sui nemo dubitet. (Cfr. Vinc. Lerin., *Comm.* cap. XXX.)

Quæres II: *Quænam sint regulæ judicandi, utrum Patres loquantur veluti traditionis et fidei testes.*

Resp.: *a*) si id vel expresse vel æquivalenter affirmant, puta hac formula: *credimus cum Ecclesia catholica;* — *b*) si doctrina aliqua ut ab omnibus credenda inculcatur; — *c*) si doctrinam contrariam tamquam hæreticam aut receptæ in Ecclesia doctrinæ repugnantem explodunt; — *d*) si nunquam quemquam aliter sentire patiuntur. — Notandum: Si in istis formulis Patrum consensus unanimis est, argumentum habetur *infallibiliter* certum. Si autem non proponitur doctrina ab omnibus tenenda, sicut supra, argumentum est *theologice* certum dumtaxat. Si vero ut *doctores privati* doctrinam fidei exponunt, auctoritatem habent suorum argumentorum, i. e. tantum valet doctrina, quantum probat. Attamen semper Sanctis Patribus maxima debetur reverentia, propter eminentem sanctitatem et doctrinam eorum. Ut doctores privati censentur quando inter se in aliquo capite doctrinæ dissentiunt. Cum vero de rebus physicis seu astronomicis, et aliis hujusmodi loquuntur, certe non ex mente Ecclesiæ loquuntur.

Notandum etiam, in usu Patrum attendendum esse *ad modum ipsorum loquendi*. Aliquando *dubitative*, vel *recitative* (aliorum sententiam referendo), non autem semper *assertive* loquuntur. Item, considerare: *Quis*, *Quando*, *Quibus* scribunt.

DE AUCTORITATE THEOLOGORUM

Alius proprius Locus Theologicus, qui connexionem habet cum Ecclesia, sed qui secundarius est, *auctoritas theologorum*. Nomine theologorum intelligimus Theologos tum *scholasticos* tum *positivos*. *Theologia Positiva* illa est quæ « ex Sacra Scriptura, Traditione, Conciliis Œcumenicis aliisque documentis positivis veritates Fidei probat, et ex veritatibus revelatis alias deducit, *minus tamen adhibitis philosophiæ adjumentis* » (De Groot, p. 803). — *Theologia* vero *Scholastica* magis systematica est et philosophica. — Item, loquimur de theologis non prout sunt doctores privati, sed ut *testes fidei*, prout de Patribus diximus. — Jam quod *unanimis* theologorum sententia de rebus fidei et morum, *certum* argumentum præbet, manifestum est; cum universale theologorum collegium, ut fidei testium, sit pars magisterii haud despicienda. Sed quæritur *utrum talis sententia theologorum sit infallibilis*.

Ad responsionem hujus difficultatis considerandum est theologos non repræsentare, saltem directe, universale Ecclesiæ magisterium. Etenim, nomine theologorum non veniunt episcopi formaliter ut tales. Consequenter sententia seu infallibilitas de qua loquimur, per se non includitur in definitione Concilii Vaticani de infallibilitate ordinarii et universalis Magisterii Ecclesiæ.

Attamen, si Theologi unanimiter declarant aliquam sententiam de fide esse retinendam, et Ecclesia tacendo approbat, tunc haud dubium est sententiam hanc de fide esse. Unde, hoc in casu, sententia theologorum est non solum theologice, verum etiam infallibiliter certa, proindeque credenda. Sed, utrum sit credenda fide divina, vel ecclesiastica? De ista quæstione clare non tractant auctores. Nobis tamen videtur quod si Ecclesia non tantum tacendo, sed etiam *utendo* praxi approbat, sententia tenenda est certa fide divina. De fide divina est, enim, Ecclesiam, aliquam doctrinam, contra fidem, accipere non posse. Contradicere tali sententiæ, ait Canus, si hæresis non est, at hæresi proximum est (*l. c.*, lib. VIII, c. 4, conclus. 3).

Si vero Theologi unanimiter aliquam sententiam proponunt non tamen dicunt esse de fide retinendam, sententia eorum esset *theologice certa*, non autem infallibiliter. Si quis, igitur, eam negaverit esset *temerarius*, usque dum certe contrarium probaretur. Posset tamen eam quis sub dubium ponere scholastice (Tanquerey, n. 992, p. 652, ed. XV).

DE AUCTORITATE S. THOMÆ

Princeps Doctorum scholasticorum est Divus Thomas, Angelicus Doctor, Doctor Communis. *Quæritur:* quonam gradu ejus doctrina ab Ecclesia approbatur? — Nam, quatuor sunt gradus approbationis alicujus doctrinæ; videlicet: *a*) *negativa*, si Ecclesia tacendo admittit doctrinam (sicut accipitur doctrina molinistica). — *b*) *Positiva sed tacita*, quæ longo usu fit, cujus testimonium adhibetur in scholis frequenter, et diffusa est in mundum. — *c*) *Positiva expressa et generalis*, quæ in aliqua parte approbata est ab Ecclesia, vel etiam in toto, tamen decreto communi. — *d*) *Approbatio specialis*, quæ per decretum vel per decreta specialia S. Sedis habetur. — His positis dicendum est quod

Doctrinæ S. Thomæ competit auctoritas specialis.

Ad hoc probandum sufficit observare S. Thomam *elective* et quoad *generalitatem* doctrinæ, speciali in modo, immo pluries approbatum, commendatum, Summorum Pontificum elogiis elevatum fuisse. Quod clarissime constat ex decretis S. Sedis emanatis. Cfr. *Officium Festi*, die 7 Martii, in secundo nocturno. Cfr. De Groot, p. 815-816. — Unde, doctrina S. Thomæ, *non definitive et absolute*, sed *elective et generatim* approbata est ab Ecclesia.

Duo, igitur, tenenda sunt circa Doctrinam Angelici Doctoris:

1. Quod doctrina S. Thomæ, *quoad substantialia*, sine errore est circa fidem et mores; et, si quis contrarium huic asserit, esset certissime temerarius, sc. si dixerit S. Thomam erravisse circa doctrinam Ecclesiæ Fidei et Morum. In præjudicio enim poneretur Ecclesiæ approbatio doctrinæ Aquinatis electiva in summo gradu. Quantum autem ad quæstionem de Immaculata Conceptione, quæstio valde agitata est, et saltem dubia quoad sententiam S. Doctoris. Certum est, in Summa Theologica, quod est opus S. Thomæ ultimum, nihil haberi contra definitionem Pii IX de Immaculata Conceptione.

2. Quod Doctrina S. Thomæ, ob rationes speciales, haberi oportet « magis veridica, sincerior, et veritati conformior », atque scholis magis aptata quam aliorum doctorum. Cfr. De Groot, p. 814 et seqq. — Unde recte meritoque inculcat Ecclesia, can. 1366, § 2, C. J. C., « Philosophiæ rationalis ac theologiæ studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores OMNINO PERTRACTENT AD ANGELICI DOCTORIS RATIONEM, DOCTRINAM ET PRINCIPIA, EAQUE SANCTE TENEANT ».

INDEX

TRACTATUS DE ECCLESIA CHRISTI

DE IPSA ECCLESIA IN SE CONSIDERATA

DE QUALITATIBUS ECCLESIÆ CHRISTI

Quæstio VIII. — *De objecto infallibilitatis.*


Quæstio IX. — *De magisterio Ecclesiæ.*

Quæstio X. — *De potestate Ecclesiæ.*

Quæstio XI. — *De relationibus inter Ecclesiam et Statum.*

TRACTATUS DE ROMANO PONTIFICE

Quæstio XII. — *De Primatu S. Petri.*



Ejusdem Editoris.

—

THOMAE AQUINATIS (S. Doctoris Angelici). **Summa Theologica** diligenter emendata, De Rubeis, Billuart et aliorum notis selectis ornata, cui accedunt septem locupletissimi indices, quorum unus est auctoritatum Sacrae Scripturae, alter quaestionum, tertius rerum omnium praecipuarum, quartus dogmatum ad hodiernas haereses confutandas, quintus locorum seu doctrinarum ad explicandas Epistolas et Evangelia Dominicarum et festorum totius anni, sextus auctorum quibus usus est D. Thomas, septimus locorum ad usum catechistarum. Accedit lexicon Scholasticorum verborum Iosephi Zamae Mellinii, quo explicantur verba maxime inusitata et locutiones praecipuae D. Thomae et aliorum Scholasticorum. Editio XIX, 1928, *emendatissima*, 6 vol. in-8 max., pag. 4400 circiter *Lib. it.* 70 —

— **Summa contra Gentiles,** seu de veritate Catholicae Fidei. *Editio XIX Taurinen.*, 1928, *emendatissima.* In-8 max., p. 584 *Lib. it.* 13 —

— **In omnes S. Pauli Apostoli Epistolas** Commentaria, cum indice rerum memorabilium. *Editio VII Taurinensis emendatissima,* 1929, 2 vol. in-8 max., pag. 1100 circiter *Lib. it.* 40 —

— **Catena Aurea in Quatuor Evangelia.** *Editio VIII Taurinensis emendatissima,* 1925, 2 vol. in-8 max., pag. 1300 circiter *Lib. it.* 50 —

— **In Evangelia S. Matthaei et S. Ioannis** Commentaria. *Editio IV Taurinensis emendatissima,* 1925, 2 vol. in-8 max., pag. 1000 *Lib. it.* 38 —

— **Quaestiones Disputatae,** et **Quaestiones duodecim quodlibetales** ad fidem optimarum editionum diligenter recusae. *Editio V Taurinensis, emendatissima,* 1927, 5 vol. in-8 max., pag. 2000 circ. *Lib. it.* 50 —

— **De Regimine Principum ad regem Cypri et De Regimine Judaeorum ad ducissam Brabantiae:** Politica Opuscula duo, ad fidem optimarum editionum diligenter recusa, Joseph Mathis curante. In-8 max., 1924, pag. XVI-124 *Lib. it.* 10 —

— **In Aristotelis Librum de Anima Commentarium.** Editio recentissima, cura ac studio P. F. Angeli M. Pirotta, O. P., S. Th. Lect., Phil. Doct. ac Prof. In-8 max., 1925, pag. XII-308 *Lib. it.* 15 —

— **In Metaphysicam Aristotelis Commentaria.** Cura et studio P. Fr. M. R. Cathala, Ord. Praed. S. Theol. Lectoris. Prof. Phil. in Inst. Catholico Tolosano, cum tabula analytica P. Fr. Chrys. Egan O. P. Theol. Lect. Altera Editio attente recognita. In-8 max., 1926, pag. XII-798 *Lib. it.* 30 —

— **In Aristotelis Libros De Sensu et Sensato, De Memoria et Reminiscentia Commentarium.** Editio novissima, cura ac studio P. F. Angeli M. Pirotta O. P., S. Th. Lect. Phil. Doct. ac Prof. Provinciae Melitensis. In-8 max., 1928, pag. 172 *Lib. it.* 12 —

— **Opusculum de Ente et Essentia.** Diligentissime recognitum. In-8 max., 1926, pag. 34 *Lib. it.* 2 —

— **Mystica Theologia Divi Thomae,** utriusque Theol. Scholasticae et Mysticae principis, cum indice alphabetico rerum notabilium. Auctore Thomas a Vallgornera. Editio IV, 1924, curante Fr. J. J. Berthier eiusdem Ord.; 2 vol. in-8 max., pag. 1170 *Lib. it.* 48 —



Pretium: Lib. it. 12.